Vol I - 1919-22

MEMORABILIA

SOCIETATIS IESU

VOL. I (1919-1922)

ANNO 1919

AD USUM PRIVATUM

PATRUM ET FRATRUM EIUSDEM SOCIETATIS.



ROMAE
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS
1920

14997

PROOEMIUM

REVERENDIS IN CHRISTO PATRIBUS
ET CARISSIMIS FRATRIBUS SOCIETATIS IESU SALUTEM.

Cum R. P. Franciscus Xaverius Wernz anno 1910 *Actis Romanis* edendis initium faceret, id solum consilii habuit ut, secundum plurimorum sodalium vota, praecipua Sanctae Sedis ad Societatem spectantia et Praepositi Generalis acta in unum volumen colligerentur ederenturque ad consulendum non minus domesticae gubernationi quam sociorum omnium eruditioni. At ecce iam in eo, qui proxime insecutus est, *Actorum* fasciculo perbreve quoddam Societatis *Chronicon* adiici coeptum est, quemadmodum hactenus mos tenuit, non ita tamen, ut quotannis non increscerent multiplici rerum historicarum varietate. Hisce initiis haud mediocriter faverunt Provinciae cunctae; nec immerito, quippe quae apprime intelligerent quantum ea res et S. Parentis nostri commendationi et priscae Societatis moribus congrueret. Sanctus enim Ignatius, quod Nostrorum ignorat nemo, ad animorum coniunctionem iuvandam praescripsit, ut crebro alii de aliis certiores fierent ac audirent quae ex variis locis ad aedificationem et eorum, quae gererentur, cognitionem afferrentur (1); Societas vero, post quadrimestres et semestres epistolas, quas initio usque ad S. Franciscum Borgia Praepositum mittere consuevit, in Congregatione Generali secunda decernendum putavit, ut eiusmodi omnium Provinciarum litterae ex Urbe mittendae cum sin-

(1) Cf. *Const.* p. VIII, c. 1, n. 9.

gulis domibus communicarentur, et, sicut eorum inscriptio praedicabat, quolibet anno conficerentur (1). Testantur antiqui nostri scriptores quam laetos fructus sapiens haec consuetudo, dum viguit, tulerit, quantumque reclamatum fuerit cum saepe, proh dolor! ab ea intermissio fieret. Renata vero Societate toto terrarum orbe, cum maiores nostri, Patrum institutis firmiter insistentes, alacrem darent operam ad illa omnia in vitam revocanda, per quae pia mater et diu floruerat et suos in christianae perfectionis semita provehere studuerat, haudquaquam praetermiserunt de hac etiam litterarum annuarum editione sedulo cogitare. Etenim in generalibus comitiis anno 1829 habitis proprio decreto iusserunt, ut hic, de quo agimus, usus « omnino instauraretur » (2). Nihilominus, ut interdum peroptatis etiam in rebus contingere solet, opportunae legis usus per non paucos annos exstitit fere nullus. Quod cum passim deplorarent sodales, postulatum fuit in Congregatione Generali XXIV ut, quod in variis Instituti locis constitutum fuerat, instaurandumque voluerat Congregatio XXI, in usum tandem deduceretur (3). Hanc quidem postulationem ultro probarunt Patres Deputati; Congregatio vero, licet censuerit nullum novum decretum esse condendum, totius tamen rei curam Patri Nostro reliquit.

Si quem Praepositum Generalem domesticae historiae amantissimum, eumque benemerentissimum, habuit Societas, is profecto dicendus est R. P. Ludovicus Martin. Attamen, etiam cum ipse magistratum teneret, non quidem ob restinctum sociorum studium, sed unice propter temporum difficultatem, infecta mansere quae iampridem Congregatio XXI decreverat. Coactis iterum, anno 1906, generalibus comitiis, antiquae utilissimaeque consuetudinis instauratio summopere cordi fuit Patribus Congregatis, qui iamiam conventui finem imposituri, concordi sententia clare significarunt quaenam

(1) Cf. Congr. Gen. II, d. 37.
(2) Cf. Congr. Gen. XXI, d. 20. ibid. II, 480.
(3) Ex *Actis* mss. in actione XXXVI, diei 7 nov. 1892.

eorum esset hac de re voluntas, cum omnium aetatum maioribus plane consentiens (1). Non defuit iustissimis votis novus Societatis Moderator; nam cum primum exsecutioni mandare coepisset quae de actis decretisque in gubernationis usum vulgandis sibi gratum esse ostenderat Congregatio, etiam de historicis quandam rationem haberi voluit ea chronicorum accessione, quam initio memoravimus. Nunc vero, postquam per complures annos rem experti sumus et Pater Noster totam quaestionem cum Patribus Assistentibus bene perpendit, visum est, non modo partem illam *Actorum Romanorum* historicis pertractandis tributam ampliandam esse, verum etiam ab ipsis *Actis* seiungendam, absolutiore quodam ordine disponendam, atque propria inscriptione donandam. Igitur hac immutatione inducta, nihil amplius posthac referent *Acta Romana* (sicut iam verno tempore huius anni (2) monuimus) quam acta Sanctae Sedis et Praepositi Generalis. Haec intendimus quotannis communis sociorum iuris facere, februario ineunte. Historica vero, quae *Memorabilia Societatis Iesu* inscribere placuit, quaeque nunc primum, ad extremum annum edimus, prodibunt in posterum die festo S. Parentis nostri adventante.

Primus hic *Memorabilium* fasciculus in lucem editur tenuis admodum et imperfectus, sive quod nondum proprius eorum curator, sicuti a Congregatione Generali VII, d. 19 pro *Litteris Annuis* iam praescriptum fuerat (3), constitutus erat, sive quod nuncii Romam missi neque plene neque ex omnibus Provinciis allati sunt. Nunc tandem ille, cuius erit periodicum volumen accurare designatus est et hisce diebus munus inibit suum. Spes nobis certa est, fore ut Provinciae strenue illum adiuvent, cum sciant rem ab ipso S. P. Ignatio nobis tantopere commendari et ad commune bonum universae Societatis pertinere. De ratione vero colligendi mittendique

(1) Ex *Actis* mss. in actione XXXVI diei 18 oct. 1906, quae ultimae proxime antecessit.

(2) Cf. Monitum, in *Actis Rom.* III (1919) 5.

(3) Cf. *Inst. Soc. Iesu*, II, 322.

in Urbem commentarios et nuncios ipse operis curator Praepositos Provinciarum propediem certiores faciet, re antea cum Patre Nostro collata.

Sic tandem in Societate restituta, abunde provisum iri confidimus, ut illa habeatur et praesentium rerum nostrarum cognitio et mutua consolatio atque aedificatio in Domino, quam hoc scriptionum genere ab Urbe per universam Societatem mittendo prae oculis habuit sanctus legifer Pater. Neque amplius deplorandum erit, quod Nostri in magna persaepe ignoratione versentur eorum, quae in vinea Domini a sodalibus geruntur, ut homines ad Iesum Christum cognoscendum diligendumque omni conatu perducant. Porro domesticis hisce *Memorabilibus* quis dubitet, quin eaedem uberrimae utilitates sint proventurae, quarum necessitatem percepimus omnes persentimusque? Scilicet conferent ipsa, sic nos sperare iuvat, ad communem eruditionem, ad membra Societatis, cuiscumque ea sunt nationis, invicem coniungenda, ad impensius exciendum honestum illud aemulationis studium ac purissimum illum vocationis amorem qua misericors Iesus nos omnes in hanc minimam suam Societatem adduxit, ut, sicut *Summa et scopus nostrarum Constitutionum* loquitur, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, per prospera et adversa, magnis itineribus ad caelestem patriam et ipsi contenderemus et alios etiam quacumque possemus ope studioque compelleremus, maximam Dei gloriam semper intuentes.

Romae, die festo Conceptionis Immaculatae B. M. Virginis, 8 decembris 1920.

De mandato R. P. Praepositi Generalis.

PETRUS TACCHI VENTURI
Secr. Soc. Iesu.

TABULA RERUM

PROOEMIUM . . . . . Pag. v

PARS PRIMA

DE QUIBUSDAM SODALIUM OPERIBUS COMMENTARII.

I. — APOLOGETICARUM INSTITUTIONUM USUS ET MOMENTUM.

A). — CURRICULUM STUDIORUM PHILOSOPHIAE ET RELIGIONIS PRO LAICIS IN PONT. UNIVERSITATE GREGORIANA. (1918-1919).

Religionis cursus. — Academia. — Institutionum curriculum. — Finis. — Studiorum ratio. — Circulus. — Consultationis sedes. — Sanctae Sedis favor. — Praelectionum initium. — Publicae dissertationes. — Bibliotheca. — Scriptiones publicae. — Res per Italiam diffunditur . . . . . Pag. 3

B). — CURSUS APOLOGETICUS PRO ERUDITIS ACATHOLICIS INCEPTUS IN NOBILIBUS QUIBUSDAM NEERLANDIAE URBIBUS. (1917-1920).

Distributio operis. — Auditorum conditio. — Praelectionum methodus. — Fructus. . . . . » 7

II. — PESTILENTIA CONFLICTATIS NOSTRI OPEM FERUNT. (1917-1919).

In Provincia Romana et Taurinensi. — In Provincia Germaniae. — In Provincia Franciae et Tolosana. — In Provincia Castellana, Legionensi et Lusitana. — In Provincia Canadensi. — In Provincia Californiae, Missouriana et Neo Aurelianensi . . . . . » 12

III. — DE SODALITATIBUS B. MARIAE VIRGINIS.

A). — In Provinciis Italicis. (1917).

Sodalitatum numerus. — Opera varia. — Conventus legatorum Assistentiae. — « Sectiones ». — Sodalium caritas in publicis calamitatibus. . . . . *Pag.* 24

B). — In Vice-Provincia Cecoslovachiae et praesertim in dioecesi brunensi. (1919). . . . . » 28

C). — In Provincia Germaniae. (1919).

a). — Congregationes parochiales. α). — Congregationes parochiales iuvenum (Jünglingskongregationen). β). — Congregationes parochiales virginum (Jüngfrauenkongregationen). γ). — Congregationes parochiales mulierum et societates matrum (Frauenkongregationen, Müttervereine). δ). — Congregationes parochiales virorum et Apostolatus eorundem (Männerkongregationen — Männerapostolat). . . . . » 34

b). — Congregationes diversarum hominum classium (Standeskongregationen). . . . . » 41

D). — Leopoli, in Provincia Poloniae. (1919).

Communia omnibus Sodalitatibus. — Propria singulis Sodalitatibus. — Consociationes curae Nostrorum subiectae . . . . . » 42

E). — In Provinciis Americanis. (1919).

Reginae Opus (*the Queen's Work*). — Sodalitates in paroeciis. — « Sectiones ». — Sodalitates in Collegiis Societatis. — Sodalitates extra paroecias et Collegia. — Sodalitatum consociatio. — Moderatorum conventus. — Spes futuri . . . . . » 47

IV. — COLLEGII GERMANICI ET HUNGARICI IN URBEM REDITUS. (1919) . . . . . » 57

V. — PROVINCIA AUSTRIAE IN EXTREMAM FERE NECESSITATEM ADDUCTA SODALIUM CARITATE LEVATUR. (1918-1919).

Caritas erga Nostros. — Caritas erga alumnos. . . . . » 61

VI. — HUNGARIAE PROVINCIA TEMPORE DICTATURAE PROLETARIAE. (1919).

A). — Collegium Budapestinense.

Socialistarum regimen. — Dictatura proletaria. — Nostri ad vincula conquisiti. — Collegii publicatio. — Nostri capiuntur. — Provincia dispersa. — Ordo restituitur . . . . . *Pag.* 64

B). — Collegium Colocense.

Collegium urbi praesidio est. — Urbs Patribus vicem rependit. — Proletarii Collegium perquirunt. — Kalendae maiae. — Auctoritas alumnis collata. — Desertio a Societate Nostris indicitur. — Sacerdotes ex urbe deportantur. — Proletarii Collegio potiuntur. — Bellum civile. — Dictaturae proletariae eversio . . . . » 72

C). — Residentia Kapornacensis. . . . . » 80

VII. — EUCHARISTIAE CULTUS IN NEERLANDIA MIRIFICE PROPAGATUR (1913-1919) . . . . . » 84

VIII. — POLONIAE PROVINCIA DILATATUR (1918-19). » 85

IX. — COLLEGIUM CHYROWIENSE PROVINCIAE POLONIAE EX ULTIMO EXITIO MIRA SANCTI IOSEPH OPE SERVATUR. (1914-1919).

Bellum russiacum. — Bellum ruthénicum . . » 87

X. — GALLICAE PROVINCIAE SUOS MILITES COMMEMORANT. (1914-1918).

Militaris conditio. — Virtus religiosa. — Militares sacrorum administri. — Milites. — Societatis amor . . . . . » 91

XI. — CAMPANIAE PROVINCIAE BELLI TEMPORE CONDITIO. (1914-1918).

Pars Provinciae a Germanis libera. — Pars Provinciae a Germanis occupata. — Provincia rursus componitur . . . . . » 96

XII. — SOCIETAS IN AMERICAE CENTRALIS RESPUBLICAS REVERTITUR. (1914-1915).

Mediae Americae perlustratio. — Provincia Mexicana in Republica S. Salvatoris. — Provincia Mexicana in Republica Nicaraguensi . *Pag.* 99

XIII. — COADIUTORUM TEMPORALIUM GRADUS DECLARATUR A PATRIBUS MISSOURIANIS EDITIS IN LUCEM SCRIPTIS. (1919) . . . . . » 104

XIV. — TOKYENSIS UNIVERSITAS. (1919).

Domus. — Alumni et magistri. — Gradus academicus. — Alumni christicolae. — Dies festi academicorum. — Convictus. — *Yochi* seu domus. — Bona externorum de nostra Universitate existimatio. — Nostrorum status. — Status Missionis Iaponicae anno 1919 . . . . . » 105

XV. — BRASILIENSIS MISSIONIS PRISTINA OPERA RECENTI AC PERINSIGNI TESTIMONIO A PATRIO HISTORICORUM COETU DONANTUR. (1914) . . . . . » 115

XVI. — MISSIONES SINENSES. (1919).

Christicolûm pietas. — Collegium Zikaweiense. — Sectiones. — Scholae precum. — Piscatorum fides. — Studium propagandae fidei in latrone. — Magistratuum in christianos lenitas. — Quorundam fidelium tepor. — Laboris et martyrii cupido . . . . . » 117

XVII. — BERYTHENSIS UNIVERSITAS RESTITUTA. (1919) . . . . . » 122

XVIII. — LEPROSORUM COLONIAE. (1917).

A). — Mangalorensis. (India, Prov. Ven.).

P. Augusti Müller experimenta. — Kankanady. — Census. — Diversae de lepris opiniones. — Leprarum genera. — Delectus ac vigilia. — Animarum cura. — Artificia et quaestus. — Res familiares . . . . . » 123

B). — Trombycensis. (India, Prov. Germ.). . . . . » 129

C). — Pelantoenganensis. (Java, Prov. Neerl.) . . . » 130

D). MARANAENSIS (Madagascar, Prov. Camp.).

P. Ioannis Beyzym vocatio ad leprosos iuvandos. — Ambahivorarum versus. — Ambahivorarense nosocomium. — Coloniae honestius instaurandae consilium. — Labores et aerumnae. — Loci ad ducendam coloniam inquisitio. — « Marana ». — Spes divini auxilii. — Aedes novae. — Leprosorum pater. — Conditio Maranaensium nosocomiorum annis 1916-17. — Aliae in insula stationes . . . . . *Pag.* 131

E). CULIONENSIS. (Insulae Philippinae, Prov. Arag.).

Census et habitatio. — Ministeria. — Nosocomiorum lustratio. — Praecipua sollemnia. — Laeta. — Tristia. . . . . » 139

F). FONTILLENSIS. (Hispania, Prov. Arag.).

Mores ac religio. — Res familiaris. — Familia — Aedificia. . . . . » 143

G). BELGAËNSIS. (India, Prov. Lus.).

Belgaënsis Missio. — Nosocomiorum primordia. — Aegrotorum census. — Contagio. — Corporis cura. — Religionis cultus. — Egregie facta. — Imminens coloniae exstinctio. — Status coloniae belgaënsis ab anno 1901 ad annum 1912 » 147

H). — ALIAE MINORES . . . . . » 155

I). — COLONIAE SACRIS EXPEDITIONIBUS EXCULTAE . . » 156

PROSPECTUS COLONIARUM LEPROSORUM QUIBUS SOCIETAS IESU OPERAM NAVAT ANNO VERTENTE 1917 . . . . . » 157

PARS ALTERA

NUNCII BREVIORES ANNI MCMXIX.

I. — DE SOCIETATE IN UNIVERSUM.

A). — CHRONICA CURIAE SOCIETATIS IESU.

a). — Ephemerides . . . . . *Pag.* 161

b). — Catalogus Sociorum et officiorum Curiae Societatis Iesu ineunte anno 1920 . . . . . » 169

B). — Causae et Cultus Sanctorum Societatis.

a). — Causae.

Causae Beatorum. — Causae Venerabilium. — Causae Martyrum. — Causae Servorum Dei. . . *Pag.* 171

b). — Cultus . . . . . » 175

II. — DE SINGULIS PROVINCIIS.

A). — Provinciarum administratio.

a). — Nominationes Superiorum maiorum . . . » 176

b). — Novae Provinciae vel mutati Provinciarum fines . . . . . » 177

c). — Domus novae aut instauratae . . . . . » 178

B). — Narrata a Provinciis ac Domibus.

a). — A Provinciis . . . . . » 180

b). — A domibus . . . . . » 182

c). — Insectationes . . . . . » 185

C). — Ministeria.

a). — SS. Cor Iesu . . . . . » 186

b). — Sodalitates Marianae . . . . . » 190

c). — Exercitia Spiritualia . . . . . » 192

d). — Apologetica et catechesis . . . . . » 194

e). — Opera misericordiae . . . . . » 195

f). — Libelli periodici aliaque opuscula. . . . . » 197

g). — Varia . . . . . » 199

D). — Collegia Externorum . . . . . » 202

III. — DE MISSIONIBUS.

A). — Administratio.

a). — Novi Episcopi, Praefecti Apostolici, Superiores Regulares . . . . . » 206

b). — Missiones nuper susceptae aut novis finibus circumscriptae . . . . . » 207

B). — Parva excerpta ex litteris.

a). — Ex Europa: Albania 208

b). — Ex Asia:

India . . . . . » 208

Sinae . . . . . » 210

Malesia . . . . . » 211

c). — Ex Africa: Kwango . . . . . » 213

d). — Ex America: Tarahumara. . . . . » 213

PARS TERTIA

STATISTICA QUAEDAM ANNI MCMXIX.

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE INEUNTE ANNO MCMXIX . . . . . *Pag.* 217

PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU INEUNTE ANNO MCMXIX . . . . . » 218

CATALOGUS CONSILIORUM PROVINCIALIUM IURI NOSTRO RECOGNOSCENDO INSTITUTORUM AD NORMAM EPISTOLAE PATRIS NOSTRI DIE 15 AUGUSTI 1917 DATAE . . . » 219

DINUMERATIO CONGREGATIONUM B. MARIAE V. PRIMAE PRIMARIAE AGGREGATARUM A DIE 1 IANUARII AD DIEM 31 DECEMBRIS 1919 . . . . . » 223

NUMERUS DISCIPULORUM IN COLLEGIIS PROVINCIAE BELGICAE ANNO 1918-1919. . . . . » 224

CATALOGUS DEFUNCTORUM IN SOCIETATE IESU A DIE 1 OCTOBRIS 1918 AD DIEM 30 SEPTEMBRIS 1919 . . . . . » 227

INDEX ALPHABETICUS DEFUNCTORUM A DIE 1 OCTOBRIS 1918 AD DIEM 30 SEPTEMBRIS 1919. . . . . » 253

TABULA RERUM

PARS PRIMA

DE QUIBUSDAM SODALIUM OPERIBUS COMMENTARII

I. — PROVINCIAE POLONIAE SAECULARIA SOLLEMNIA (1820-1920) . . . . . *Pag.* 259

II. — PRIMUS CONVENTUS MODERATORUM APOSTOLATUS ORATIONIS ET CONSECRATIONIS FAMILIARUM INTER ITALIAE GENTES » 266

III. — MISSIONES POPULARES.

Provincia Austriae. — Viceprov. Cecoslovachiae. — Prov. Germaniae. — Prov. Germ. Pars meridiana. — Prov. Hungariae. — Prov. Campaniae. — Prov. Franciae. — Prov. Lugdunensis. — Prov. Tolosana. — Prov. Angliae. — Prov. Canadensis. — Brasilia. — Columbia. — Algeria . . . . . » 270

IV. — MINISTERIA IN REGIONE « SOMME » VASTATA. . . . . » 289

V. — OPUS XAVERIANUM IN FLANDRIA ORIENTALI. . . . . » 293

VI. — SCHOLAE ET COLLEGIA.

Scholarum institutio. — Successus scholarum. — Alumnorum pietas, — Collegia discipulorum multitudine frequentia. — Virorum illustrium testimonia. — Nostri iura parentum et Ecclesiae in re scholari defendunt . . . . . » 295

VII. — CURA STUDENTIUM MEDICINAE A NOSTRIS LUGDUNI SUSCEPTA . . . . . *Pag.* 310
VIII. — NEGOTIATORII VIATORES . . . . . » 314
IX. — EXERCITIA SPIRITUALIA PER SOLIDUM MENSEM AD MENTEM ANNOTATIONIS 19ae » 319
X. — DE OPERE « CURSUS SCRIPTURAE SACRAE » » 321
XI. — NOSTRI IN INSULA CEYLAN QUINQUE LUSTRA A SUSCEPTA MISSIONE EXPLENT . . » 324

PARS ALTERA

NUNCII BREVIORES ANNI MCMXX

I. — DE SOCIETATE IN UNIVERSUM.

CHRONICA CURIAE SOCIETATIS IESU.

Ephemerides . . . . . *Pag.* 337
Elenchus Procuratorum. . . . . » 343
Catalogus Sociorum et officiorum Curiae Societatis ineunte mense sept. 1920 . . » 344
Vita functus in Curia: P. A. Gerste . . . . » 347

CAUSAE ET CULTUS SANCTORUM SOCIETATIS.

CAUSAE. . . . . » 351

CULTUS.

Annus ab obitu S. Ioannis Berchmans tertio saecularis . . . . . » 355
Varia . . . . . » 357
Patres Germaniae scriptis notitiam et cultum nostrorum caelitum promovere student. » 358

VITA FUNCTI CUM FAMA SANCTITATIS.

P. Nicolaus Rodríguez (Prov. Cast.) 1830-1900 . . . . . » 360
P. Franciscus de P. Tarín (Prov. Tolet.) 1849-1910 . . . . . » 362
P. Gulielmus Doyle (Prov. Hib.) 1873-1917 . . . . . » 366
Corpus P. Di Francisci transfertur . . . . » 367

II. — DE SINGULIS PROVINCIIS.

VISITATIO PROVINCIARUM . . . . . *Pag.* 367
VISITATIO MISSIONUM . . . . . » 368
STUDIORUM SUPERIORUM INQUISITIO. . . . . » 368

PROVINCIARUM ADMINISTRATIO.

Nominationes Superiorum maiorum . . . » 368
Mutati Provinciarum fines . . . . . » 369
Domus novae, instauratae, dissolutae . . » 369

VITA DOMESTICA . . . . . » 373
Societatis historia . . . . . » 376
Res familiaris . . . . . » 378

MINISTERIA.

Cura iuvenum extra Collegia nostra . . . » 381
Cura militum . . . . . » 383
Doctrina christiana . . . . . » 386
Praeparatio ad sacerdotium. . . . . » 388
Cura carcerum . . . . . » 389
Protestantes . . . . . » 390
Cura virorum . . . . . » 394
Varia ministeria . . . . . » 395

III. — DE MISSIONIBUS.

ADMINISTRATIO.

Novi Episcopi, Praef. Ap., Sup. Reg.. . . » 396
Missiones nuper susceptae . . . . . » 397

NUNTII EX MISSIONIBUS.

Missio in Syria et Armenia (Prov. Lugd.). » 399
Missio Bengalensis (Prov. Belg.) . . . . » 400
Missio in Chota Nagpore (Prov. Belg.) . . » 401
Missio Madurensis (Prov. Tolos.) . . . . » 403
Missio Nankinensis (Prov. Franc.) . . . . » 404
Missio Tche-li merid.-orient. (Prov. Camp.). » 406
Missio Iaponica . . . . . » 408
Status Missionis Iaponicae a. 1921 . . . » 408

CONVENTUS INDORUM CATHOLICORUM . . . . . » 409

PARS TERTIA

STATISTICA QUAEDAM ANNI MCMXX

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE INEUNTE ANNO 1920 . . . . . *Pag.* 415
PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU INEUNTE ANNO 1920 . . . . . » 416
PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE INEUNTE ANNO 1921 . . . . . » 417
PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU INEUNTE ANNO 1921 . . . . . » 418
NUMERUS SOCIORUM SINGULARUM PROVINCIARUM CUM NUMERIS INCOLARUM ET CATHOLICORUM COMPONITUR (1920) . . . . . » 419
SOCII INDIGENAE MISSIONUM INDICARUM ANNO 1920 . . . . . » 420
DINUMERATIO CONGREGATIONUM B. MARIAE V. PRIMAE PRIMARIAE AGGREGATARUM A DIE 1 IANUARII AD 31 DECEMBRIS 1920 . . . . . » 421
NUMERUS DISCIPULORUM AUTUMNO 1920:
I. IN IPSIS PROVINCIIS . . . . . » 422
II. IN MISSIONIBUS . . . . . » 423
MISSIO KWANGENSIS PROV. BELGICAE . . . . . » 424
CATALOGUS DEFUNCTORUM IN SOCIETATE IESU A DIE 1 OCTOBRIS 1919 AD DIEM 30 SEPTEMBRIS 1920. . . . . » 425
INDEX ALPHABETICUS DEFUNCTORUM . . . . . » 445

TABULA RERUM

PARS PRIMA

DE QUIBUSDAM SODALIUM OPERIBUS COMMENTARII

I. — IN MEMORIAM BENEDICTI PP. XV . . . . *Pag.* 451

II. — FESTA LOYOLAEA IN HONOREM S. P. IGNATII PAMPELONAE VULNERATI (1521-1921) . . » 459

III. — ANNUS TERTIUS SAECULARIS AB OBITU S. IOANNIS BERCHMANS (1621-1921) . . . . . » 464

IV. — CONCIONATORUM COLLEGIUM DUSSELDORPIENSE . . . . . » 469

V. — MISSIO AD RIPAS « MAGDALENA » FLUMINIS INSTITUTA . . . . . » 475

Campus Missionis (475) — Origo Missionis et fructus (476) — Conspectus Missionis (477).

VI. — CONSOCIATIONES IUVENUM . . . . . » 478

« Neu-Deutschland » (478) — « Asociación Católica de la Juventud Mexicana » (483).

VII. — RATIO STUDIORUM . . . . . » 486

In Hibernia (486) — In Missione Brasiliae Septemtrionalis (491) — In Provincia Missouriana (493).

VIII. — APOSTOLATUS PRELI (Prov. Toletanae) . . » 494

IX. — DE MISSIONE BETSILEENSI (Prov. Camp.) (1871-1921) . . . . . » 497

Patres Tolosani (498) — Patres Prov. Campaniae (498) — Organizatio laboris (499) — Sacrificia, solatia (500).

X. — MISSIO S. PETRI CLAVER INTER TARAHUMARAS (Prov. Mexicanae). . . . . *Pag.* 501

XI. — MISSIONIS ALASKANAE INITIA ET PROGRESSUS (Prov. Californiae) . . . . . » 509

PARS ALTERA

NUNCII BREVIORES ANNI MCMXXI

I. — DE SOCIETATE IN UNIVERSUM

Chronica Curiae Societatis

Ephemerides . . . . . *Pag.* 517

Catalogus Sociorum est officiorum Curiae Societatis ineunte mense octobri 1921 . . . . . » 521

Vita functi in Curia: P. P. Hernández . . . . . » 524

P. A. Galdos . . . . . » 526

Fr. Ph. Iannarelli . . . . . » 528

Causae et cultus Sanctorum Societatis

Causae. . . . . » 528

Cultus

Mira sanatio aqua S. P. Ignatii obtenta . . . . » 529

De ossibus S. Stanislai ad S. Andreae in Quirinali conservatis . . . . . » 530

B. Petrus Canisius celebratur quattuor ab eius natali saeculis elapsis (1521-1921) . . . . . » 532

Varia . . . . . » 535

Commemoratur gloriosa mors Martyrum Parisiensium (1871-1921) . . . . . » 537

II. — DE SINGULIS PROVINCIIS.

Visitatio provinciarum . . . . . » 539

Visitatio missionum . . . . . » 539

Studiorum superiorum inquisitio . . . . . » 539

Provinciarum administratio

Nominationes Superiorum maiorum . . . . . » 540

Mutati Provinciarum fines . . . . . » 540

Domus novae, instauratae, dissolutae . . . . » 541

VARII NUNTII EX PROVINCIIS . . . . . *Pag.* 544

SPIRITUS ET ASCESIS SOCIETATIS LIBRIS POPULARITER SCRIPTIS IN HISPANIA ILLUSTRATUR . . . . . » 549

CULTUS SS. CORDIS IESU . . . . . » 550

APOSTOLATUS ORATIONIS . . . . . » 552

CONGREGATIONES MARIANAE

Congressus Chilensis . . . . . » 555
Summi Pontificis et Episcoporum favor . . . . » 558
Confoederationes Congregationum et Congressus » 559
Incrementum Congregationum et opera . . . . » 562
In Missione Bengalensi (Prov. Belg.) . . . . . » 564

PRAEDICATIO

Biennium sacrae eloquentiae . . . . . » 565
Dialogi et lectiones S. Scripturae . . . . . » 568
Missiones populares in regionibus, ubi vita christiana tepidior est: In Saxonia . . . . . » 569
In Burgundia . . . . . » 571
Apud francomurarios doctrina catholica explanatur . . . . . » 572

SCIENTIA

Concilium studiis altioribus promovendis in Anglia institutum . . . . . » 573
Speculae . . . . . » 577
Varia . . . . . » 579

BIBLIOTHECA ROSSIANA. . . . . » 579

III. — DE MISSIONIBUS.

ADMINISTRATIO

Novi Episcopi, Superiores Regulares . . . . . » 582
Missiones nuper susceptae; mutationes in Missionibus . . . . . » 583

NUNTII EX MISSIONIBUS

Missio in Albania (Prov. Ven.) . . . . . » 586
Missio in Syria et in Armenia (Prov. Lugd.) . . » 587
Missio Mangalorensis (Prov. Ven.) . . . . . » 588
Missio Bengalensis (Prov. Belg.) . . . . . » 588
Missio Madurensis (Prov. Tolos.) . . . . . » 589
Missio Trincomaliensis (Prov. Camp.) . . . . . » 590
Missio Cantonensis vel Shiu-Hing (Prov. Lus.). » 591

Missio Tcheli Merid.-Orient. (Prov. Camp.) . . *Pag.* 592
Missio Kwangensis (Prov. Belg.) . . . . . » 593
Gentilitatis convertendae studium in Collegiis nostris . . . . . » 593

PARS TERTIA

STATISTICA QUAEDAM ANNI MCMXXI

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE INEUNTE ANNO 1922 . . . . . *Pag.* 599
PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU INEUNTE ANNO 1922 . . . . . » 600
NUMERUS NOVITIORUM SOCIETATIS INEUNTE ANNO 1922 . . . . . » 601
NUMERUS DEFUNCTORUM IN SOCIETATE EX DIE 1 OCT. 1910 USQUE AD DIEM 30 SEPT. 1920 . . . » 603
EXERCITIA CLAUSA VIRIS DATA ANNO 1921 . . . » 604
DOMUS EXERCITIORUM SOCIETATIS ANNO 1921. . » 608
CONGREGATIONES MARIANAE . . . . . » 611
CATALOGUS DEFUNCTORUM IN SOCIETATE IESU A DIE 1 OCTOBRIS 1920 AD DIEM 30 SEPTEMBRIS 1921 . . . . . » 613
INDEX ALPHABETICUS DEFUNCTORUM . . . . . » 629

TABULA RERUM

PARS PRIMA

I. — PONTIFICIA LEGATIO AD SUBVENIENDUM RUSSIAE FAMELICIS CONSTITUTA . . . . . *Pag.* 633

II. — HEBDOMAS ETHNOLOGICA . . . . . » 642

III. — MISSIO IAPONICA IN CALIFORNIAE URBE SANCTI FRANCISCI . . . . . » 646

VI. — P. IOANNES PHILIPPUS ROOTHAAN . . . . . » 649

PARS ALTERA

NUNTII BREVIORES ANNI MCMXXII

I. — DE SOCIETATE IN UNIVERSUM

CHRONICA CURIAE SOCIETATIS

Ephemerides . . . . . *Pag.* 661

Catalogus Sociorum et Officiorum Curiae Societatis mense septembri 1922 . . . . . » 666

CAUSAE ET CULTUS SANCTORUM SOCIETATIS

CAUSAE . . . . . » 669

Causae novae mox incipiendae . . . . . » 671

CULTUS . . . . . » 673

NOMINATIONES PONTIFICIAE . . . . . » 673

II. — DE SINGULIS PROVINCIIS

VISITATIO PROVINCIARUM . . . . . *Pag.* 674
VISITATIO MISSIONUM . . . . . » 675
STUDIORUM SUPERIORUM INQUISITIO . . . . . » 675

PROVINCIARUM ADMINISTRATIO

Nominationes Superiorum maiorum . . . . . » 675
Mutati Provinciarum fines . . . . . » 676
Domus novae, instauratae, dissolutae . . . . . » 676
SOCIETATIS HISTORIA . . . . . » 679

III. — DE MISSIONIBUS

ADMINISTRATIO

Novi Episcopi, Superiores Regulares . . . . . » 680
Mutationes in Missionibus . . . . . » 681

NUNTII EX MISSIONIBUS

ASIA

Missio Bengalensis (Prov. Belg.) . . . . . » 681
Praefectura Assam . . . . . » 683
Missio Trincomaliensis (Prov. Camp.) . . . . . » 684
Missio Iavensis (Prov. Neerl.) . . . . . » 685
Missio Nankinensis (Prov. Franc.) . . . . . » 685
Missiones in provincia Nganhoei . . . . . » 687
Missio Hwaisensis (Prov. Taur.) . . . . . » 690
Missio Ngankingensis (Prov. Leg.) . . . . . » 691
Missio Wuhu (Prov. Cast.) . . . . . » 691
Missio Tcheli Mer.-Or. (Prov. Camp.) . . . . . » 692
Missio Iaponica (Prov. Germ. Inf.) . . . . . » 695

AFRICA

Missio Zambesiana (Prov. Angl.) . . . . . » 696
Missio Kwangensis (Prov. Belg.) . . . . . » 700
Missio Betsileensis (Prov. Camp.) . . . . . » 701
Missio Tananarivensis (Prov. Tolos.) . . . . . » 704

AMERICA

Missio Alaskana (Prov. Cal.) . . . . . » 704
Missio Guianensis (Prov. Angl.) . . . . . » 707
Missio Zambesiana (olim Prov. Lus.) . . . . . » 708

PARS TERTIA

STATISTICA QUAEDAM ANNI MCMXXII

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE INEUNTE ANNO 1923 . *Pag.* 713
PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU INEUNTE ANNO 1923 . » 714
NUMERUS NOVITIORUM SOCIETATIS INEUNTE ANNO 1923 . . . . . » 715
CONGREGATIONES MARIANAE . . . . . » 717
COMMISSIONES AD RECOGNOSCENDUM PRIMUM SCHEMA EPITOMES IURIS NOSTRI CONSTITUTAE . . . . . » 718
CATALOGUS DEFUNCTORUM IN SOCIETATE IESU A DIE 1 OCTOBRIS 1921 AD DIEM 30 SEPTEMBRIS 1922 . . . . . » 725
INDEX ALPHABETICUS DEFUNCTORUM . . . . . » 744
INDEX PERSONARUM ET LOCORUM . . . . . » 747
INDEX RERUM NOTABILIUM . . . . . » 763

PARS PRIMA

DE QUIBUSDAM SODALIUM OPERIBUS

COMMENTARII

I.

APOLOGETICARUM INSTITUTIONUM USUS ET MOMENTUM.

A). — CURRICULUM STUDIORUM PHILOSOPHIAE ET RELIGIONIS PRO LAICIS IN PONT. UNIVERSITATE GREGORIANA. (1918-1919).

Religionis cursus.

Anno litterario 1818-19 in Universitate Gregoriana instituebatur *Cursus superior Religionis pro laicis*, ad propugnationem intimamque christianae doctrinae cognitionem augendam inter cultos civilis societatis homines. Ea ratione Pontificium Athenaeum Gregorianum, studiorum religiosorum sedes, atria aulasque suas laicis quoque aperiebat capiens gravi nostrorum temporum necessitati auxilium ferre, quod esset accommodatum aequalium menti ad christiana instituta informandae. Res vehementer placuit delectae coronae iuvenum Romanum Athenaeum, quod Sapientia dicitur, celebrantium atque civium ingenuas artes profitentium, qui magis late penitusque in cognoscenda religione excoli avebant ; centum et triginta rite in tabulis cursus inscripti sunt eumque constanter frequentarunt.

Academia.

Aliquot imo ex his academiam politioris studii religiosi iniverunt, in qua socii aciem intellectus domestica veluti et umbratili exercitatione acuerent, agitantes quaestiones modo ex philosophiae spatiis modo ex apologetices fontibus positas, ut postea mediam in societatem reducti pro veritate palam di-

micarent. Ineuntibus praelectionibus, quaedam argumenta singulari in certamine evolvenda proposita sunt, et academicorum manus periculum fecerunt earum rerum, de quibus per annum disceptatum fuerat. Actum enim est de iis philosophicis principiis quae praeponuntur quaestionibus de religione, nimirum de humana cognitione, de Deo existente, de spiritu, de libertate, de immortalitate animorum.

Institutionum curriculum.

Felix exitus apologetici cursus, desiderium quoque summae auctoritatis virorum atque etiam quorundam ex auditoribus ut cursus magis absoluta magisque solida ratione confirmaretur, praeterea huiusce aetatis necessitas, indigentis arcana religiosa propius penetrare pro temporum praesentium habitu, haec omnia suaserunt, ut crearetur quaedam studiorum palaestra ad mentem plenius excolendam philosophicis ac religiosis notionibus, italice appellatam *Istituto di Coltura filosofica e religiosa.* Hanc visum est iungi Pontificiae Universitati Gregorianae, ab eius Consilio Moderatorum regi atque lectoribus sustentari.

Finis.

Nova palaestra id sibi praestituit, ut christianam veritatem, quae multiplici forma sese manifestat quamque ab antiquitate traditam possidemus, propugnet, Ecclesiae magistrae vestigia premens, quae longo saeculorum ambitu idem aeternum verum societati humanae, praesertim vero auditoribus Universitatum, cognoscendum obtulit ac sancte custodivit. Agedum his nova palaestra apparatum scientiae religiosae suppeditabit, quo eorum sciendi cupiditati satisfiat, fides ac profana eruditio simul concordent, animus defendatur, ne qua erroris insinuatio illum inficiat, vires unicuique augeat ad fovendum progressum intelligentiae rerum christianarum.

Studiorum ratio.

Ut finem tam amplum et gravem consequerentur lectores Universitatis, has disciplinas tradere et apta institutione ordinare statuerunt, quarum aliae ut praecipuae, aliae ut auxiliares haberentur. Praecipuae sunt: curriculum philosophiae

sapienti constantique methodo seu ratione distributum, quod in duas dividitur partes, alteram philosophiae rationalis, alteram psychologiae empiricae ; item curriculum apologiae religionis ad quam philosophia mentem praeparavit. Auxiliares vero recensentur, cursus biblicus, historicus, iuridico-socialis.

Non deerunt extremo anno pericula disciplinarum ab auditoribus facienda ; et ne haec vacua omnino videantur, ii qui illa superarint diplomate ornabuntur, quod et honori non parvo erit et forte commendationi esse poterit ad obtinenda quaedam munia in coetibus operibusque catholicorum.

Circulus.

Quia autem ingenium industria alitur et quia bonorum fidei hodie impii versute insidiantur, ideo circulus utriusque disciplinae, philosophiae nempe et apologetices, instituitur, quo iuvenes et ad sanam doctrinam pro suggestu recte docere discant et religionis documenta, qua voce, qua scripto, fortiter tueantur.

Consultationis sedes.

Denique si unquam antea, nunc praesertim, cum libido omnia ad trutinam revocandi videtur imperium mentium tenere, homines quaerunt de suis dubiis et difficultatibus in veri investigatione obortis cum alio conferre, ut quae solvere nesciunt ea ille ipsis enodet. Multa quoque religio docet intellectu ardua, quae non in publicis concertationibus, sed in privatis tranquillisque colloquiis, in quibus contrarii animorum motus locum non habent, facile explicantur et persuadentur. Quae cum ita sint, in nova palaestra sedes est consultationis (*Segretariato di consultazione*), ad quam quilibet accedere potest statis horis, ut voce vel scripto quae rescire cupit proponat. Palaestrae lectores pro sua quisque disciplina interrogationibus respondent.

Sanctae Sedis favor.

Cum Rector Universitatis et Praefectus studiorum die 18 mensis iunii Cardinalem Caietanum Bisleti, Praefectum S.C. Seminariorum et Universitatum adiissent, consilium novae palaestrae addendae Gregoriano Athenaeo ipsi manifestaturi,

ab Eminentissimo Principe hoc tulerunt responsum: sibi opus maxime probari: immo se velle, in eo publice nuntiando omnes certiores fierent de sua « alta plenaque approbatione ». Quanti id fecerit Summus Pontifex relatum est in *Actis Romanis* III (1919) 32, ubi Apostolicas Litteras exscripsimus.

Praelectionum initium.

Die 20 mensis novembris initium novae palaestrae in aula magna Universitatis factum est. Haec iuvenum ac virorum referta erat, quibus praeerant Emus. Card. Ludovicus Billot, RR. Episcopus Lampsacensis, qui Rector est Pont. Seminarii Lateranensis, R. Pater Noster. Alumni ducenti inscripti sunt.

Publicae dissertationes.

Quae hactenus attigimus ad alumnorum duntaxat curricula certo ordine constituta spectant. Verum quia non omnes palaestram frequentare possunt et scientiae religiosae desiderium hominum animos mirifice pervadit, quia etiam ubique magnis in urbibus publicae habentur cathedrae, unde doctrinarum principia et consequentia ad populi captum solute vulgantur, ideo nostrae palaestrae moderatores huic quoque parti providere non omiserunt. Et primum indicitur quotannis in maiore aliqua urbis aula praecipuus quidam cursus publicarum dissertationum de quaestionibus religiosis (*Corso pubblico di alta cultura religiosa*), cui interesse omnibus civibus integrum est.

Bibliotheca.

Accedit deinde Bibliotheca scientifico-religiosa, potioribus adornata periodicis voluminibus (Riviste) atque aliis id genus litterariis operibus. Ex hac libri suppeditantur, vel ad consulendum intra eius conclavia (*biblioteca di consultazione*), vel ad asportandum tantisper domum (*biblioteca circolante*). Duplex index, prior auctorum ex ordine cognominis, posterior argumentorum, facilem promptamque reddunt librorum inquisitionem.

Scriptiones publicae.

Tandem in lucem prodibunt scriptiones, quarum aliae e praelectionibus eo anno habitae desumentur, aliae ex iis alu-

mnorum Circuli lucubrationibus, quae esse absolutis numeris elaboratae iudicabuntur, aliae a quolibet oblatae qui lucem afferre cupiat christianis institutionibus.

Res per Italiam diffunditur.

Romana palaestra multorum studia in Italia excitavit. Eam illico imitatus est Patavinus noster Universitatis auditorum Convictus. Ibi nomen habuit *Istituto Superiore di Coltura religiosa*, eademque sunt curricula, cursus, circulus, bibliotheca ac Romae. Superior Convictus cuncta moderatur; sed praesides creati sunt ex eruditissimis doctae urbis viris. Lectores quoque nono mnes Nostri, sed e clarissimis item doctoribus patavinis delecti. Episcopus non solum fautor, sed, pene dixi, conditor huius scholae sua liberalitate vocari potest. Mensa nummaria Antoniana obtulit tria praemia pro optimis alumnis, primum 500 libellarum, alterum 300, tertium 200. Die quarto decembris, selectissima procerum ac civium adstante corona, auspicatum est.

Moderatores quoque rei catholicae atque adeo nonnulli Episcopi, rationem romanae institutionis admirati, consilium animumque admoverunt, ut eam sequerentur in novis id genus cathedris condendis.

B). — CURSUS APOLOGETICUS PRO ERUDITIS ACATHOLICIS INCEPTUS IN NOBILIBUS QUIBUSDAM NEERLANDIAE URBIBUS. (1917-1920).

Ante tres fere annos iussu et auctoritate Praepositi Provinciae Neerlandicae, initium factum est cursui Hagae Comitis annis 1917-18 et 1918-19, anno 1918-19 Amstelodami, tandem anno 1919-20 Rotterodami, Amstelodami, in oppido Baarn, Hagae Comitis, Lugduni Batavorum, Ultraiecti, Neomagi.

Distributio operis.

Cursus ipsi non tam dogmatici quam ad vitam accommodati et, quantum fieri potest, pii esse volunt. Conantur Patres « in ostensione spiritus» (1) auditores elevare atque urgere ad exem-

(1) I *Cor.* II, 4.

plum Christi Domini sequendum. Convenitur decies vel duodecies per duas circiter horas in locos pro diversis urbibus diversissimos, vel in aulam publicam ad hunc finem conductam, vel in Residentiam Nostrorum, vel in domum parochi, immo etiam in domum privatam alicuius protestantis. Post primam horam seu partem lectionis, interquiescunt praeceptores in cubiculo adiacenti, alii soli, alii cum uno alterove ex auditoribus colloquentes.

Tempus aptissimum, immo solum, ut creditur, aptum est tempus hiemale, a mense octobri usque ad festum Paschatis. Per aestatem enim multi eorum, qui solent adesse, urbem aliquandiu relinquunt.

Patres qui degunt in ipsa urbe, ubi praelectiones habentur, cunctis adeundi se dant copiam eosque, si opus est, invitant. Complures tamen, cum aliquarum horarum itinere ab urbe absint, colloquii vix ulla fruuntur opportunitate. Si directo agitur de reditu ad religionem catholicam, Patres debent ad alios sacerdotes remittere auditores, qui interdum per unum aut plures dies remanent in urbe, ubi lectiones audierunt.

Auditorum conditio.

Auditores facultatem publice interrogandi non habent. Neque, generatim loquendo, utile videtur hanc facultatem in posterum praeberi. Nihilominus aliquando exceptio fit. Sic propter nimiam efflagitationem hoc anno Amstelodami, post ultimam lectionem, semel potestas interrogandi facta est. Idem singulis vicibus concedi poterat in oppido Baarn, quia ibi in domo privata conveniebant homines inter se noti et nonnisi summae conditionis.

Acatholici convocari solent per suas ephemerides ; dein qui nomen semel dederunt, quintodecimo quoque die privatim accipiunt tesseram admissionis, quae ostendenda est, antequam quis aulam ingrediatur.

Ut haec omnia rite procedant et ne opus sit ipsum oratorem eiusmodi curis occupari, coetus virorum conflatur, cui haec demandentur et munus quoque sit mittendi ad conventum semper saltem unum e sociis. Qui coetus ab initio ferme mixti fuerunt, ita ut pars esset catholica pars vero acatholica. Praestare tamen videtur, ut sint viri catholici tantum. Rot-

terodami haec admixtio suas genuit difficultates. Acatholici enim per acerrimas epistolas agitati, quas scribebat in quadam ephemeride pastor, postulaverunt ne religionis mutatio directo provocaretur, neve protestantes allicerentur ad assistendum Missae Sacrificio, aut publice invitarentur ad Exercitia Spiritualia peragenda.

Si quaeritur cuiusnam religionis sint auditores, omnino respondendum est, omnium sectarum asseclas ad audiendum confluere : praevalere tamen protestantes, quos appellant, modernos, qui interrogati quid credant, facile respondent, se hanc atque illam religionem sibi finxisse. Neque desunt Calvinistae presse dicti, qui solent esse valde religiosi, una cum pantheistis, atheistis, theosophistis, Iudaeis. Hae infinitae varietates multo utique difficilius reddunt munus oratoris, quippe qui omnibus omnia esse desideret.

Notandum est, Lugduni Batavorum et Ultraiecti praelectiones fuisse studiosis Universitatis accommodatas, aditu tamen aliis non interdicto. Ceterum adsunt homines omnis aetatis ; aetas praevalet, quae a vigesimo ad quadragesimum annum accedit.

Initio cursuum pars auditorum longe minima videtur esse amica ; sed sensim sine sensu, quantum iudicare licet, ii qui constanter redeunt, mentem in melius flectunt. Multi veniunt sola fama permoti, quorum alii manent indifferenti animo, alii ingenue fatentur, se tale quid minime sibi exspectasse. Numquam fere interrumpunt oratorem; ratio contra, quam in auscultando sequuntur, est plane urbana. Admirationem ciet attentio, qua per duas ipsas horas loquentem diligentissime audiunt.

Incipiunt quidem Patres dicere, nulla praemissa precatiuncula, sed nonnunquam, ubi commode accidit, interserunt colloquium cum Domino nostro inter ipsam doctrinae expositionem. Alii auditoribus suis tradunt dictorum epitomen, alii id recusant ; utrique tamen diverse agunt, optimis rationibus nixi pro discrimine locorum, hominum, adiunctorum. Alicubi schedulae distribuuntur, in quibus libri catholici ad materiam modo tractatam spectantes indicantur. Insuper prope aulam adest bibliopola, qui libros illos praesto habet.

Praelectionum methodus.

De ipsa methodo et maxime de ipsis argumentis a praeceptoribus prolatis in universum dicere perdifficile est, quia suo quisque ritu sua omnia ordinat. Attamen si unum excipias, qui multo manifestius quam ceteri *dogmatice* rem tractat, cursum primum Hagensem prae oculis omnes habuerunt, qui hanc seriem sibi sequendam praestituit:

1. Per creaturas ad Creatorem, per Creatorem ad finem creaturarum ascendimus.
2. Fine suo spreto, creaturae humanae in dolorem ruunt: unde conversio finis hominis: per crucem ad lucem. Christus Redemptor crucifixus.
3. Christus Dei Legatus.
4. Christus vere Dei Filius: Deus.
5. De evolutione doctrinae christianae.
6. De Ecclesia et de hierarchia.
7. De accessione ad veram fidem in catechumenis. Liturgia baptismi adultorum et confirmationis.
8. De ultima coena et de liturgia Missae Sacrificii.
9. De resipiscentia peccatoris in tribunali poenitentiae. De filio prodigo et de extrema unctione.
10. De iustificatione *quantitativa* et de doctrina Karma orientali; de purgatorio et de indulgentiis: de inferno et de caelo.
11. De cultu et intercessione Sanctorum.
12. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

Structura et fundamentum allocutionum est argumentatio ex ratione deducta, solidissima et ad perfectam scientiam exacta. Auditores prima vice vix omnes illud capiunt; se tamen praeceptori permittunt, quia is memor, se esse virum inprimis religiosum, pie omnia proponit, et ita cum Deo coniunctus animos movet eosque lucratur.

Hac ratione hominibus doctis atque excultis aequilibritas redditur, qua quantopere careant, vix credas, nisi videas. Solis ceteroquin ratiociniis apologeticis, quae evolvere sat facile est, pauci admodum dant manus. Evangelii enim explanatio opus omnium divinorum divinissimum est. Ideo Patres

hoc munere fungentes quamquam pro singulorum indole haud parum inter se differunt modo agendi et loquendi et ratiocinandi, hac tamen de re concordes sunt, nimirum ut velint esse apostoli.

Initio de nulla re nobis constare fingendum est, et unum saltem argumentum, quo Deus esse ostendatur, proferendum : secus ab ipso limine excludas atheos. De inferno poenisque aeternis aperte, sed suo loco et prudenter loquendum. Disputationes quaedam historicae, ut sunt quaestio semper ardens Galilaei vel noctis quae dicitur S. Bartholomaei, per transennam attinguntur, quippe quae aliis valde notae, aliis fere ignotae sint.

Iuvat animadvertere, nonnullos Patres lectiones suas ita de industria disponere, ut in prima hora materiam alio prorsus modo versent, quam in secunda. In prima quidem praecipue docent, in altera quasi meditantur ; in illa veluti sistunt, in ista resident.

Neque contenti sunt oratores, ut aliquam intelligentiam doctrinae catholicae habeant auditores, sed longius excurrunt proponendo atque evolvendo summae virtutis praecepta et exempla, altiorem quoque perfectionem in vita religiosa facilius acquirendam, cuius excellentiam ac felicitatem ostendunt ; verbo, nihil non arripiunt, quo Ecclesiae Catholicae eximiam facultatem edûcandi humanos animos probent atque illustrent.

Non sunt polemici : neminem, ne perditissimum quidem hominum, palam aggrediuntur, immo dum opiniones longissime a nobis errantium refellunt, hominibus ipsis prudenter parcunt. Eiusmodi agendi rationem necessariam esse videbis, statim ac spectaveris singularem hac in re aequalium nostrorum mentem. Haec enim, saltem in Neerlandia, valde mutata est ab illa, quam non raro sibi proponere videntur philosophi ac theologi, ceteroquin optime meriti. Nam neque est eadem ac illa, qua erant rerum credendarum eversores saeculo decimo sexto, sed multi ad saniora iudicia redierunt, multa quae olim displicebant, nunc homines attrahunt, ut sunt liturgia, cultus Beatae Mariae Virginis, sacramentum poenitentiae, cura sacerdotalis. Hostis omnium potentissimus, ut aetate Christi Domini Nostri, ita in praesentia est *indifferentismus* et par omnium religionum aestimatio.

Fructus.

Cursuum fructus praecipuus est, omnes, etiam qui plus minus infesti manent, de rebus catholicis prorsus aliter sentire ac antea. Praeiudicia deponunt, eaque apud alios impugnant. Insuper multo magis colloquuntur inter se acatholici de Religione nostra, et ita viam sibi sternunt ad capienda saniora consilia.

Numerus iam nunc auditorum omnino congruere videtur tempori, quod Patres privatis colloquiis possunt impendere. Multitudinis mutatio in posterum utique exspectanda, cum mox hominum existimatio, ut sperare licet, Deo iuvante, in nostrum favorem vertetur, ut ex signis haud paucis coniicere iam possumus. Nam, ut de aliis taceam, non minimum illud est, quod ipsi protestantes certa quadam sollicitudine scripserunt, Neerlandiam, paradisum olim Calvinistarum, heu esse redituram ad matrem Ecclesiam Romanam, Catholicam!

II.

PESTILENTIA CONFLICTATIS NOSTRI OPEM FERUNT.

(1917-1919).

Cum peregrinum pestilentiae genus anno 1917 e castris Russiacis, ubi videtur incepisse, in reliquam Europam aliasque continentes magnam partem grassatum esset, Nostri praesertim sacerdotes de salute animarum et corporum in extremo discrimine versantium solliciti atque imitandi praeclara maiorum exempla studiosi, se curae aegrotorum ultro ac vero cum Christi amore impenderunt. Quia tamen non ubique eadem vis morbi fuit, et nonnullae litterae ad nos non pervenerunt, similia vero, si saepius repetuntur, fastidium legentibus pariunt, ideo nemini offensionis occasionem praebeat haec narratio, si solum praecipua et inusitata prosequetur, omissis ceteris.

In Provincia Romana et Taurinensi.

In Collegio Stratensi (Strada, Prov. Rom.) tres flosculos Deus ex suo viridario sibi legit, scilicet famulum annos quin-

decim natum et duos adolescentulos convictores, e quibus unus nostris in ulnis, alter domi suae ad caelum evolarunt. Illis tristissimis diebus pax et spiritus Sodalibus non defuere, neque ab acquiescendo divinae voluntati unquam abstinuerunt, interdum hilares visi sunt. Omnes praesto erant, quocumque vocarentur ab oppidanis, ut sacramenta morituris ministrarent et, cum opus esset, vita functos efferrent. Cum Collegium medicamentis satis esset instructum, ea populo quoque libenter suppeditabat, cui apud pharmacopolam cito defecerant. Accidit etiam, ut alumnorum aegrotantium parentes, cum illos invisendi gratia Stratam venissent, eodem corriperentur morbo. His in publico diversorio vel in domibus privatorum decumbentibus Nostri quotidie adfuerunt, remedia et lac, quanto unusquisque indigebat, afferentes. Animum suavissime permovent epistolae, quas ut gratias Patribus agerent familiae Rectori scripserunt.

In residentia Ytuensi Brasiliae Centralis (Ytù, Prov. Rom.) mortem oppetiit P. Bassanus Faini, vir a labore invictus, qui sua eximia caritate occidit, dum lue grassante, aegrotis strenuam navat operam. Eius obitum tota urbs deflevit.

Mense martio hanc ex eadem Brasilia Centrali epistolam accepimus: « Ad aures R.ae V.ae procul dubio pervenit, totum Flumen Ianuarium (Rio de Janeiro) contagione ita flagrasse, ut uno mense triginta quinque millia capitum perirent, dum amplius quingenta millia in universa Republica vita fungebantur. Portum obtinuit aerata navis americana, cui nomen est *Pittsburg*, ubi mille et quadraginta classiarii aegrotabant. Eos adiit quidam e Nostris, qui illico praefectorum militum venerationem et amorem sibi conciliavit. Neque ipse protestantium administer veritus est, Patrem circum ducere, ut ei indicaret quinam essent catholici. Saepe illuc itabat, multis profuturus, et animos imperatori, qui vix non desponderat, addidit. Quinquaginta sex homines in navi decessere. Ut morbus remisit, Pater rogatus est, ut vellet ad navigium venire. Paruit ille, et cum ad molem pervenisset, excipitur parva in cymba a quatuor centurionibus, qui insignia militaria maxime conspicua induebant. Ut bellicae navis tabulatum conscendit, miratur omnes cohortes pulcherrimis vestitas ornamentis, hinc inde longis agminibus sibi adstare. Eum imperator suis

cum tribunis excepit, et milites omnes ante ipsum arma, honoris causa, ostenderunt. Mox idem imperator Patri nomine Civitatum Foederatarum gratias egit eique horologium ex auro perfectoque artificio confectum donavit, in quo haec incisa legebantur: « Civitates Foederatae R. P. Edmundo Monsaert»; demum addidit se summos Foederatarum Civitatum Magistratus certiores facturum esse de opera, quam ipse nautis americanis, dira calamitate oppressis, navaverat ». (S. Paulo, 14 dec. 1918)

Quae acta sunt Novariae (Novara, Prov. Taur.) et Romae, videsis *Acta Rom.*, II (1918) 641 sq., ubi retulimus quoque obitum P. Petri Rocca, qui Bogugni (Bogogno, Prov. Taur.) vitam pro infirmis profudit.

In Provincia Germaniae.

Patres germani quoque in Brasilia Meridionali per eam occasionem optime de Republica meriti sunt, et qui aegrotis inservierunt, ex iis ne unus quidem ullibi adversa est usus valetudine.

In Collegium Florianopolitanum (Florianopolis) morbus cum incidisset et non minus Nostros quam alumnos afficeret, complures his ministrare praesto fuerunt. Ad haec Patres per multas hebdomadas quotidie pauperibus suppeditarunt triginta vel quadraginta lactis amphoras.

Domum missis ob contagionis periculum alumnis, aedes Seminarii S. Leopoldi (São Paulo) in nosocomium versae sunt, ubi Patres et nonnulli Scholastici aegrotis fere centum opitulati sunt. Dum haec geruntur, alii privatorum domicilia eiusdem rei causa adeunt, et tam grata fuit omnium Nostrorum sollicitudo, ut Rector Seminarii sequens litterarum testimonium obtinuerit:

E castris S. Leopoldi, die 26 dec. 1918.

PRAEFECTUS TRIGESIMAE COHORTIS
RECTORI SEMINARII PROVINCIALIS SALUTEM.

Cum iam causa amplius non esset retinendi convalescentes in aedibus Seminarii, quas R.ª V.ª liberalissime ad id officii destinaverat, iussi valetudinarium cessare et domum cum omni supellectile Patribus restitui.

Quaestoris militaris erit aes alienum solvere, quod ex constitutis mercedibus aliisque impensis factum fuerit.

Militum autem praefectus omittere nequaquam potest, quominus manifestes, R.m V.m et ceteros qui ad Societatem pertinent iure merito ab ipso repetere posse officia animi gratissimi, quippe qui in difficillimis et asperrimis temporum adiunctis, cum nempe insidiosa et mortifera febris urbem funestaret, summo studio et pari amore suique abnegatione non solum militibus, verum etiam omne genus civibus sublimem humanitatis sensum ostenderint, opem salutemque attulerint.

Gratiarum participes in primis esse velim Patres Josephum Rodi et Theodorum Treis simul cum Fratre Nicolao Ritter, quorum animum, sui plene oblitum, perspectum habui, quique e memoria aegrotorum numquam excident propter paternam comitatem, incredibilem sollicitudinem, liberalitatem et cum pietate coniunctam urbanitatem plane nobilem et exquisitam, quas omnes virtutes caecus sui amor, hac nostra aetate imperitans, procul a civili consortione amandavit.

Omnibus iterum gratias ago.

Vale et me fratris instar habeas.

OCTAVIANUS AUGUSTUS Dr. MOTTA
Praef. maior cohort.

Amplius duobus millibus languentium inviserunt Patres Collegii Pelotensis (Pelotas), medicorum remedia et religionis munera largiti tum duobus in nosocomiis tum privatis in domibus.

Ut vis morbi in civitatem Portualacrensem (Porto Alegre) incessit, Rector Collegii suam suorumque omnium operam Magistratui obtulit. Nihil huic gratius accidere poterat, quam auxiliares viros habere, nihilque Nostris iucundius, quam promissis stare. Cum autem inservissent praesertim militibus, ab horum praefecto et a supremo Status Curatore humanissimas Rector accepit litteras, quas iuvat hic, sermone latino redditas, subiicere.

LEGIONIS PRAEFECTUS RECTORI COLLEGII PORTUALACRENSIS SALUTEM.

Portu Alacri, die 21 nov. 1918.

Cum militum imperator vehementer fuerit delectatus singulari amoris significatione, quam legionibus exhibuerunt tum R. V. tum eius Sodales, salutis veri procuratores, dum in nosocomio castrorum saeviebat pestis; exstincta iam lue in urbe quae huius Status caput est, gratiae debitionem solvit et aeternam profitetur memoriam se esse servaturum munerum, quae in militari statione obivistis; simulque R.m V.m rogat, ut de hoc iustitiae officio edocere velit optatissimos Fratres, quos ipsa in opere tantae in proximum caritatis perficiendo socios habuit.

Vale, et me fratris instar habeas.

ALPHONSUS AEMILIUS MASSOT
Praef. legionis.

ADMINISTER A SECRETIS STATUS, NEGOTIIS INTERIORIBUS ET EXTERNIS AGENDIS PRAEPOSITUS, RECTORI COLLEGII PORTUALACRENSIS SALUTEM.

Portu Alacri, 6 dec. 1918.

Cum supremus magistratus probe cognovisset eximia merita R^ae. V^ae. ac Sociorum eius erga aegrotos, contagione in hac urbe capite saeviente, quippe quod a vobis laudabile initium factum esset strenue famulandi militibus huius praesidii; eius nomine iussus sum hisce litteris animum ipsius gratissimum ostendere ob summam vestram in milites humanitatem atque observantiam.

Rogo R.^m V.^m ut Patres Fialho, Bombardelli (1), Wernerum von und zur Mühlen (2), Clementem Rehm (2), Carolum Doppler (2) et Brunonem von Marquardt (2) necnon Fratres Maristas Liborium (3), Aloisium, Bernardum (3), Alfredum Felicem (3), Michaëlem Alfredum (3), Iosephum Prosperum (3),, Placidum (3), Ioannem Burlefinger (4) et Claudium Iosephum (3) certiores faciat summos huius Status Curatores gratias ipsis agere propter benignitatem, qua cum militibus usi sunt.

Vale, fratrisque instar me semper habeas.

PROTASIUS ALVES
Praef. legionis.

Aegrotantibus aliquibus Fratribus Coadiutoribus et famulis Collegii S. Ignatii Amstelodami in Provincia Neerlandica Patres, omnes indiscriminatim et Scholastici occasionem libentissime captarunt domestica munia exercendi, ut lavandi quoti die lances in culina et id genus alia.

In Missione Bengalensi cum quindecim millia christifidelium saevo morbo correpti fuissent, boni Patres, confectis quaquaversus itineribus bene longis nihil curae omiserunt, ut morientibus subvenirent et animas in caelum inferrent.

In Provincia Franciae et Tolosana.

In Collegio Jerseiensi (Jersey) ducenti et decem alumni, quindecim Patres, undeviginti famuli lecto tenebantur. Nuncupato voto honori S. P. Ignatii, omnes convaluerunt, duobus Patribus exceptis. Unus e pueris dum sacram unctionem reciperet exclamavit : « Scio Beatam Virginem mihi valetudinem

(1) Sacerdos saecularis.
(2) E Societate Iesu.
(3) Fratres Maristae.
(4) Coadiutor temporalis Societatis Iesu.

esse restituturam, quia volo fieri sacerdos». Ipsi alumnorum parentes aegrorum ministri vices agebant, quorum unus, cui filius, alumnus noster, in clade maritima anno 1915 perierat, petiit ut noctu infirmis invigilaret.

Primis anni 1919 mensibus morbus in insulam Madagascar illatus est. Patres Tolosani utriusque Missionis, Tanarivensis et Betsileensis, fere omnes aegrotarunt et nihilominus indigenas febri tactos invisere per ardua viarum, superata strenue ac feliciter defatigatione, minime omiserunt. Dimissis scholis, Rector Collegii et praefectus studiorum partibus Patrum in pagos excurrentium promptissime functi sunt. Cum autem totius coloniae magistratus imperasset, ne quis hominum coetus cogeretur, iussum quoque est templa veri Dei claudi, quod magnam attulit difficultatem administrandi sacramenta et cultum divinum provehendi.

In Provinciis Castellana, Legionensi et Lusitana.

Lues in ipsum Collegium Maximum Oniense (Oña, Prov. Cast.) tam dire prorupit, ut centum viginti e Nostris infecerit, quorum tres interemit, videlicet unum Scholasticum et duos Fratres rei domesticae adiutores. Eluxit ea occasione caritas nostrorum invenum, qui alacri animo officia omnia, licet abiecta et humilia, aegrotis religiose praestiterunt et infimis domus ministeriis quotidianam operam dare minime cunctati sunt.

Quid egerint Patres Collegii Bogotensis (Bogotà-Colombia, Prov. Cast). accipitur ex hoc ministeriorum conspectu subiectisque notis :

	In domibus privatorum	In nosocomiis
Confessiones	761	2251
Extremae Unctiones	173	691
Communiones.	—	5471
Conciones	—	142

In omnibus nosocomiis primo mane Deo communiter dedicabatur novus dies, Sacrum fiebat, mariale rosarium omnes recitabant. Dein necessaria aegrotis procurabantur. Duo e Nostris noctem quoque ducebant prope illos, parati religionis auxilia conferre. Alius praeerat decem tricliniis, quae a

caritate appellabant, ubi gratuito remedia distribui et mensa circiter quinque millibus adultorum et duobus millibus adolescentium bis in die apponi solebant. Hinc merito Archiepiscopus Bogotensis hanc dedit epistolam :

Bogotae, postridie kal. dec. 1918.

RECTORI COLLEGII S. BARTHOLOMAEI SALUTEM.

Doctor Restrepo mihi ostendit indicem ministeriorum, quae Patres e Societate peregerunt tristissimis communis aegrotationis diebus, quae nunc, Deo favente, dilabitur.

Compertum iam habebam ex sacerdotibus, monialibus a Caritate multisque aliis, quanta cura Patres sese illis devovissent, nulla praetermissa diligentia nulloque loco neglecto; quod quidem in me admirationem non tam movit, quam auxit, et novam addidit causam non solum conservandi amoris, quo erga Societatem eiusque filios iam inde a puero magnopere ardebam, verum etiam illius augendi...

✠ BERNARDUS
Archiep. Bogotensis.

Vallisoleti (Valladolid, Prov. Leg.) sacerdotibus in hoc pietatis munere non parvo auxilio Nostri fuere, ita ut E.mus Cardinalis Archiepiscopus eos singulari laude sit prosecutus.

Mense maio pestilentia pagum S. Martini, ubi sita est Schola Apostolica Provinciae Lusitanae, invasit. Per eam occasionem nostri Sacerdotes, Scholastici et Fratres Coadiutores atque ipsi alumni cum scivissent nonnullas familias neminem domi validum habere, qui ceteris aegrotantibus famularetur, sese omnes magistratui ultro obtulerunt ad operam suam illis navandam. Attamen municipii rectores et medicus, grati erga Sodales, noluerunt eos prudentiae causa admittere. Sed accidit, ut parochus abesset et vicini oppidi curio eiusque adiutor aegrotarent. Ne igitur pagus S. Martini beneficio sacerdotis careret, Patribus omnibus magna sui abnegatione munera religionis ad infirmos deferre licuit. Nemo sine sacramentis obiit. Cum quaedam vidua in eo esset, ut animam ageret et sacra tamen auxilia pertinax recusaret, eam Patres ferventibus ad Deum precibus commendarunt. Mirum, vix transacta hora, illa resipuit et refecta SS. Corpore D. N. Iesu Christi paucis momentis post obiit.

Ubi Patres publicae necessitati non sufficiebant, sodalium marianorum opem adhibuerunt. Possunt exempli gratia haec

referri, quae Superior Residentiae Paraënsis (Parà-Brasil, Prov. Lus.) scripsit de Sodalitatibus B. Mariae V. in sacello domus nostrae sedem habentibus : ut primum die 21 octobris in civitatem grassata esset contagio, Congregationem feminarum, quae dudum iam coetum e sociis instituerant, pauperibus infirmisque iuvandis destinatum, invisere mane ac vespere quotidie aegrotos coepisse, civibus vehementer plaudentibus ; earum exemplum subsecutas mox esse alias Congregationes nostras virorum nimirum ac iuvenum ; additionum ad infirmos fuisse duodecim millia, in iisque copiose suppeditata esse pecuniam, remedia, alimenta, vestes ; fere omnes tamen dum aliorum valetudini recuperandae inserviunt, suam amisisse, et nihilominus statim ac convaluissent ad intermissum opus alacriter reversos esse.

Patres quoque Collegii Recifensis (Recife-Brasil, Prov. Lus.) minime se abstinuerunt, quominus infirmis inservirent, licet vel inter ipsos morbus serperet. Mira tamen Dei providentia factum est, ut ii qui aliis ministrarent, nihil passi sint. Horum cura multis utilissima fuit, quippe qua morituri sacramenta, infantes baptismum, illegitimi coniuges connubia secundum christianae legis praecepta invenissent.

In Provincia Canadensi.

Ut anno superiore indicavimus, Sodales Canadenses omnium ordinum admirationem sibi conciliarunt, lue in populum ingruente. Gratum est hic e gallico sermone in latinum versas referre litteras, quibus Archiepiscopus S. Bonifacii, Arthurus Béliveau, respondet Rectori Collegii, quod in ea urbe Societas habet, offerenti omnes Nostros infirmis curandis.

S. Bonifacii, die 6 nov. 1918.

Optatissime Pater,

Modo allatae ad me sunt litterae quas hodie mane R.ª V.ª mihi exaravit.

In iis Patrum magnanimitatem deprehendi et antiquam Societatis consuetudinem cognovi. Quare gratias ago quam plurimas. Ad operam a Scholasticis navandam quod attinet, statim nosocomii moderatores interrogabo, ac postea R.m V.m certiorem faciam, quid facto opus sit. Patres vero domi retinere adhuc velit, cum in praesentia sufficiat quotidiana sacerdotum,

qui habentur, cura. Meum enim esse reputavi, Patres a periculoso ministerio redimere, quoad mei sacerdotes in illud libenter incumberent. Si tamen necessitas auxilii orietur illi nobiscum adlaborabunt.

Diu multumque oremus, cum sortes nostrae in manibus Dei sint.

R.ae V.ae amanter benedico.

✠ ARTHURUS.
Archiep. S. Bonifacii.

Iamvero octo Scholasticii pio muneri se devoverunt, e quibus quatuor febri graviter sunt conflictati. Mox duo quoque Patres additi, qui animis aegrotantium succurrerent.

In Provinciis Californiae, Missouriana et Neo Aurelianensi.

In urbe San José (Prov. Calif.) ne una quidem ex familiis, quae se SS. Cordi Iesu dicaverant, laboravit. Missoulae (Missoula, Prov. Calif.) vero quotquot diem supremum obierunt, a Patribus sacramentis Ecclesiae muniti sunt, praeter unam mulierem, cuius maritus acatholicus impedivit, quominus sacerdos illi accederet.

Exitiabilis febris Eskimis quoque Alaskae Borealis, (Prov. Calif.) iniecta est, quorum clades eo maior fuit, quo minus frequens est populus. Nostri vires ipsi suas geminarunt, ut omnibus succurrerent. Sed ut vix ducentos invenirent incolas (neque enim eorum pagi solent multo pluribus constare), Pater debebat saepe ante canes trahae incedens complura millia passuum pedes emetiri, ut praelongis, quibus calcebatur soccis, nivem terendo semitam illis faceret.

Cum pestilentia urbem Chicago (Prov. Missour.) invaderet, tres sacerdotes in nosocomio operam aegrotis navabant, ita ut quisque ibidem octo horas transigeret. Crescente vero febri, diu noctuque properandum erat: duo horas decem vel duodecim, tertius vero, cui excubiae agendae erant, duodeviginti vel viginti in laborem non interrupte incumbebant. Sed, Deo favente, ne unus quidem catholicus ibidem e vivis decessit, quin ei suum ministerium sacerdos praebuisset. Quod primo tempore soli fuimus, qui auxilium religionis praestaremus, id non defectui virtutis et abnegationis aliis tribuendum est; sed, perspecta morbi natura, alia nosocomia, sic iubente magistratu, febri vexatos iam non excipiebant, qui propterea solum a nobis auxilium sperabant. Hinc labor indefessus et improbus. Cum

defunctorum corpora in templa deferri prohiberentur, quotidie viginti vel triginta cadavera miserandum in modum iacebant. Brevi assueverunt Nostri cernere subitos decessus et undique audire aegros delirantes. Deficientibus linteis, corpora charta papyracea involvebantur. De Patre autem Chicagensis Academiae Loyolaeae, qui eo tempore a sacris erat Equitum Columbi (Knights of Columbus) in praesidio Sheridan, hoc testimonium refertur : « Cum timendus morbus in castellum irrepsisset, totum se aegrotis devovit ; eius vero cura et sollicitudo de infirmis militibus ea fuit, ut conspicuus civis indicus, medicinae doctor, filio suo moribundo assidens, Patri dixerit : " Semper fui methodista ; sed ecce, puer meus morti vicinus est; opto ut et illi tu curam tuam impendas ". Cui voto Pater obsecundans puerum baptizavit eumque sacro oleo unxit ».

Cum lues mensibus novembri et decembri Conexi (Conejo, Prov. Missour.) saeviret, Sacerdotes Residentiae quavis hora ad iter parati erant. Quibusdam diebus decem vel etiam quindecim aegroti Sacramentis morientium muniebantur qui labor haud sane spernendus est, modo quis longissima locorum intervalla esse sciat. Quarta decembri hebdomade duos Socios morbo correptos ad nosocomium transferre debuerunt. Circiter centum christifideles e vivis sublati sunt, et cum non liceret in templum corpora deferri, ultimae preces in via recitabantur.

Quoniam in extrema urbe situm est Collegium Kansanopolitanum (Kansas City, Prov. Missour.), integrum ei non fuit curae proximorum assidue operam dare. Unus tantum Pater, qui sacra Equitum Columbi procurabat in schola militari rhedarum automato se moventium, sat magnas partes egit, e cuius narratione nonnulla delibamus. Aderant scholae tria circiter millia hominum undique e Civitatibus Foederatis collecta, qui postquam intra sex hebdomadas tirocinium absolvebant, alio mittebantur. Vesper erat hora magis opportuna ad eos invisendos, cum per diem multis occupationibus distinerentur. Sabbato a meridie excipiebantur confessiones et die dominico, Sacro litato, parva concio habebatur. Cum pestilentia in castra penetrasset et multos milites vexaret, ita ut simul septingenti circiter ea corriperentur, gravius decumbentes in varia nosocomia militaria, catholica et protestantica, excepti sunt. Ubique Patri

aditus patebat, et ipse opem omnibus tulit, sacramentis muniens infirmos, oculos mortuorum claudens, cognatis de ultimis illorum momentis rationem reddens eosque consolans.

Milwaukee (Prov. Missour.) unus e Patribus tres solidos menses curae aegrotorum in nosocomiis impendit, quam provinciam ei urbis parochi demandaverant. Hanc porro suscepit tam magna sui devotione atque abnegatione tamque copioso fructu, ut domina presbyteriana, frustra suae sectae ministrum praesentem quaeritans, suspicata sit catholicos adversus protestantes bellum movisse eosque profligasse.

Multa conscribi possent de laboribus Patrum apud Indos Sioux (South Dakota, Prov. Missour.), sed haec tantum pauca excerpimus.

Septuagenarius quidam Pater Residentiae SS. Rosarii mense septembri 1918 vocatus est in pagum Gordon, ut cuidam puellae ministerium suum praestaret. Magna cum admiratione audivit eo loco triginta esse tuguria aegrotis plena, qui ibi tenebantur inclusi, ne exeuntes pestilentiam in totum territorium inferrent. Undique vocabatur ad opera misericordiae spiritualia et corporalia obeunda. Brevi, quadringenti Indi vita functi sunt.

Alius e Nostris vix annua Exercitia Spiritualia finierat, cum audivit morbum quarto circiter milliario ab eadem Residentia serpere. Mox vocatus, statim profectus est ad iuvenem olim nostrae scholae alumnum, qui simul pestifera laborabat febri et pulmonibus. Is quamquam Patrem agnovit, iam tamen loqui non valebat. Post brevem confessionem sacerdos ei morientium sacramenta ministravit illique assedit aliquantulum pro eo orans. Sed diutius uno in loco immorari non licuit, cum ubique mors gradum properaret. Et sane Pater percurrens pagos, hic invenit morientes, ibi iam mortuos; nunc quidem infirmis solatia religionis tempore affert, nunc vero totas familias sepulcro iam traditas deplorat.

Dum in agro haec accidunt, in schola nostra ne unus quidem, vel ludimagister vel puer, morbo correptus fuit. In gymnasio autem publico amplius centum ex magistris et alumnis infirmati sunt valetudine. Beneficium tam evidens nonnisi almae Deiparae, quae est scholae patrona, acceptum referri debet.

Cum die 21 octobris Patribus Residentiae S. Francisci fuisset nuntiatum luem ditionem Indorum populari, quemdam

e Nostris se ad iter capiendum accingentem sodalis hortatus est ut secum ipse sacrarum hostiarum copiam ferret : procul enim dubio complures inveniret aegrotos. Morem ille gessit, et re quidem vera ea vice duos pueros sacro fonte expiavit et septem homines ultimis roboravit sacramentis. Refert ille Pater, sibi summo fuisse solatio inter itinerum aerumnas secum diu noctuque Sanctissimum Sacramentum gestare, ut nunquam magis cum Salvatore suo fuerit coniunctum; Christum per diem secum esse, quoquoversus gressus inferret, aut in tugurio vel in contubernio maneret. Is unius hebdomadis spatio centum moribundos ultimis sacramentis donavit.

Ut primum die 18 octobris 1918 compertum est, luem in coloniam quoque Hondurae Britannicae (British Honduras, Prov. Missour.) inductam esse, omnes hominum conventus publica auctoritate prohibiti sunt. Unum Belizense (Belize) Collegium nostrum ab ea lege exceptum est, quod longe ab urbe distaret. Nostri, pestilentiae aditum praecludere cupientes neque iam externos ad scholas admittebant, neque ambulationes urbem versus instituere cuiquam sinebant. Sed incassum, cum morbi semina mox inferrentur a puero convictore, qui per unum aut alterum diem una cum parente suo in urbe remanserat, quique redux de capitis dolore et de febri statim conquestus est. Die 27 octobris triginta alumni eadem experti sunt incommoda, die postero triginta quinque et die 29 dimidia pars convictorum morbo affecti sunt. Et cum prius minores tantum convictores afflictarentur, deinde, parvulis convalescentibus, maiores prosternebantur. Sed Deo Optimo Maximo sint grates, qui nobiscum fuerit clemens et misericors ; nam etsi pene omnes alumni lecto tenebantur, duo tantum vita functi sunt; e Nostris vero, qui toti erant in illis curandis, scholasticus dumtaxat unus in vitae discrimen adductus est.

In urbe Grand-Coteau (Prov. Neo-Aur.) Collegium, quod in scholam castrensem fuerat mutatum, dum bellum adhuc ferveret, mox in magnum nosocomium verti debuit, in quo Patres Fratresque immanem laborem exantlarunt ad aegrotos curandos.

E Residentia urbis Mobile (Prov. Neo-Aur.) scribunt, infirmos nonnullos, Aqua S. P. Ignatii hausta, mirifice convaluisse.

In urbe Selma (Prov. Neo-Aur.) ne unus quidem e moribundis, sedula Patrum ope, sine sacramentis mortuus est.

III.

DE SODALITATIBUS B. MARIAE VIRGINIS.

A). — IN PROVINCIIS ITALICIS.

(1917).

Sodalitatum numerus.

Sodalitates Marianae, licet in Italia originem habuerint primamque fortunam, in ea tamen, superiore saeculo, tum ob publicarum rerum perturbationes, tum ob difficultates quibus assidue premebatur Societas, minus quam in aliis regionibus videntur floruisse. At rem diligenter penitusque perscrutantibus apparebit luculenter, defectum istum specie tantum exstitisse. Tantae enim, sæculis praeteritis, apud nos fuerant Sodalitates eiusmodi, feliciter uberrimeque vigentes, quae ad nostram usque aetatem pervenerunt, ut nobis necesse minime fuerit novas constituere : et eae ipsae, cum per tempora licuit, copiosos ediderunt fructus, et vigorem illum, qui sub terra quodammodo latescebat, in lucem protinus extulerunt.

Ut autem rerum series et causarum factorumque coniunctio probe noscatur, primo agendum de novarum Sodalitatum constitutione. Hae nimirum, toto saeculo XIX usque ad annum 1905, comparativa quadam computandi ratione facta, tantum ad duodecim vel ad quindecim quotannis reducuntur. Subsequentibus vero annis 1905 et 1906 Sodalitatum numerus valde crevit, cuius rei causa fuit sociorum conventus, qui habitus est anno 1904, ob quem conventum constitutae novae Sodalitates uno anno ad quadraginta numeratae sunt : sed brevi usque ad annum 1909, ad exiguum et solitum numerum rursus deventum est.

Dehinc autem cum studiosius et alacrius agere coepisset Sodalitas Primaria, omnium Sodalitatum mater, auctus est magnopere harum numerus, adeo ut quodam anno ad sexaginta sint adlectae et postea semper, habita proportionis ratione, ad quadraginta et quatuor unum si, excipias annum 1915, quo, cum etiam Italia se ad belli communionem adiunxisset, earum numerus imminui debuit.

Opera varia.

Conventus vero ille Sodalitatum, qui locum habuit anno 1904, alios etiam protulit fructus, et eos quidem optimos : horum primus fuit quod tunc est statutum, ut typis inciperent vulgari commentarii illi, quibus nomen *Stella Matutina*, quae mentem et consilia Sodalitatum omnium a Deipara in Italia nuncupatarum referret : tum etiam percepta necessitas est, ut intra Sodalitates ipsas omnia ad meliorem revocarentur ordinem et ad vitam quodammodo alacriorem. Huius autem ordinis huiusque vitae iam augetur in dies vigor, et spes bona affulget eum uberiores etiam fructus allaturum. Et hanc rem demonstrant perspicue cum studium socialium operum quae communibus legibus statutisque reguntur, tum sollemnis peregrinatio complurium Sodalitatum italicarum in Urbem ad sepulcra Apostolorum, anno 1913; tum conventus sodalium e regione sicula Messanae habitus per aestatem anni 1914; tum favor immensus sinceramque studium, quo consilium a Primaria Sodalitate propositum acceptum est iam inde ab anno 1914, ut nempe certus praestitueretur dies, quo omnes cuiusque civitatis Sodalitates, simul collectae, sui dedicationem in Beatae Virginis cultum sollemniter renovarent.

Ad hanc vero consecrationem celebrandam tertius dies dominicus mensis maii ex consuetudine iam est definitus, exemplo Roma praeeunte. Sane in Urbe res perficitur maiore quo fieri potest apparatu, in templo S. Ignatii, ad Beatae Virginis aram, quo omnes romanae Sodalitates, quae plus quam centum numerantur, pie sancteque conveniunt.

Conventus legatorum Assistentiae.

Rei etiam in primis utili occasionem praebuit sacra peregrinatio ad Apostolicam Sedem anno 1913, conventum dico quem Romae habuere quinque gravissimi Patres, per quinque italicas Provincias delecti. Praeerat in consessu ille qui in Sodalitate Primaria moderatoris fungebatur officio : diu multumque inter ipsos plurimæ agitatae sunt quaestiones, et sedulo acuteque investigatum quid esset corrigendum, quid ampliandum et promovendum accuratius, quae curae industriæque abhibendae forent, ut Sodalitatibus vires adderentur maiores cer-

tiorque et copiosior in dies colligeretur religionis et pietatis fructus.

Patrum consilia et placita R. P. Franciscus Wernz recognovit et rata habuit; quin etiam, ad rem, dedit die quinto augusti 1914 notam illam epistolam ad RR. PP. Provinciales Italiae, quae ei fuit postrema, mox ad caelestem beatitatem transituro (1).

« *Sectiones* ».

Inspicienti autem Sodalitates italicas, ut nunc existunt, gratum sane est maximeque iucundum cognoscere, quantopere in iis ferveat religionis, imo et christianae perfectionis studium et animarum zelus. Atque illud est perutile summeque laudandum, quod ea omnia quae ad earum progressum inventa sunt atque instituta, in unum quemdam certumque ordinem adducuntur; ad quae maxime confert cuiusque Sodalitatis in partes distributio, seu minores societates (Sezioni), cum sua singulis assignentur munera: et hanc distributionem ipse R. P. Wernz saepe mirifice laudaverat. Inter has autem primum obtinuit locum « Societas eucharistica »: quae pluribus in Sodalitatibus operam suam egregie praebet, et praestitutos habet coetus eorum, qui virtuti et pietati impensius studere volunt. Haec societas eucharistica et ille qui dicitur Apostolatus Orationis vehementer auxerunt eorum numerum qui mensam Corporis Christi frequentant, quorum plurimi id peragunt quotidie. Ita fit ut alicubi multa millia sacrarum Communionum singulis annis recenseantur.

Magna tribuenda laus et aliis societatibus, quae a christiana catechesi nominantur (Sezioni catechistiche): socii cum bonorum admiratione et plausu, in parœciis catechesim tradunt et in iis praesertim, ubi aliorum opera minor est.

In aliis Sodalitatibus et aliae societates ortae sunt et egregie florent; nempe ad fidem catholicam propagandam (Sezioni delle Missioni); ad bona opera per typos in lucem producenda (Sezioni della buona stampa); ad exercendam caritatem (Sezioni di carità), cuius socii operam suam navant in pauperum et egenorum levamen, eosque tum invisunt aegrotantes, tum pecunia et muneribus donant, tum reficiunt identidem fraterna

(1) *Act. Rom.*, I (1914) 29 sqq.

agape, ad hoc collata stipe. Nonnullis in urbibus cernere est etiam opificia in hunc finem aperta, ut matronae insignes et puellae Sodalitatibus addictae laborem suum pro pauperibus impendant (Sezioni di lavoro), quod magno est adiumento ad illorum inopiam sustentandam.

Et quoniam opportunum cuique auxilium et virtutem is tantummodo suppeditat, qui bonorum omnium fons est et largitor, ideo multorum studium eo directo spectavit, ut Christifidelium animi ad preces Deo fundendas allicerentur: proinde quasi ex ipsa mensa eucharistica effluxerunt societates illae, quibus sunt curae divinus cultus, altarium conveniens ornatus, musica sacra (Sezioni di culto, Sezioni dell'altare, Sezioni di musica sacra).

Sodalium caritas in publicis calamitatibus.

Publicae etiam nostrorum temporum calamitates calcaria quodammodo addiderunt sodalium alacritati et pio ardori. Idque omnibus fuit perspicuum quando terrae motus ingenti oppressit ruina tum florentes Siciliae et Rheginae ditionis regiones, tum postea Marsorum: namque non paucae Sodalitates propemodum inter se per ea tempora de caritate et beneficio largiendo certabant, cum nihil haberent antiquius, quam ut miseros ex aerumnis, quacumque possent ope, sublevarent. Quin non defuerunt in Sodalitatibus virorum et puellarum, qui loca adirent horrificae vastitati subiecta, quo melius et certius possent auxilia praebere, vestimenta et cibaria largiri, et religioso etiam solamine afflictos animos recreare.

Tandem bellum atrox et diutinum instauravit occasionem aptam exhibendæ caritati, prouti pientissimum Beatae Virginis Cor suggerebat, in milites bellicis laboribus fractos vel gravibus obnoxios periculis dum per militiam aetatem agunt, et pari modo in egenos innumeros, quibus belli exitiale tempus Europam complevit. Ad milites in castris commorantes plurimi missi sunt libri qui pietatem foverent et bonos mores; quin etiam in militum utilitatem conscribi et vulgari ad plura centena millia coepti sunt commentarii illi exiguae molis, quibus italice nomen fuit *La Stella del Soldato*, Deiparae cultum et amorem promoventes praesertim per exempla, militum vitae maxime accommodata; quo ex opere haud tenuis fructus percipi com-

pertum est. Praeterea nonnullis in locis citra castra multae constitutae sunt domus militares (Case del Soldato), ope quarundam Sodalitatum, ut ibi socii ad corporum et animorum adiumentum pro bellantibus praesto essent. Etiam filios in militiam adlectorum complexa est cura christianae caritatis ; per Sodalitates enim multis in oppidis instituta est procuratio quaedam rebus popularibus curandis et regendis (Segretariati del popolo), dum Sodalitates matronarum et puellarum per societates caritatis (Sezioni di carità) in ipsas miserrimas pauperum aedes, christiani amoris fervore compulsae, ventitabant, miro egenorum solatio et religionis incremento.

Haec in Italia hactenus marianae Sodalitates perfecerunt: rem quidem haud immensae molis ; sed si quis omnia attentius consideret et rationem inspiciat, qua ista confecta sunt, procul dubio videbit, sub tenui et humili opera latere fecunda semina felicis immensaeque ubertatis in proximum secuturae.

B). — IN VICE-PROVINCIA CECOSLOVACHIAE ET PRAESERTIM IN DIOECESI BRUNENSI.

(1919).

Pragae anno 1575 in gymnasio Societatis Iesu prima Sodalitas Beatæ Mariæ Virginis instituta et Edmundo Campiano, qui ea aetate florebat, regenda tradita est. Providentissimi Dei consilium erat per Sodalitates Beatae Virginis magnas res in Bohemia perficere.

Ioannes B. Weiss, universae historiae scriptor clarissimus, cum mediae Europae ruinam, quae saeculo XVII accidit, narraret, se universalis morum labis crimine duas tantum civitates liberas dixit, quae in totius orbis conspectu summae fortitudinis laudem tulerunt, Pragam et Brunam. Sed ibi Sodalitates B. M. V. vires addebant et animos ad pugnam pro fide et patria ineundam faciebant. Satis notum est, Pragam anno 1648 cum summa virtutis laude defensam et servatam esse, duce P. Plachy S. I. ; qui in concionibus sodales Beatae Virginis his verbis ad virtutem excitabat :

Cara fuit Maria Virgo Bohemis
Cari erunt Bohemi Mariæ Virgini,
Defendamus nos, cives,
Caeli Regina nobiscum est !

Atque ut in urbibus Praga et Bruna defendendis laboris partem capessiverunt, ita ad fidem Catholicam in Bohemia et Moravia servandam Congregationes B. M. V. plurimum contulerunt.

Itaque PP. Societatis Iesu, postqam anno 1866 Pragam redierunt, sedulo id assecuti sunt, ut Sodalitates B. M. V. exsuscitarent. P. Ioanni Cibulka contigit, ut anno 1879 sub vexillum B. M. V. septuaginta quinque viros congregaret. Ex quo tempore Sodalitatum auctoritas laetum in modum aucta est. Nunc quoque necesse est eas opem ferre patriae, a morum labe et a defectione ab Ecclesia catholica servandae.

Usque ad annum 1905 bohemicas Sodalitates undeviginti numeravimus cum mille octingentis octoginta tribus Sodalibus in ipsa Bohemia et septingentis tribus in Moravia. Nunc vero Sodalitates bohemicas habemus in Bohemia undesexaginta, in Moravia septuaginta quinque, in Silesia septem, sed in Slovachia quot sint, nondum scimus.

Universae itaque Sodalitates sunt centum quadraginta et una cum undecim millibus septingentis viginti tribus sodalibus. Quae sunt virorum, habentur in Bohemia viginti duae, in Moravia decem et septem, in Silesia tres ; feminarum in Bohemia triginta tres, in Moravia quinquaginta septem, in Silesia quatuor ; mixtae in Bohemia quatuor, in Moravia una. In Bohemia in singulis Sodalitatibus fere octoginta duo socii sunt, in Moravia octoginta septem, in Silesia sexaginta quinque, qui omnes numeri ad exeuntem annum 1918 spectant. Anno superiore licet tanta fuerit rerum perturbatio, nihilominus duodecim novas Sodalitates B. M. V. in Republica Cecoslovaca vidimus. Omnes Congregationes B. M. V. Nostrorum auxilio ferme conditae sunt.

Pragae ad S. Ignatii praeter virorum et iuvenum Sodalitatem, quam supra nominavimus, habemus aliam pro academicis et quidem maiorem et minorem, id est dominorum illam, hanc studiosorum adolescentium ; aliam propriam sacerdotum, qui, ne exemplis parcam, cum anno 1919 nonnulli presbyteri, ut notum est, illud moliri coepissent, ut caelibatui legi derogaretur, sine mora eorum ausibus obstiterunt, ut impios conatus detestarentur. Accedunt etiam Sodalitates alumnorum gymnasii et ludi magistrarum; haec postrema hisce praesertim temporibus valde utilis est, eo quod

praeter veram catholicam educationem suscipit munus docendi liberos catechesim extra scholas in quatuor diversis urbis partibus divisos, eos praeparat ad sacramenta et, post sacram Communionem in nostro templo acceptam, ientatum ducunt. Amicorum liberalitas solvit impensas necessarias. Congregatio puellarum procurat cantum in aede S. Ignatii. Congregatio matronarum diligenter stipem colligit pro templo nostro, ita ut comparari potuerint lux electrica novumque organum, in quo harmoniae varietates, quas musici *registra* vocant, ad quinquaginta dinumerantur, necnon altaria ex artificioso marmore renovari. Tandem non deest Congregatio liberorum.

Deinde in aliis Pragae templis Nostri regunt Sodalitates praesertim puellarum in Skalka ; item puellarum apud Ursulinas, necnon in Collegio caecorum. Cum autem gymnasium in Bubenec excitavissemus, ibi quoque studiosorum iuvenum Sodalitatem condidimus.

Reginae Hradecii, ubi Nostri inde ab anno 1901 degunt, iam quatuor Sodalitates constitutae sunt, matronarum videlicet (quae e collecticio aere sacellum in Rozberk aedificare potuit) ancillarum, virorum et discipulorum.

Velehradii quoque ubi Nostri ab anno 1891 sunt, florent Sodalitates iuvenum, virginum, virorum et liberorum.

Anno 1907 ad S. Ignatii Pragae libellus periodicus Sodalitatum B. M. V. edi coeptus est, qui *Ve sluzbách Královny* inscribitur, eiusque nunc exemplarium quinque millia venduntur. Nunc singulis mensibus editur, cum antea binis mensibus dumtaxat prodiret. Quandoquidem nunc multae sunt Sodalitates, quibus sacerdotes saeculares praeficiuntur, earum praesides a nobis petiverunt, ut sibi concionum ad sodales habendarum adminicula suppeditaremus. Quare anno nuper elapso etiam *Supplementum*, praesidum usui destinatum, in lucem ferre aggressi sumus, in quo conciones Sodalitatum fini prorsus accommodatae in promptu sunt.

In annum 1920, quo tempore scholae vacant, omnium moderatorum et, si fieri poterit, sodalium quoque conventus praeparatur.

Ante decem annos commissum fuit nostrae Societati munus moderandi omnium spiritum, qui in Seminario Brunensi de-

gebant. Pater, cui hoc munus demandatum est, moderatoribus mox persuasit non sufficere ad stabilem cleri educationem, ut alumnorum tantum cura per quatuor annos haberetur, sed eam necessariam esse primis quoque sacerdotii annis, in quibus plerumque sat certum iudicium fertur, qualis quisque sacerdos futurus sit tota sequenti vita, utrum bonus an malus, fervens an tepidus. Ideo magnam partem laboris in instituendis alumnis frustratam existimabat, nisi disciplinae seminaristarum cultus quoque sacerdotum, maxime iuniorum, accederet.

Quamdam igitur *consociationem asceticam* inter novos presbyteros tentavit, quam mox, ut ipsa solidius statueretur, in veram Congregationem Marianam (*C. M. S. B.*) commutavit. Quoniam vero caute procedendum erat, distulit totum negotium usque ad diem 2 iulii 1914, quo tandem Brunae in sacello Seminarii ad normam canonum constituta est Sodalitas a B. Maria Virgine Perdolenti, sub cruce Domini perseverante eique in sacrificio cruento assistente, simulque a patrono B. Ioanne Sarcandro, parocho huius ditionis et martyre, qui ipse sodalis marianus fuit et Brunae in templo cathedrali sacerdotio initiatus; ac tandem Primae Primariae die 31 iulii 1914, libentissimo Episcopo, aggregata est.

Iam conventus et Exercitia Spiritualia sodalium sacerdotum sex integros dies peragenda praeparata erant, quum bellum europaeum ex improviso exortum impedivit, quominus haec non nisi mense aprili 1915 conficerentur. Congregatio SS. Cordi Iesu iam ab initio singulariter dedicata, inter arma neque periit, neque inertiæ sese tradidit, sed ad statum florentem est evecta. Mox coepit secundum suas leges concilia sodalium diversis in regionibus dioecesis Brunensis celebrare, quae dici poterant totidem sacri secessus, ad quos alii quoque sacerdotes invitabantur tamquam hospites. Placuerunt res et ordo, ita ut multi libenter convenirent, etsi magna itinera aggredi et multa incommoda in via lineis ferreis strata tolerari oportebat.

Ita factum est, ut quo hebdomadis die in Seminario scholae vacarent, eo in aliqua urbe secessus haberetur, et praefectus spiritus alumnorum, annuente et plaudente Episcopo, simul evaderet quasi missionarius ad sacerdotes identidem excurrens, quorum confessiones exciperet et animum meditatione et asceticis necnon pastoralibus documentis excoleret, scilicet quin-

que vel sex hebdomadae dies in curam alumnorum, unum, vel quandoque duos in iuvandos sacerdotes impenderet. Ad mensem usque aprilem anni 1920 habiti sunt centum septuaginta id genus conventus in decem diversis Reipublicae partibus, qui profecto per quatuor vel quinque annos fideliter frequentati magnopere profuerunt, ut diœcesis Brunensis non multum inficeretur pessimo illo spiritu, quo non pauci e clero Bohemico pernicioso exemplo nuper fuerunt orbi universo.

Congregatio numerabat mense aprili anni 1920 praeter moderatorem, qui nunc est unus e sacerdotibus, sexaginta octo sodales et tredecim candidatos. Hospites qui secessui diversis in locis simul cum sodalibus adesse solent, sunt circiter centum et quinquaginta, ita ut totius cleri quasi quarta pars per Congregationem marianam vitæ spiritualis semitas terant. Si plures essent Nostri, qui concionarentur, facile numerus secessuum ita multiplicaretur, ut nemo fere sacerdos ad aliquem e conventibus in singulos menses habendis non veniret magna sua utilitate. Sacerdotes enim hic neque libenter alter alterius confessiones excipiunt, neque ipsi ad socios suos meditationes vel adhortationes dicere volunt. Utrumque munus potius viris religiosis relinquunt, quos inter Nostrorum operam generatim praeferunt.

Iam nunc pauca de ipsa Congregatione sacerdotali. Regitur statutis generalibus Congregationum a R. P. Francisco X. Wernz traditis, quae paucis in rebus propter conditiones peculiares tantulum mutantur vel determinantur. Eum finem sibi proprium proposuit, ut sub patrocinio B. Mariae Virginis foveat in sodalibus vitam spiritualem, scientiam sacerdotalem et amorem communem seu collegialem, ut fiant et maneant digni sacerdotes sanctae Ecclesiae Catholicae.

Sodales singulari tenentur obligatione procurandi animi sui bona. Dispersi enim per dissitas regiones et saepe officiis pastoralibus impediti, non possunt tam frequenter, sicut laici, ad pietatis opera libere se recipere ; neque propter inopiam concionatorum in omnibus provinciae locis saepe cogi possunt secessus. Ne igitur Congregatio spiritu langueat, subsidia suppeditare debet progressui interioris vitae ; ideo hanc regulam tamquam conditionem omnino necessariam tum canditatis tum sodalibus sancit: «Studeant sodales ante omnia ea praestare, quae sacerdotis sunt : nimirum Officium divinum devo-

te recitare et tremendum Missae Sacrificium digne ac reverenter offerre; ceteras autem pietatis exercitationes, a piis sacerdotibus fieri solitas, ea ratione assumant, ut per hebdomadam tres saltem horas iisdem impendant». De custodia huius regulae et praesertim de tribus illis horis sodales praesidem singulis mensibus certiorem faciunt, si forte nulli adesse secessui potuerunt. Candidati vero singulis trimestribus de eadem moderatorem edocent, sive conventui interfuerunt, sive non; nullus enim in Congregationem admittitur, donec plene huic regulae satisfecerit.

Caerimoniae admissionis in Congregationem propter dignitatem sacerdotalem tenuiores sunt et parum discrepant ab illis, quibus cooptantur laici. Interrogationes quae initio fieri solent, supplentur hac scripta declaratione, quae simul cum formula consecrationis in tabulario asservatur: « Ego infrascriptus candidatus, in Congregationem Marianam Sacerdotalem Brunensem admittendus, hisce declaro, me sponte ac libere eandem Congregationem ingressurum, ut Beatae Mariae Virgini per interventum Ecclesiae devotius, facilius et perfectius vocationi meae satisfaciam. Promitto Congregationi debitam subordinationem et exactam statutorum observantiam, praesertim regulae quam modo retulimus (1), tantopere commendatae, de qua semper iuxta veritatem rationem sponte reddam, secundum statuta. Studebo insuper concordiae et caritati fraternae, ut fines Congregationis collegiales, quantum in me erit, promoveam. In quorum fidem haec eadem manu propria subscribo, divinum implorans auxilium. »

Sodales sponte nomen dantes Congregationi sese etiam obligant instituendis quotannis Exercitiis Spiritualibus per tres saltem dies, et invisendis vicinis sociis cum aegrotant, in primis si sunt sodales, ut curam de ipsis gerant, maxime ad animam quod spectat. Sunt et nonnulla alia, quae commendantur.

Opus menstrui secessus Congregatio quasi partem sui muneris apostolici considerat, tanta nihilominus prudentia, ut nullo modo contemnat ceteros sacerdotes, qui secum coniungi nolint, imo eos in numero optatissimorum fratrum habeat illisque servire desideret. Ita multae difficultates in condenda Congregatione superatae sunt.

---

(1) Intelligas regulam supra ad verbum relatam.

Haec solvit impensas communes licet hospites pecuniam ad hunc finem libenter conferant ; praeterea studet ordini servando, mensae apponendae, invitationibus per tabellas epistolares faciendis. Est quasi quoddam collegium, quod opus menstrui secessus pro sacerdotibus in dioecesi fovere et posteris tradere debet. Si quid pecuniae extremo anno scholari post factas impensas in arca remanet, illud non conservatur ad usum Congregationis, sed ad colendas vocationes sacerdotales destinatur. Eo tempore autem quo ubique studia quotannis instaurantur celebratur, festum quod *a titulo* dicitur ; in eo sodales omnes aliquid nummorum in honorem B. Maria Virginis Sodalitati offerunt.

Dum secessus peragitur, praesertim in parvis oppidis et pagis, non solum fiunt exercitationes piae cunctis sodalibus praescriptae, et consecratio sui SS. Cordi Iesu coram SS. Sacramento, sed etiam aliqua discussio de officio pastorali et datur occasio animum honeste una simul relaxandi, quod sacerdotibus, qui soli semper vivunt, est omnino necessarium, ne alibi solatia quaerant quae et muneri recte implendo et vitae interiori damno esse possunt.

Faxit SS. Cor Iesu, cuius patrocinio opus istud tam salutare ortum est et crevit, ut etiam confirmetur et ad futuras progenies transmittatur.

C). — IN PROVINCIA GERMANIAE.

(1919).

Quindecim circiter annorum spatio sacerdotes saeculares, zelo animarum pleni, semper et multum incitati sive a propriis sive a totius Germaniae Episcopis, non raro quoque et multis modis adiuti a Patribus nostrae Societatis effecerunt, ut Congregationes magnopere aestimarentur atque promoverentur. Pauca de hac re, quae tum ad populum religiose educandum tum, ad cultum marianum promovendum magni momenti videntur esse, liceat referre.

Duo genera Congregationum distinguamus, ut res, de qua agimus, clarius perspiciatur :

Primum genus complectitur quatuor ordines hominum ipsa natura iam inter se divisos : scilicet viros, iuvenes, mulieres

(matres), virgines. Quae Congregationes, cum intra singulas paroecias et non per totam urbem vel complures paroecias contineantur et regantur, parochiales vocari solent (Pfarrkongregationen).

Secundum genus comprehendit homines conditionibus vitae et officiis inter se divisos : e. g. sacerdotes, academicos (i. e. qui studiis in Universitatibus sive operam dant sive olim dederunt), gymnasiorum alumnos, opifices, servos, ancillas, magistros, magistras (scholarum) aliosque (Standeskongregationen).

a). – *Congregationes parochiales.*

Praenotanda. — Hae Congregationes sperantur fore aptae, quibus adiuvetur ipsa quotidiana paroeciarum cura. Sicut Consociatio popularis pro catholicis Germaniae (Volksverein für das katholische Deutschland) sibi proposuit operam socialem praestare omnibus hominum ordinibus (Sociale Arbeit für alle Stände) — quod certe non potest non laudari, si curae animae, quae una necessaria est, postponitur eique inservit — ita Congregationum parochialium videtur esse, operam religiosam conferre omnibus hominum classibus (Religiöse Arbeit für alle Stände). Quo labore, aequipondium quoddam paratur, ne sollicitudo rerum socialium ac terrenarum opprimat curam religiosarum et caelestium. His praemissis, singula inspiciamus.

α). — *Congregationes parochiales iuvenum.* (*Jünglingskongregationen*).

Congregationes iuvenum, quas hodie florescere videmus, medio circiter saeculo praeterito initium sumpserunt. Eo tempore in fine plerumque sacrarum ad populum expeditionum (Volksmissionen) (1848 – 72) multis in locis tales Congregationes constitutae sunt, quibus fructus missionum facilius conservaretur. Insectatio autem in Ecclesiam anno 1872 in Germania exorta, quae *Kulturkampf* appellata est, impedivit, quominus hae Congregationes marianae maiores facerent progressus. Cum Patres Societatis e Germania expulsi essent, vera et recta notio Congregationum non nihil detrimenti pati visa est, adeo ut multae potius quam Sodalitates habitae fuerint pii dumtaxat coetus, quos confraternitates vocant. Non solum

exilium quo Provincia Germaniae multos annos tenebatur, verum etiam multi labores in aliis nationibus ab eadem propterea suscepti, haud dubie difficilius reddebant tum incitamentum tum auxilium, quibus Congregationes ipsae earumque verus spiritus promoverentur.

Anno tandem 1895 denuo efflorescere coeperunt, cum in archidioecesi Coloniensi Praesides omnium societatum iuvenum (Jünglingsvereine), quarum longe plurimae Congregationes marianae erant, sese coniungerent atque *Unionem* dioecesanam omnium iuventutis virilis Societatum (Diöcesanverband) constituerent. Quod exemplum sequentibus circiter decem annis cunctae omnino Germaniae dioeceses secutae sunt, ita ut anno 1907 Moguntiae in sexto conventu generali praesidum *Unio Centralis* omnium societatum iuvenum totius Germaniae fieri potuerit (Centralverband). Societates (Vereine), ex quibus « Unio centralis » constat, sunt maximam partem, excepta Bavaria, verae Congregationes aggregatae Primae Primariae, adeo ut in archidioecesi Coloniensi duas partes aequent, in Monasteriensi tres, in aliis etiam plures. « Unioni centrali » praeest ecclesiasticum a Secretis Consilium seu *Secretariatus generalis* qui Düsseldorpii sedem habet, et anno 1907 ab E^mo^. Cardinali Fischer creatus est. Huic tres sacerdotes saeculares et unus Pater nostrae Societatis addicti sunt.

Ratio et dispositio in singulis « Unionibus dioecesanis » quae sit, exemplo disce archidioecesis Coloniensis. Ex conspectu, quem in conventu praesidum generali 21°, anno 1917, Vicepraeses, qui erat Pater e Societate, proposuit, apparet nimirum, ex mille circiter parochiis sexcentas octoginta societatem iuvenum habuisse, quarum omnium societatum duae partes Congregationes marianae erant. Hae porro universae consociationes inter se iunctae distributae sunt quindenae aut vicenae in triginta quatuor *Uniones regionales* (Bezirksverbände).

Socii « Unionis dioecesanae » Coloniensis die 31 martii 1917 numerabantur undenonaginta millia sexcenti quadraginta sex.

Ad sacram Synaxim accedebant singulis mensibus quadringentae nonaginta octo Congregationes.

Libellum periodicum ab « Unione » in lucem editum in archidioecesi sexaginta octo millia et octingenti lectores emebant annua subnotatione.

Conventus praesidum « Unionum regionalium » fuerunt nonaginta sex (Praesidestage) ; conventus vero magistratuum Congregationum « Unionibus regionalibus » adscriptarum anno vertente recensebantur centum viginti sex (Vorständetage). Ad haec comitia praeter regionis praesides convenire solent omnes, qui ad magistratum cuiusque Congregationis pertinent, qui ita optimam occasionem nanciscuntur sese imbuendi apostolico studio, sodalibus marianis digno, iuvandi aeternam aliorum salutem.

Simili modo « Uniones » tum « dioecesanae » tum « centralis » singulis annis vel crebrius institutionum curriculum pro sacerdotibus praesidibus, praefectis, magistratibus habent. Ita e. g. diebus festis Natalis D. N. Iesu Christi anni 1916 praesides per tres dies, magistratus per duos, Düsseldorpii in domo « Secretariatus generalis » exculti sunt ; huic magistratuum scholae per eos dies mille et quinquaginta quatuor iuvenes ex omnibus Germaniae partibus interfuerunt, quibus Patres complures verba opportune fecerunt. Dum eius conventus celebrantur, facile est, iuvenibus exponere eorumque animis inculcare quid Congregationes proprie velint quidque intendant.

Conspectus hic subiectus exhibet progressum, quem archidioecesis Coloniensis sive in Congregationibus, sive in societatibus iuvenum (Vereine) habuit :

annis	1850-60	9	Congregationes iuvenum	0	societates	(Jünglingsvereine).
»	1860-70	11	»	1	»	»
»	1875-95	34	»	19	»	»
»	1896-99	31	»	6	»	»
»	1900-09	103	»	62	»	»
»	1910-17	121	»	83	»	»

In aliis dioecesibus Congregationes marianae pari aut maiore etiam modo auctae sunt. Episcopi autem vehementer optant et iterum iterumque desiderium suum manifestarunt habendi in singulis paroeciis Congregationes marianas vel Societates iuvenum.

β) — *Congregationes parochiales virginum.* (*Jungfrauenkongregationen*).

Haud aliter ac iuvenum, virginum Congregationes marianae in unaquaque paroecia ortae sunt, quarum quidem

explicatio posterius coepit, prius tamen finem attigit. Tempore magnarum ad populum pietate excolendum expeditionum (1848 – 72) multis in locis Patres nostri Congregationes eiusmodi conseverunt. Medio decennio saeculi ultimi post bellum, quod ab Imperii rectoribus contra Ecclesiam catholicam coeptum est, numerus Congregationum iterum crevit. Deerant vero quasi incitamentum et coniunctio, quae sunt ad apte et utiliter agendum necessaria.

Ut primum omnes Congregationes in « *Unionibus dioecesanis* » consociatae sunt, magnum incrementum consecutae sunt. cuius praecipua tempora paucis accipe :

1910 statuitur prima « Unio dioecesana » Congregationum virginum in diocesi Paderbornensi.

1911 « Unio praesidum diocesana » in finitima diocesi Monasteriensi conditur (Praesidesverband). Praecipuum RR. DD. von Hartmann, Episcopi tum Monasteriensis dioecesis (postea Archiepiscopi Coloniensis et Cardinalis) studium fuit curandi, ut nova iuventutis certo foedere colligendae cura (Jugendpflegebewegung) statim ab initio accommodaretur legibus antiquis Congregationum B. Mariae Virginis. Quamobrem eius et Patrum Societatis ope normae (Normalstatuten) concinnatae et approbatae sunt, quae omnes deinceps Congregationes obligarent. Quae statuta breviter perstringunt leges generales, quas R. P. Wernz die 8 decembris 1910 publici iuris fecit (*Acta Rom.* I [1910] 93 sqq.) easque non raro ad verbum exprimunt.

1912 die 28 decembris praescriptum est ab Episcopo. ut in omnibus paroeciis dioecesis Monasteriensis marianae Congregationes quam primum, ubi deessent, inchoarentur.

1913 Normae ab « Unione dioecesana Paderbornensi » susceptae et in usum deductae sunt.

1914 Idem factum est in archidioecesi Coloniensi. Episcopi Germani Fuldae congregati in sua epistola ad populum iubent esse Congregationes marianas virginum in singulis, quantum fieri potest, paroeciis.

1915 Generale a Secretis Consilium pro omnibus dioecesibus primam sedem figit Bochumii.

1916 « Unio centralis » omnium Congregationum et Societatum conflatur, quae « Uniones » octo dioecesium complectitur. Congregationes marianae virginum, « Unioni centrali » adhaerentes sunt circiter duo millia septingentae cum sexcentis millibus sodalium.

In omnibus dioecesibus Congregationes virginum foederatae (Diözesanverbande) iterum dividuntur in « Uniones regionales » quae generatim *decanatum* unum complectuntur. Sic archidioecesis Coloniensis quinquaginta quatuor regionibus (Bezirke) distinguitur, quarum unicuique quindecim aut fere triginta Congregationes attribuuntur. Praesides regionum (Bezirkspraesides) statis temporibus convocant moderatores Congregationum sibi subditos. Similiter atque fit in Congregationibus iuvenum, non raro simul coguntur magistratus, ut certo institutionum curriculo erudiantur.

Praeterea consuetudo viget tradendi Exercitia Spiritualia modo publice, modo privatim, non solum sodalibus, verum etiam moderatoribus.

Societates quae non sint mariales, paucae admodum his « Unionibus » aggregatae sunt. Exempli gratia in archidioecesi Coloniensi quae mille paroecias habet inveniuntur septingentae nonaginta Congregationes, sed solummodo quinquaginta societates (Standesvereine); in archidioecesi Friburgensi trecentae sexaginta quinque Congregationes et decem tantum societates, et ita porro.

Utinam coelestis et mitissima Patrona Congregationum hortum hunc suum in Germania florentem usque protegat et foveat.

γ). — *Congregationes parochiales mulierum et societates matrum.* (*Frauenkongregationen, Müttervereine*).

Nonnullis in locis sunt quidem Congregationes parochiales mulierum (Frauenkongregationen), sed multo illis numerosiores habentur societates matrum christianarum (christliche Müttervereine), quae ab anno 1860 ac deinceps, curante RR. DD. Episcopo Ketteler, in omnibus fere dioecesibus et omnibus earum paroeciis constitutae sunt. Ultimo decennio multum promovebantur ab Episcopis eorumque clero. Ab anno 1915 hae quoque societates et earum praesides in « Uniones

dioecesanas » collecti sunt, et permagnae habentur: Paderbornensis enim numerat trecentas viginti sex consociationes et circiter nonaginta millia sociarum; Monasteriensis, quae quadringentis viginti paroeciis gaudet, totidem fruitur consociationibus matrum cum centum quadraginta quinque millibus sociarum; simile quid dicas de ceteris. Communio generalis quae ultimo ferme die dominico cuiusque mensis celebratur, vix non in omnes paroecias introducta est. Ad pium hunc usum fovendum Patres domus S. Bonifacii prope Embricam ab anno 1916 parvum libellum menstruum edunt, cui titulus: *Müttersonntag* (antea: *Kommet alle zu mir*), quo omnes matres singulis mensibus ad sacram Communionem invitantur: amplius ducenta quinquaginta millia exemplarium distribuuntur.

δ) — *Congregationes parochiales virorum et Apostolatus eorundem* (*Männerkongregationen – Männerapostolat*).

In sat multis ex maioribus urbibus exstant Congregationes virorum, quae omnes videntur ante insectationem in Ecclesiam factam quae Kulturkampf appellatur, constitutae fuisse ut Aquisgrani, Bonnae, Essendiae (Essen), Fuldae, Treviris, Monachii, Coloniae atque alibi, et generatim viros totius urbis complectuntur, ita ut nulli paroeciae applicatae sint. Ad hos viros aliosque adhortandos et excitandos, ut singulis mensibus ad mensam divinam accederent, anno 1910 a nostris Patribus *Apostolatus Virorum* constitutus et sequentibus annis per totam Germaniam propagatus est, praecipue concordi ope omnium missionariorum. Lectissimi huius operis adiutores sunt interdum sodales Congregationum virorum. Ipsi, quod *Apostolatui Orationis* aggregatum est die 9 septembris 1919, iam circiter ducenta quinquaginta millia hominum nomen dederunt, qui singulis mensibus ante primam dominicam, SS. Cordi Iesu sacram, ad mensam divinam invitantur libello illo periodico a Patribus domus S. Bonifacii redacto, qui *Männerapostolat* inscribitur (1).

(1) Plura vide, si placet, apud Dr. STRÄTER, *Das Männerapostolat. Seine Bedeutung und praktische Ausgestaltung in der Jetztzeit.* Freiburg, Herder, 1917.

b). — *Congregationes diversarum hominum classium* (*Standeskongregationen*).

Praeter illas parochiales in omni fere dioecesi et in omnibus maioribus Germaniae occidentalis urbibus habentur quoque Congregationes pro singulis hominum classibus, officio et conditione vitae inter se distinctis (Berufstände). In his Congregationibus bona prosperi progressus signa passim conspiciuntur.

Congregationes Sacerdotum in dioecesibus Friburgensi, Rottenburgensi, Fuldensi, Limburgensi, Spirensi, partim auctoribus partim moderatoribus Patribus quibusdam Societatis, statutae sunt. In multis aliis, ut in Coloniensi, Monasteriensi, Trevirensi, Wratislaviensi, Berolinensi delegatione et quidem in singulis *decanatibus*, praesunt Patres nostri secessui menstruo Sacerdotum. Generatim unus alterve Pater designatur, qui multis in locis (10 – 20) singularum dioecesium illum secessum moderetur.

Congregationes alumnorum gymnasii ad haec usque fere tempora ab Imperii rectoribus prohibitæ erant. Nunc vero, novo ordine rerum civilium in Germania constituto, nulla iam videtur difficultas consociandi discipulos in marianas Congregationes. In plurimis urbibus multi Patres assidue pro iuventute studiosa laborarunt. Speramus fore ut Congregationes marianae denuo, libertate reddita mox inter iuventutem Germanicam refloreant et crescant.

Ante bellum id agebatur, ut inter opificum societates (Gesellenvereine) Congregationes marianae essent, quarum leges iam paratæ erant ; sed bellum impedivit, quominus id ad effectum adduceretur.

Obiter praeterea sunt commemorandae hoc loco Congregationes *famulorum* et *famularum*, *virginum* quae mercaturam faciunt (Ladnerinnen), *ludi magistrarum etc.*, quae in locis non paucis vigent atque (raro quidem) a nostris Patribus reguntur, ut Francofurti, Coloniae, Monachii in aliisque urbibus.

Tandem, ut aequus narrationi finis imponatur, mentio facienda est multi et indefessi studii, quo Patres Basileæ et in nonnullis Helvetiae urbibus Congregationes regunt atque provehunt. Neque oblivioni dandae sunt Congregationes in Convictibus Feldkirchensi et Sittardensi atque aliis.

D). — LEOPOLI, IN PROVINCIA POLONIAE.

(1919).

Communia omnibus Sodalitatibus.

Quotannis unaquaeque Sodalitas Exercitia Spiritualia per tres dies peragit ; semel in mense omnes simul Sacro intersunt et ad generalem Synaxim accedunt, postquam aptam moderatoris orationem audierunt.

Semel in mense, statuto tempore, cogitur magistratus ad consilium et eodem modo vocantur omnes sodales ad communem conventum. In his verba facit moderator; excitantur omnes ad pietatem erga B. Mariam Virginem mox recitatur concinna praelectio, saepissime ab aliquo sodali; dein fit discussio.

In unaquaque Sodalitate habetur coetus eucharisticus, cuius est excitare et conservare in se et in aliis spiritum pietatis, praesertim vitam eucharisticam.

Prostat bibliotheca omnium sodalium commodo adornata.

Viget coniunctio omnium inter se Sodalitatum, quae conflatur ex praefectis et altero sodali apposite electo ; huius consociationis est necessitatibus communibus Sodalitatum providere et aliquam actionem, sive socialem sive religiosam, quae omnium opem exposcat, provehere ac regere, quo tamen foedere singulae Sodalitates suam libertatem minime amittunt. Unus e PP. moderatoribus actionem hanc secundum regulas Congregationis temperat.

Inter Sodalitates et Archiepiscopum intimus nexus benevolentiæ et sollicitudinis viget.

Propria singulis Sodalitatibus.

1. *Sodalitas dominorum.* Haec numerat socios centum quadraginta, viros plane excultos, munere publico fungentes et interdum summum in republica locum adeptos, ita ut ex horum vita magna sit vis in ceteros cives. Anno elapso quamquam fieri non potuit, ut aliquod singulare opus propter oppressionem Ucrainorum aggrederetur, superata deinde irruptione, statim ad magna comitia viginti millia circiter hominum convocavit, qui haec postulata omnes ad unum retulerunt :

religio catholica in totam rempublicam Polonam dominaretur, scholae essent catholicae, dies dominicus omnibus fieret sacer et vacuus a laboribus. Initium etiam factum est operi exstinguendi morum corruptelam, quae tum ex libris tum praecipue ex imaginibus se moventibus in vulgus erupit. Haec duo praestanda consessores censuerunt : ut Republicæ rectores legem ferrent, qua inhonestae scriptiones prohiberentur, quod desiderium in omnibus iam maximis urbibus manifestatur, et ut magistratus urbani easdem non probandas imagines cunctis interdicerent. Hunc in finem multa iam praestant ipsi sodales, quorum nonnullis munus est demandatum agendi censorem pellicularum. Ea diligentia effectum est, ut impediretur quominus pessima fabula ex « Decamerone » petita et aliarum id genus rerum spectanda proponerentur.

Sodales caritatem seorsum profitentur in coetibus S. Vincentii a Paulo ; communiter vero in consociationibus parochialibus et in sodalitio P. Petri Skarga.

2. *Sodalitas dominarum a Sacro Corde.* Haec praeter curam vitae spiritualis, cui se dat libenter, multum iuvat viros in socialibus operibus, in coetibus S. Vincentii a Paulo, in congregatione SS. Sacramenti, ubi sacra lintea vestesque sacerdotales conficiunt pro templis bello vastatis vel paupertate squalidis; Sodales sunt circiter ducentæ.

Ab hac pendet Sodalitas puellarum, quae honesto loco natae sunt, cuius exercitationes modo sunt communes, modo sibi propriæ. Anno superiore hae puellae multum laborarunt in nosocomiis militaribus. Numerantur septuaginta duae.

3. *Sodalitas dominarum Polonarum.* Sunt trecentæ et quinquaginta sociae, optimo spiritu imbutae; vitam piam fovent, spiritu apostolico ardent et multa ad gloriam Dei praestant. Pars, doctrinæ christianae docendæ addicta, amplius centum pueros ferme a parentibus neglectos erudit et ad sacramenta suscipienda praeparat. Consortionem ineunt cum aliis consociationibus, in quibus maximam partem laboris obeunt, nimirum cum parochiali coetu feminarum S. Zitae pro famulabus, Crucis rubræ et albae, S. Vincentii a Paulo ; denique ephebaea patrocinio fovent.

Penes hanc est alia Sodalitas, nempe puellarum quae sunt generatim filiae sodalium. Eius finis eo tendit, ut hae adolescentulæ bene educentur.

4. *Sodalitas discipulorum gymnasii*, licet gravissima et utilissima, inter magnas tamen difficultates condita, adhuc perexigua est; habet tantum quadraginta iuvenes, filii ut plurimum sodalium. Spiritus est bonus.

5. *Sodalitas feminarum acu pingentium*, complectitur triginta quinque socias; orta est inter id genus feminas dudum simul foederatas titulo S. Ioseph et perennem christianæ vitæ fontem in ceteras effundit.

6. *Sodalitas dominarum germanarum*, quae recensentur octoginta duæ et, praeter curam vitæ religiosæ, cavent Germanis in urbe degentibus, ne quis eorum in laqueos protestantium incidat.

7. *Congregatio bonae mortis virorum.* Instituta est dum antiqua Societas vigeret, anno 1684, et in praesentiarum frequens est adlectis octingentis viginti civibus, qui privatim quidem saepe sacramentis utuntur; communiter autem semel in mense sacrae Synaxi intersunt. Opem etiam sibi invicem ferunt, iusta persolvunt sodalibus vita functis.

Consociationes curae Nostrorum subiectae.

1. *Consociatio P. Petri Skarga.* Initur a sodalibus marianis tum viris tum feminis. Finis eius est propagare doctrinam catholicam in Polonia, defendere fidem tum scriptis tum concionibus ad populum, tueri bonos mores et corruptorum hominum aggressiones repellere. Ante bellum haec societas edidit multa milla exemplarium libellorum, quorum nunc in promptu habet quinquaginta millia; bibliothecas adornavit multiplicavitque tota Galicia, curans ut haec librorum copia inter via ferrea iter agentes distribueretur. Bella opus tam utile disturbarunt et, dissipatis bibliothecis, damnum intulerunt octoginta millia coronarum, quae aestimandae sunt pretio, quo valebant ante indictum bellum.

Nunc autem Leopoli praeparat magnam et splendidam bibliothecam publicam, qua non solum recta doctrina divulgetur, sed etiam impediatur funestissima vis bibliothecæ theosophicæ, hic iam ab anno 1915 conditæ. Bonorum librorum copia ducentis millibus coronarum iam comparata est et per autumnum distribui incipiet.

2. *Consociatio S. Zitae pro famulabus*, quatuor millia et quingentas famulas sibi iam adscivit. Illud proprium habet, ut neces-

sitatibus ancillarum, quae sodalitati nomen dederunt, provideat omni qua potest ratione. Scilicet instituit scholas pro rudibus, pro ediscenda arte culinaria et fullonica, necnon ad capessendam omnem domesticae providentiae rationem ; omnia iuvat, accommodata huic usui, bibliotheca. Habet hospitium pro egentibus levamine aut labore ac senectute confectis, quarum nunc viginti ibidem aluntur. Providet auxilium iurisprudentium et medicorum, nosocomium infirmis, quarum anno 1919 curabantur octingentae tres; ad balnea, ubi opus est eas mittit, quibus ab anno 1911 ad 1914 centum et undesexaginta usae sunt ; vita functas honesto funere, solutis impensis, effert ; pecunias largitur, vel mutuo dat sine foenore. Iis, quae diu, hoc est saltem a quinquennio, in eodem famulatu perseverant, quotannis distribuitur sollemniter merces, praesente Archiepiscopo. Opes consociationis constant duabus domibus duplici contignatione perfectis, duodecim terrae iugeris aedificando valetudinario designatis, pecunia numerata quae centum millia coronarum superat.

3. *Consociatio feminarum catholicarum Polonarum.* In eius tabulis quadringentæ iam inscribuntur, quae sunt pars mulierum catholicarum tota Polonia foederatarum, ad quas tamen pertinent hactenus solum quae sunt excultae, sed Leopoli ferme sunt sodales marianae.

Quia vero hodie omnes societates, etiam politicæ, feminas sibi iunctas foedere habere volunt, praesertim socialistae, ideo ex cunctis urbis regionibus omnes invitatæ sunt, ut huic nostro sodalitio nomen darent. Res feliciter cessit et mox matronæ ita coniunctae mille erunt. Quae porro hae sibi agenda statuunt, paucis accipe.

Curam agunt de puero infante, pro quo habent : unam sedem praecipuam, ceterarum caput, minores quinque ; tabularium, ubi sunt duo millia quingenti nonaginta octo infantes per annum inscripti, curæ consociationis commissi; aerarium, ex quo per annum deprompserunt sexcenta quinquaginta septem millia et nonaginta duas coronas ; commeatum, quo per annum partiti sunt cibi ad sexaginta octo millia octingenta viginti quinque chilogrammata, panes viginti millia centum quindecim, atque alia ; procurationem, quæ sufficientes colligit proventus ; vestiarium, unde tria millia quingenta octo-

ginta tres vestes confectæ et distributæ sunt. Deinde opera, quæ ipsos pueros propius attingunt aggrediuntur, haec habentur : trecenti infantes constanter curati sunt, dum alii centum quinquaginta octo alebantur et praegnantibus peculiariter providebatur ; colliguntur ex triviis pueri, quorum sexdecim nutriti sunt ; comparatis hortis, fere centum pueri, in octoginta sex coetus distributi, exercendæ terræ quotidie operam dant ; familiæ numerosa prole oneratæ singulari sollicitudine levantur, ita ut octingentis et septem patribus ac matribus auxilium collatum sit.

Sunt quæ destinentur ad doctrinæ christianæ rudimenta docenda et centum viginti populares catechesim docuerunt ; quæ diversorio excipiendis feminis peregrinantibus destinato praesint, ubi per annum hospitio fruitae sunt octingentæ quinquaginta tres mulieres, noctem duxerunt duo millia quinquaginta et una, occupationem stabilem habuerunt quadringentæ sexaginta. Aliae mercaturam rerum tritarum promovent ad lucrum faciendum, quod singulis annis summam duodecim millium coronarum aequat sine ullo vectigali ; aliæ hortulos opificibus provident et mille centum triginta quinque agellos distribuerunt totidem fere viris, qui eos colerent.

Quaedam coetum feminarum acu pingentium moderantur, qua arte informantur amplius centum mulieres singulis diebus lucrantes fere sexaginta coronas ; summa totius pecuniae attigit quadringenta octo millia coronarum.

4. *Consociatio S. Ioseph feminarum acu pingentium.* Sodales sunt trecentæ et viginti, habent textrinum proprium, duabus contignationibus instructum, et scholam texturæ regunt. Omnes opem sibi invicem ferunt et honestas animi relaxationes mutuo praebent. Sodalitas mariana, quæ inter ipsas est constituta, spiritum fovet.

5. *Hospitium puerorum in trivio viventium.* Hoc opus novum est. Unus e Patribus hosce pueros, furtis et latrociniis solum deditos, in aliquam sedem a sodalibus marianis praeparatam cogere ad sexaginta coepit iisque doctrinam christianam explicat, rudimentis magis necessariis instituit, neque omittit parvum haustum miscere.

Cum ii veniant sorditati, vestibus et calceamentis donantur. Quatuor mensium spatio bis accesserunt ad Sacramenta

sumenda simul, multi quidem eorum prima vice. Ad provehendum hoc opus constitutum est quoddam Consilium, urbis magistratui probatum. Praeparatur locus stabilis, ubi pueri constanter habitare ibique diversas artes exercere possint. Admittendorum aetas a decimo anno ad decimum quartum dumtaxat vergere debet.

6. *Diversorium puellarum desertarum.* Hæ in artificiis muliebribus per hebdomadam occupatæ, diebus dominicis a meridie conveniunt in destinatum locum, ubi, feminis catholicis ex Sodalitate mariana omnia moderantibus, doctrina christiana excoluntur animumque honeste relaxant, apposita parva merenda. Unus e Nostris praefectum spiritus agit.

Hæc omnia in una urbe fiunt, a paucis Patribus, ope Sodalitatum B. Mariæ Virginis : tanta est vis Congregationum marianarum, si tota exseratur sciteque aptetur ad varias populi necessitates sublevandas et ad religionem fovendam.

E). — IN PROVINCIIS AMERICANIS.

(1919).

Marialium Sodalitatum, quæ in America Septentrionali ad nostros usque dies floruerunt, historia si perficeretur, sique enarrari posset quid tot ubique sodales summa cum laude fecerint, ut se ipsos sanctos redderent, proximos adiuvarent, fidem catholicam suavissimis virtutum fructibus non exornarent modo, verum etiam propagarent, profecto tot et tantarum rerum memoria in Dei et Ecclesiæ gloriam redundaret omniumque piorum hominum mentes et oculos ad Sodalitates mariales esset conversura. Sed, proh dolor, modestia illa, quæ propria est et, ut ita dicam, ingenita B. Virginis alumnis, hoc effecit, ut opera pia in honorem Matris Dei peracta ipsis familiaribus manerent ignota. Nam licet omnes habeant perspectum, permultas Sodalitates in diversis Americæ Septentrionalis partibus floruisse, quid tamen sodales in Dei et B. Virginis honorem cum laude egerint, memoriæ haud semper est traditum. Hinc ipse Sodalitatum numerus ut cognoscatur, omnium dioecesium atque piorum collegiorum census requiritur. Quamquam enim e Primæ Primariæ annalibus quæ Sodalitates huic nostrae Romanæ

aggregatæ fuerint accuratione quadam disci possit, attamen praeter illas aliæ permultæ constitutae quidem fuere, numquam tamen aggregatæ, ita ut ipse numerus Sodalitatum marialium nostra aetate in America Septentrionali existentium sola coniectura possit computari.

Nihilo tamen minus e variis fontibus res, quæ ad Americæ Septentrionalis Sodalitates B. M. V. spectant, colligi possunt. Has autem ita copulabimus, ut non dubitemus, quin ii, quibus occasio datur atque facultas, pro sua caritate afferant, si forte habeant, quod illarum historiam possit perficere et absolvere.

« Reginae Opus » (the Queen's Work).

Recentissimæ, neque tamen humillimae, paginæ Sodalitatum historiæ, quæ ad Civitates Foederatas pertinent, exarari coeptæ sunt, cum pium *Reginae Opus* (The Queen's Work) conderetur. Hoc enim "Opus,, ut nomen innuit, hoc ipsum sibi praestituit, ut promoveat et scriptis documentis doceat triplex illud officium in honorem Reginæ Caeli susceptum : primum, scilicet, ut sodales se ipsos sanctos reddant ; alterum, ut proximis succurrant quovis ad corpus aut spiritum pertinente misericordiæ munere ; tertium, ut defendant et propagent Ecclesiam adiuvandis Missionibus, scriptis spargendis, catechesim docendo aliisque modis vere efficacibus.

Hic porro periodicus libellus, primum editus mense maio anni 1914, per omnes Civitates Foederatas diffusus ad plurimos iam pervenit sodales. Ac primum quidem *Reginae Opus* sodales excitat ad cognoscendas atque servandas regulas Sodalitatum anno 1910 promulgatas. Studet praeterea omnes fervidos catholicos inducere, ut, nomine Sodalitati dato, regulas servent piaque vivendi ratione B. Virginem in dies magis honorent. Innuit praeterea quidnam Sodalitates bene administratæ agere possint ; refert etiam si quid novi illis evenerit, si ipsae efficaciter institutae sint. Aliis scriptis, sive adstricto sive soluto calamo compositis, novos ad nos attrahere lectores conamur, quibus mariana opera haec arrideant. Ad hunc igitur finem *Reginae Opus* sæpius scripsit de numero eorum catholicorum, qui nomina dederunt Consociationi Iuvenum Christianorum (The Y. M. C. A.) atque Societati Puellarum Christianarum (The Y. W.C.A.), quarum neutra est catholica.

Haec autem scripta multorum oculos et mentes in se converterunt multaque, sive intra Sodalitates sive extra eas, opera excitaverunt, quibus contra illos coetus non catholicos ageretur, quorum ad alterum, proh dolor, centum et quinquaginta milia catholicorum iuvenum pertinent, ad alterum quadraginta milia catholicarum puellarum in ipsis Civitatibus Foederatis Americæ Septentrionalis.

Idem libellus marianus coepit praeterea convocare sodales ad colendum SS. Sacramentum ; instituit ac fovit multas « Sectiones » variorum operum, e. g. : laici ad Exercitia Spiritualia peragenda excitantur ; augetur pia consuetudo docendi pauperes pueros catechesim ; coepit esse arca adiuvandis Missionibus destinata, ex qua aliquot millia aureorum (dollars) ad illas sustinendas missa sunt ; effecta etiam est « Coniunctio precum inter Sodalitates ». *Opus Reginae* illustravit denique commendavitque multas exercitationes, quarum sodales mariani participes esse possunt ; et quarum singulae singulis Sodalitatibus propriæ sunt. Tempus me deficiat, si enumerem quae sodales peregerunt, etiamsi eorum tantum genera brevi attingere velim. Nihilo tamen minus operæ pretium est, seligere nonnulla saltem, eaque illustria, exempla rerum, quas *Reginae Opus* excitavit. Eius moderator a primis inde temporibus editi libelli, quantum illi licuit, diversissima loca Civitatum Foederatarum peragravit, ut omnia suggereret et proveheret instituendas rerum gerendarum consociationes. Neque spes eum fefellit. E diversis enim partibus refertur, quantum a Sodalitatibus pro omnibus hominum ordinibus ubique felicissime sit perfectum.

Sodalitates in paroeciis.

Mense novembri anni 1917 totus dies consumptus est in explicando incolis Chicagensis paroeciae S. Thomae titulo « Societas B. Virginis », quid significaret et ad quid tenderet ; tum candidati qui Sodalitatis praescripta perficerent collecti atque in tabulas relati. Tres habiti sunt conventus maximi : primus paulo post meridiem pro omnibus paroeciae puellis, quae sodales fieri volebant ; alter, post breve tempus pro mulieribus matrimonio iunctis ; tertius, vespere, pro iuvenibus atque viris. Plurimis hoc modo congregatis suasum est, ut se coniungerent ad constituendas illas « Sectiones », quae sibi ad pia quaedam obeun-

da convenire viderentur. Neque poterat mentio fieri, nominis « Sodalitatis », quia haec vox a multis male intelligitur et inde parvi ducitur. Attamen quidnam Sodalitates mariales re vera essent, penitus est ostensum, etsi tum « B. Virginis Societates » vocarentur.

Sed, postquam ea quae earundem propria sunt perdiu fuerunt in usum deducta, cumque diploma Roma advenisset, convocato novo conventu, omnibus declaratum est, ipsos admissum iri in « Sodalitatem marialem ». Eo autem tempore omnes tantopere adamaverant istius consuetudines et fines proprios, ut nihil amplius quaererent, quale esset eius nomen.

Mirum est cernere, quanta haec Sodalitas, omnes bonos paroeciæ incolas complectens, confecerit per diversas « Sectiones » puerorum puellarumque studiosorum, iuvenum et virginum, mulierum ac virorum.

Ante illud tempus cum nulla ibi exstaret operum bene ordinata ratio, tum magna cum efficacitate et industria ea fieri coepta sunt. Et iam providetur pauperibus, ephebis invigilatur, catholicæ litteræ magnopere adiuvantur, maxima inter iuvenes adultosque servatur mutua necessitudo, bonis allecti ludis catholici a perniciosis abstrahuntur. Virorum « Societatis aerariæ » (Finance – Committee) labore, census annuus paroeciæ a quindecim millibus aureorum (dollars) auctus est ad sexaginta millia. Mulieres porro recentissimas emerunt machinas ad vestes ecclesiasticas consuendas ; conduxerunt praeterea peritissimas illius artis magistras, ita ut nunc altaris ac sacerdotis ornamenta conficiant, quae simulari crederes praeclarissima medii aevi id genus texta. Iuvenum autem Sodalitas currum automato agitandum emit, quo, mala exorta tempestate, liberi ad scholas convehantur. Conduxerunt praeterea « Operatorem socialem » et administratorem. In praesentiarum quadringenta millia dollariorum colliguntur ad aedificandam aulam Sodalitatis. Sed dum haec vigent, religio maxime floret. SS. Synaxium numerus quam plurimum auctus est ; divinus cultus et pietatis professio magnopere propagata sunt ; Congregatio vero puerorum et puellarum, qui scholam paroeciæ frequentant, palaestra est, in qua apostoli laici efficientissime exercentur.

Hoc unius Sodalitatis exemplum liquido ostendit, quid ceterae quoque omnes praestare possint, dummodo modera-

torem habeant qui, ut ille parochus, noverit, quomodo servandus sit atque augendus earum ardor. In aliis paroeciis similia perfecta sunt. Ita Providentiæ, quae est urbs princeps in Statu Rhode Island, Sodalitas ad S. Ioseph, praeter opera pia ad ipsam paroeciam pertinentia, aestate domum vacationum retinet, quae Domus Dominae Nostrae (Madonna) vocatur, ad quam sodalibus ventitare licet, sive ultimis hebdomadae diebus sive per totum feriarum tempus. Sodalitas ad SS. Redemptoris, Rochester, in Statu Neo Eboracensi praestitit aliis Missionum studio; quatuor enim virgines seposuit, quae ad fidem in plagis exteris propagandam cuidam sacrarum Missionum Societati nomen darent. Similes fructus colliguntur in Academiis et Collegiis a Sodalitatibus bene stabilitis, quae alicubi factae sunt pro puellis quasi scholae et palaestrae pietatis atque fervoris apostolici.

« *Sectiones* ».

Sane « Sectiones » variae distinguuntur; ac prima quidem proponit sibi Missiones adiuvandas; altera est *Knights and Ladies of the Blessed Sacrament*,non tamquam societas separata, sed pia quaedam *Crusade* honori SS. Eucharistiae consulens; tertia catholicas litteras bonosque libros spargit et parochis adiumento est; quarta dicitur Nuntiorum B. Virginis, cuius officium est, afferre nuncianda negotiaque tractare; quinta fertur Auxilium pauperum; sexta, spectacula, musicam, lectiones publicas temperat; septima vestes pro pauperibus consuendas suscipit; octava est ad praesidium puerorum puellarumque (Children's Aid,) atque alia. Per maiores a studiis vacationes sodales ex Academiis et Collegiis monentur, ut rudimenta doctrinae christianae pauperum prolem doceant,provideant iuventuti catholicae bona spectacula, magni faciant opera omnia quae ad suam paroeciam pertinent, perque totam vitam fervidi Sodalitatis suae socii esse perseverent.

Quae agendi ratio tam celeriter quoquo diffunditur, ut sperare nobis liceat, fore ut Sodalitates in scholis et Collegiis fiant laborum feraces ad proximorum salutem procurandam.

Sodalitates in Collegiis Societatis.

In aliquot Collegiis nostrae Societatis opera eiusmodi magna cum alacritate suscepta sunt. Sic adultiores sodales Collegii S. Xaverii, Cincinnati, in Statu Ohio, in « Sectiones » valde actuosas convenerunt, e quibus una optime meruit de revocandis ad bonam vivendi rationem malis pueris. Suas quoque habet sane perutiles Sodalitas Collegii Campiani, in urbe Prairie du Chien Status Wisconsin, suas sodales Collegii S. Ignatii, Clevelandi, in Statu Ohio, qui praeter cetera, recurrente hieme, solent quatuor millia librarum vestium pro pauperibus colligere. Nunc denique, Sodalitates Collegiorum praecipuam dant operam Missionibus exteris adiuvandis, qua pecuniam colligendo, qua res necessarias ad nascentes illas ecclesias mittendo.

Sodalitates extra paroecias et Collegia.

Praeter has Sodalitates in paroeciis et Collegiis constitutas, aliae habentur pro singularibus hominum generibus, inter quas memoratu dignae sunt aegrorum administrae in nosocomiis atque hospitiis. Sodalitates enim amplectentes eiusmodi feminas, tum discipulas tum publice probatas, plurimum valent ad instituendas administrarum mentes ad opera pia. Abhinc haud multis annis si, quod tam feliciter coeptum est, pari felicitate absolvetur, eveniet, ut suam quodque nosocomium Sodalitatem id genus habeat. Ex iis non solum quae discipulae adhuc sunt exercentur Missionum operibus, provehendis catholicis litteris, spritualem opem aegrotis ferendo, instruendis neophytis, SS. Sacramentis frequenter recipiendis, verum etiam unoquoque mense ad illas quae sunt publice probatae mittuntur chartae quibus monentur, ut ad mensam divinam accumbant, sicuti consuetudo et regula praecipiunt, et simul inducuntur ad rescribendum, quidnam egerint in honorem B. Virginis, ut proximos adiuvarent et Christi Ecclesiam pro viribus defenderent.

Nonnullae etiam Sodalitates magistrarum institutae sunt, in primis Philadelphiae, in Statu Pennsylvania, quae, cum regulas ad unguem sequantur, fructuosissimae sunt. Magnus enim numerus magistrarum catholicarum in scholis publicis docentium fons est et sedes maximorum bonorum.

Sodalitatum consociatio.

Venimus nunc ad coniunctionem Sodalitatum, quae orta est, cum R. P. Franciscus X. Wernz rogavit ut *Reginae Opus* multarum ex illis inter se conspirantium adiumentum maxime procuraret. Quamobrem secundum regulas anno 1910 promulgatas, compluribus in locis coniunctio coepit. Duplex autem eius est finis. Primus, ut singularum Sodalitatum legati ad conventum singulis mensibus aut decimoquinto quoque die habendum mittantur, in quo deliberent de piis Sodalitatum laboribus, secum invicem communicent consilia atque res gestas, inspiciant quibus rebus auxilia mutua a diversis totius urbis paroeciis obtineri possit. Alter, ut bis vel quater singulis annis magna, eaque publica, sollemnia in honorem B. Virginis peragantur sive in ipso templo cathedrali, sive in multis simul paroeciis, sive sub divo. Ad haec, ex tota urbe sodales conveniunt, hymnos Deiparae concinunt, audiunt sacram concionem ad Sodalitates confirmandas spectantem, SS. Sacramentum venerantur, quo tandem cunctis benedicitur.

Eiusmodi copulatio facta est anno 1914 in Hudson River Valley, in Statu Neo Eboracensi. Cum paulo post aliae fierent, omnes quae in archidioecesi Neo Eboracensi inveniebantur in unam amplioremque coaluerunt, ad quam nunc pertinent plures quam centum Sodalitates. Conventus « Sectionum » habentur, in quibus sodales et moderatores disputant de rebus ad illas pertinentibus, et quaenam agenda sint inter se conferunt.

Mense porro octobri anni 1915 coniunctio effecta est quoque Angelopoli, (Los Angeles) in Statu Californiæ, post aliquas adhortationes editoris *Reginae Operis*, quae tamen, quamquam magno cum ardore incepit, a singulis moderatoribus non multum adiuta est. Mense decembri anni 1915 alia oritur in urbe Fort Wayne, quae est in Statu Indiana, post conciones triduo in templo praecipuo habitas. Die decimo quinto mensis decembris eiusdem anni fere mille et quingenti homines, sacerdotes ac laici, congregati sunt in magnum urbis auditorium. Haec consociatio optime quidem merita est de urbe, cum theatrum publicum purgasset quibusdam ludis non satis honestis, sed, mutua opera deficiente, rectores ab inceptis destiterunt. Anno 1916 aliis

alibi initium factum est. Baltimorae, in Statu Maryland, fere mille et quingenti sodales in templum S. Martini confluxerunt, audituri editorem *Reginae Operis* disserentem de finibus coniunctionis, quam omnium Baltimorensium Sodalitatum legati constituerant. Piissimae mulieris cura, consociatarum Sodalitatum praesidis, communia opera felicissime coepta sunt. Excitata enim est domus pro puellis catholicis, *Casa Regina* appellata, quam habitant sexaginta quinque puellae opifices (working girls), dum trecentae exspectant, ut admittantur. Praeterea nunc sedes (settlement) constituitur pauperibus pueris ac puellis recipiendis. Sacrae tandem cerimoniae in honorem B. Mariae Virginis aliquando amplius septem millibus spectatorum attrahunt. Eodem anno coniunctio facta est, tum Bostonii ubi, dinumeratione tum facta, sexaginta quinque millia sodalium in illa archidioecesi esse compertum est, licet non omnes Congregationes Primae Primariae sint aggregatae ; tum Novae Aureliae in Statu Louisiana, ubi, quamquam legati erant sat fervidi, mutua tamen deficiente conspiratione, moderatores animo desponderunt ; tum denique S. Ludovici, in Statu Missouri, qua in urbe consociatio per aliquod tempus magno cum fervore scriptis adhortationibus (book talks) quibus proveherentur litterae catholicae, adiuvandis Missionibus, exhibendis Sodalitatum exercitationibus (demonstrations) operam dedit.

Sed haec sodalitatum consociatio per idem fere tempus Pittsburgi in Pennsylvania coepta hortatu editoris *Reginae Operis* inter florentissimas et praestantissimas excellere visa est. Nam, postquam Episcopus suam illi opem contulit, tanto studio exarsit, ut brevi plurima in civium utilitatem conficere potuerit. Sane, *Sodalitatis Opus Sociale* (Sodality Social Service), quod vocatur, adlaborat catholicis puellis opificibus erudiendis, schola vespertina quam frequentant quotannis fere duo millia discipularum ; post praelectiones vero variis modis animi honeste relaxant. Idem Opus administrat nonnullas domos liberis catholicorum immigrantium excipiendis, in iis locis sitas, qui incolarum multitudine iam redundant ; scholam etiam possidet, in qua exercentur ii, qui volunt fieri sociales opifices aut magistri in scholis vespertinis ; habet praeterea villulam ab Episcopo donatam, ad quam sodales possunt se recipere ultimis

hebdomadae diebus vel per totas aestivi temporis vacationes. Praefecti sodalium omnes invisunt socios Pittsburgenses, ut eos excitent ad frequentandas scholas, in quibus iura et officia civium edocentur et praeparantur ad haec obeunda secundum conscientiae legem et optimi civis rationem. Tandem ille qui consociationi Pittsburgensi praeficitur eiusque adiutor numquam non id agunt, ut novas Sodalitates instituant veteresque, quae forte dilapsae sint, ad pristinum statum adducant.

Alia communitas inita est Altoona in Pennsylvania, cum conciones haberentur tres ipsos dies in aede principe et omnes urbis sodales adessent. Ea perdiligenter studuit adiuvare Missiones, spargere bonos libros, lusiones honesta iuventute dignas providere, atque Baltimorensem communitatem imitata, emit ipsa quoque domum custodiendis puellis. Similia, licet non eodem semper exitu insignia, acta sunt Rochester in Statu Neo Eboracensi, Johnstown et Scranton in Pennsylvania, Bridgeport in Statu Connecticut.

Ex iis quae narravimus elucet, eiusmodi Sodalitatum consociationes magnae gloriae esse B. Virgini Mariae, eiusque cultum ac reverentiam in civibus fovere. Permulti enim homines festis sollemnioribus publicis intersunt, ut accidit e. g. cum in maiore templo Pittsburgensi editor *Reginae Operis* triduo concionaretur, vertente mense maio 1917, cum fere duo millia sodalium singulis vesperis oratorem audirent et multae piae feminae ultro se offerrent ad opera socialia Sodalitatum inchoanda. Fere semper concordi sententia Superiores nostri suaserunt, ut communionum rectores eligerentur ex clero dioecesano, semperque Episcopi consensus quaereretur, priusquam illae inirentur.

Moderatorum conventus.

Mentio denique facienda est trium conventuum moderatorum Sodalitatum e nostra Societate, qui habiti sunt in Provinciis Marylandiae—Neo Eboracensi, Missouriana, Neo Aurelianensi, e consilio R. P. Francisci X. Wernz. In iis ostensum est: ante omnia regulas et fines Sodalitatum melius intelligi debere, moderatores instruendos esse, qui possent administrare et regere Sodalitates; utile esse, has ab eodem praeside

per tempus bene longum geri; duplicem earum propositum semper considerandum urgendumque, scilicet ut sodales et se ipsos sanctos reddant et proximos adiuvent fidemque catholicam propagent.

Spes futuri.

Ut igitur simul omnia uno adspectu complectamur, quae acta sunt et nunc aguntur in honorem B. Virginis a sodalibus nostris, haec nobis dicere liceat. Ex Sodalitatibus Americae Septentrionalis sunt, quae optime vigeant multosque procreent fructus. Attamen multa adhuc desiderantur, ut sodales plane perspiciant quid velimus, ut nimirum regulae custodiantur, eae in primis quibus consulitur aeternae hominum saluti et fidei dilatandae. Quantum coniici potest, hac in continente sunt quindecim aut viginti millia Sodalitatum cum amplius decies centenis millibus sodalium. Ex illis tamen plurimae sunt mulierum vel puerorum et puellarum; paucae tantum, magnae et florentes, virorum. In ipsis enim urbibus, in quibus triginta ante annis singulae fere parœciae suam virorum Sodalitatem habebant, plurimae interiere aut mutatae sunt in Societatem SS. Nominis Iesu. Licet *Reginae Opus* omnia eo dirigat, ut instauretur pristinus mos inscribendi iuvenes et viros in tabulis Sodalitatum, difficilem tamen rem esse sentit, cum mentes praeiudicata teneantur opinione, Sodalitates esse societates muliebres aut pueriles; opponuntur etiam universa ludorum et lautitiarum voluptas, ingens coetuum laicorum copia, multiplicata catholicorum sodalitia sive socialia sive religiosa; quibus omnibus contingit, ut Sodalitatum marialium conventus minus frequententur et numerus sodalium minuatur. Nihilominus illae crescent et nativo fulgebunt splendore, si pium laicorum studium in ipsis Sodalitatibus, in paroeciis, in domibus misericordiae exercendae destinatis augescat.

Nuperrime Antistes dioecesis S. Cloud petivit, ut sacra praeconum verbi Dei expeditio ad omnes urbis paroecias et ad suburbanitatem fieret, prima quadragesimae hebdomada ad mulieres, altera ad viros. Re confecta, Sodalitates pro omnibus civium ordinibus in singulis parœciis constitutae sunt, nimirum pro iuvenibus virginibusque, pro uxoribus, pro maritis; omnes deinde consociationem iniverunt, ut viribus coniunctis com-

munem promoverent pietatem et amplum laboribus laicorum campum praepararent. Multa sperari possunt ex opere, quod nunc tantum inceptum est ; sed novam gravioremque historiam Sodalitatum exspectamus, cuius primae nunc paginae exarantur.

IV.

COLLEGII GERMANICI ET HUNGARICI IN URBEM REDITUS.

(1919).

Cum primum mense augusto 1919 nunciatum est alumnis Collegii Germanici et Hungarici, qui a mense octobri 1915 hospitio habebantur in Convictu Canisiano Oeniponte (Innsbruck), licere tandem Romam propriamque in sedem redire, summa fuit omnium laetitia et animus erga divinam Bonitatem gratissimus. Optatus itaque reditus adornabatur in exeuntem octobrem, ad quod tempus alumni dicebantur in Urbe exspectari, Nonis novembribus initium in Universitate Gregoriana studiis daturi. Erant omnino sexaginta septem iuvenes. At brevi commune gaudium minuerunt improvisi nuncii, qui monebant nonnullos debere Oeniponte immorari, donec per novas litteras arcesserentur. Cum enim, ut in omnibus Europae partibus superiore bello afflictis, ita in Italia ex magna annonae inopia et auctis operarum mercedibus vilitas pecuniae consequeretur, consueta Collegii percepta in praesentiarum sufficere non poterant nisi ad triginta circiter alumnos alendos ; si quis vero vellet de suo solvere, is debebat quatuor millia libellarum italicarum quotannis depromere.

His rebus, necesse fuit complures Oeniponte relinquerentur bona cum spe, fore ut Romam tum venirent, cum per tempora liceret.

Primum agmen cum Vice-Rectore, praefecto spiritus ac repetitore theologiae dogmaticae, Italiam versus profectum est die duodetrigesimo mensis octobris, curru viae ferreae convectum, ipsi uni benevolentia tribuni militaris et Co-

mitis Roffi destinato. Tertio Kalendas novembres, hora prima et sesqui, Urbem antelucani ingressi sunt optatissimi reduces. Multa ab amicis gratulatio facta est eo praesertim die, in primisque a Patre Nostro Generali, ab Assistente Italiae et a Secretario Societatis, quorum non paucis curis effectum erat, ut bona omnia Collegii belli tempore a civili curatore immunia forent. Reliqui bini ternive deinceps subsecuti. Verum, cum Summus Pontifex audiisset, magnam alumnorum partem Collegio valedicere debuisse defectu pecuniae, id aegre ferens, sponte tantum dedit, quanto opus erat alendis saltem decem iuvenibus. Hac Benedicti XV liberalitate desiderioque moti, moderatores omnia ita temperarunt, ut haberent quinquaginta quinque omnino alumnos. Ex his undeviginti Collegium incoluerant Romae ante bellum.

Nunc porro philosophiam audiunt duodetriginta, theologiam quatuor et viginti, tres biennium agunt, nimirum unus iuris canonici, alter theologiae dogmaticae, tertius Instituti orientalis. Si eorum patriam quaeris, viginti et unus sunt Germani, octo Hungari, octo Helvetii, septem Jugoslavi, quatuor Austriaci, tres Tirolenses, duo Poloni, unus Luxemburgensis.

Modus vivendi Romae nihil admodum illis difficilis fuit, quippe qui romanas consuetudines Oeniponte de industria servassent. Ad quod profecto eos incitat gratus in Deum et Societatem animus necnon menti alte defixa persuasio se Romae, in ipsa catholicae religionis arce, fundamentum maxime solidum totius vitae ac scientiae sacerdotalis iacere debere. Verum haec ipsa ratio illis continuo stimulo est ad mores induendos spectatissimo quoque clerico dignos, ita ut famam, quam ante exilium adepti fuerant optimam inter Collegia Urbana, post reditum omnibus videantur perpetuasse. Cum non potuissent ante studiorum instaurationem annuis Exercitiis Spiritualibus per octo dies operam dare, sollicitudine impediti quam secum ferebat reditio, ea per ferias Natalis Domini, quo tempore a scholis vacabant, ultro persecuti sunt. Kalendis novembribus rursus provinciam susceperunt faciendi caerimonias sacrosque ritus in maximo Societatis templo SS. Nominis Iesu, quoties recurrunt sollemiores dies in anno.

Cum alumni Collegii Bohemi de Urbe, Romam redeuntes, suas ædes ab aliis adhuc occupatas invenissent, hospitalita-

tem Germanicorum experti sunt, donec suam in sedem reverti licuit. Eadem fruiti sunt tres Labacensis (Ljubljana, Kranjsko) Seminarii iuvenes, quibus bello captis nondum integrum fuerat patriam petere.

Exeunte decembri, nostri alumni Romano Pontifici supplicarunt, ut ipsos aliquo suo alloquio dignaretur, quo nihil antiquius habebant, ut per eam occasionem et Christi Vicarium coram venerarentur et eidem gratias agerent pro summa benevolentia, qua Roma extorres ipsos prosecutus erat. Concesserat enim, ut periculum theologicum ad lauream doctoris consequendam, Oeniponte ab alumnis Collegii Germanici factum, his ius daret diplomatis Universitatis Gregorianae de eadem facultate. Cum tamen per eos dies accessus ad Pontificem iam esset satis impeditus, admissi sunt in Vaticanum die vigesimo sexto ianuarii. Cum Benedictus XV conspexit circa se Germanicorum coronam, sic eam est affatus :

« Magna afficimur laetitia, dum circumdamur corona alumnorum Collegii Germanici, quorum gratia illud tritum sermone proverbium vere possumus repetere : Post nubila phoebus. Sane, vester in Urbem reditus, sol est. Spem hinc fovemus, fore ut sol iste multos fructus ex humo producere faciat, cum Deus documentis per moderatores lectoresque datis foecundum semen vestris animis commiserit. Vos enim terra estis, in qua sementis fit bonae doctrinæ ac pietatis. Cum autem sol habetur, fovens succrescentia germina, fructus non nisi uberrimi sunt. Hinc fausta omina capimus, futurum esse ut magna sit vobis primum, deinde nationibus ac dioecesibus, ad quas pertinetis, frugum ubertas.

« Cara atque iucunda Collegii Germanici recordatio Nos tenet, quippe quod dominus ac possessor tunc esset aedium Universitatis Gregorianae, cum Nos ibi studiis operam daremus. Universitatem quidem celebrabamus, ad quam adhuc acceditur via quae dicitur *Del Seminario* ; sed illius herus erat Collegium Germanicum, ita ut sit fas dicere, Nos per id tempus frui hospitio a Germanicis accepto. Germanici etiam cum semper circulis praeessent, Nobis studiorum socii erant et Nostrum curabant progressum.

« Quare iam tum benevolenti erga illos animo esse coepimus, quorum nonnullos dein rursus vidimus, alios vero suspeximus

auctos iam honoribus ; eosque agnovimus collato studiorum tempore, licet forte in schola non magis alter alteri notus fuerit, quam se norint condiscipuli e diversis Collegiis.

« Hanc suavissimam memoriam et grati animi sensa manifestare voluimus, ut constaret, quam sincere istius Collegii prosperitatem faustis ominibus prosequeremur hoc tempore, quo illud Nobis videtur novam suae vitae aetatem inchoare.

« Cum nova initur aetas, solemus illam ingredientibus bene ominari, ut ipsa docet natura. Id tamen non sufficeret, imo vota nostra inania forent, nisi haec peculiariter commendarentur Beatissimae Virgini, sanctis caelitibus ac patronis Collegii Germanici et nisi vobis apostolicam apprecaremur benedictionem. Haec porro efficiat, ut hisce annis, quos Romae traducere concessum est, ea doctrinae ac pietatis copia mentem locupletetis, quae tandem vobis in obeundo sacro ministerio abunde suppetat.

« Postquam vero vobis benedixerimus, haec ipsa divina benedictio ad vestras usque familias pertingat, ad vestras dioeceses, ad vestras nationes, ad illos denique, quibus vos ipsi benedicetis ».

Unum alumnis displicuit, non potuisse nimirum coram Pontifice apparere amictos rubea veste, quam ab ipso conditore Collegii Ignatio uti propriam acceperant, et postea semper, tamquam sui Parentis peroptatam hereditatem et gratissimam obtutibus omnium Romanorum induerant. Tum prudentiae tum impendii causa, visum est lugubri, quem belle vocitabant alumni, cultu iis aliquandiu incedendum esse. Eorum propterea adventus romanis civibus ad Hebdomadam usque Maiorem fere latuit, cum ad sacros Passionis Domini Nostri ritus agendos in templo SS. Nominis Iesu primum visi sunt rubra veste ornati. Audires tunc per vias et compita populares eos consalutare, quos tam multos post annos, aiebant, rursus videre datum esset. Cerneres interdum festivos puerulos post rubros clericos impari gradu cursitare, donec arrepta alicuius alumni dextra, suaque illi implicita, subridentes illum salvere iubebant.

Sic voti copia facta est. Sic Ignatii opera turbines vel immanissimos humanae vitae ac regnorum praetervolant suaque soliditate ad maiorem Dei gloriam perseverant.

V.

PROVINCIA AUSTRIAE IN EXTREMAM FERE NECESSITATEM ADDUCTA SODALIUM CARITATE LEVATUR. (1918-1919).

Ut belli fortuna post varios armorum casus socialibus mediae Europae exercitibus aversata est, Austria prae ceteris regionibus tanta egestate laborare cœpit, ut homines sine spe auxilii inedia necarentur. Quae cum scivissent aliarum Provinciarum Patres Fratresque, illico eos tenuit cura sodalium austriacorum et adolescéntium, quos isti in Collegiis instituebant. Longum est de singulis dicere, sed ab uno alterove exemplo facile cognosci poterit, quid ceteri vel fecerint pro viribus vel facturi essent, nisi idem bellum non paucas alias Provincias exhausisset.

Caritas erga Nostros.

Iucundissimum est cognoscere ex epistolis, quam libenter alicubi Nostri non pauca vitae commoda sibi negarint, ut Socios, e florenti in miserrimum locum uno momento deiectos, adiuvarent.

Oniae (Oña, Prov. Cast.), ubi in Collegio Maximo philosophi et theologi Castellani et Legionenses superioribus studiis dant operam, cum Scholastici ex lectione super mensam habita accepissent, populum universum in Austria extrema inopia ac fame laborare, desiderio exarserunt Patribus ac Fratribus illius Provinciae aliquo modo subveniendi, quod putarunt facile fieri posse, si quid de suo cibo detrahi sibi permitteretur. Quare complures tum e theologis tum e philosophis ad P. Rectorem id consilii manifestaturi se contulerunt. Laudavit Rector animum plane generosum, sed reposuit, debere se scire, utrum omnes, necne, eiusdem essent mentis. His auditis, coguntur ad consulendum theologorum ac philosophorum separatae classes, quae, ut rem audiunt, maximo omnium plausu adhaerent proposito, paratissimas se profitentes cibum extraordinarium in eum finem relinquere, videlicet quidquid

mensis primi ac secundi gradus non quotidianum aut utcumque insolitum in triclinio apponeretur. Non deerant imo multi, qui vellent quotidianum quoque victum nonnihil imminuere; sed quia haud pauci vel infirmis utebantur viribus, vel ob nimis adhuc iuvenem aetatem ex studiorum labore detrimentum pati poterant, nisi consuetam necessariamque escarum partem sumerent, contenti omnes fuerunt petendi a Superioribus, ut ab extraordinariis epulis abstinerent. Quod autem his visum est, id a ceteris Collegii communitatibus ultro libenterque susceptum probatumque fuit et Provinciae Praeposito significatum, ut vellet, si ita in Domino iudicaret, illud ratum habere. Praepositus laetissimus, quod tanta erga fratres caritas subditos suos, superatis incommodis, urgeret, petitioni libenter annuit, sed eorum postulata tamdiu se facturum promisit, quamdiu illud dumtaxat studiorum curriculum perseveraret. Noluit enim prudens Moderator posteros eo vinculo teneri, quo alii libere se ipsos obligaverant. Quae omnia cum Rector Patri Generali referret, haec subdidit: Levamen quod ex parva privatione ipsi afferre possent carissimis Patribus ac Fratribus Provinciae Austriae, exiguum sane fore; se tamen voluisse palam facere, dum illi tam magna premerentur egestate, sibi minime indulgere, ut rebus non necessariis affluerent; ceterum solari vehementer, quod sua agendi ratio alios quoque impulisset ad providendum simili modo optatissimis Sodalibus, eo magis amandis, quo magis digni essent calicem Domini bibere. Pecunia hisce industriis collecta aequavit duo millia pesetarum.

Collegium Maximum Oenipontanum sperat notam fore posteritati liberalitatem Provinciarum Californiae, Missourianè, Campaniae, Marylandiae-Neo Eboracensis.

E remotissimis quoque Sinis, R. P. Carolus Héraulle, Superior Missionis Tcheu-li Meridiano-Orientalis de calamitatibus Provinciae Austriae edoctus, eius Praeposito dono misit duo millia et quingentas libellas.

Ex Neerlandia, Patres Collegii Neomagensis (Nijmegen) et Katwicensis (Katwijk) stipem; Residentia vero Hagae-Comitana ('s Gravenhage), non secus ac Sodales Americani, magnam stipendiorum vim impertivere.

Et tamen, quae est *Societatis amoris* lex, ipsi Patres Austriaci Collegii Kalksburgensis vicissim Socios Hungaros, eversam patriam fugientes, tecto hospitioque ultro receperunt et cum

ipsis modicum suum victum libenter participarunt. Item Collegium Feldkirchense (Feldkirch, Prov. Germ.), licet clausa fuerint annonae iam ubique miserrimae subsidia, ita ut ad aliquod tempus alumnos domum demittere debuerit, quinque tamen Novitios Hungaros summa benevolentia admisit atque aluit.

Caritas erga alumnos.

Dum Provinciae sua pecunia Nostris opitulantur, suorum Collegiorum alumnos movent, ut pueris Convictuum Provinciae Austriae nutriendis aliquam opem conferre velint. Neque defuit parvae aetati animus ingens.

Et vero, Rector Kalksburgensis postquam tristissimam Collegii conditionem Patri Nostro suis litteris narravit, haec addidit : Magno solatio sibi ac suis fuisse insperatum repentinumque auxilium, missum tum a Patribus Neerlandicis tum ab eorum discipulis ; cum enim tota Neerlandia Vindobonensibus civibus penuria laborantibus provideret, Rectorem Collegii Neomagensis (Nijmegen, Prov. Neerl.) magnanimum consilium cepisse prospiciendi alumnis Kalksburgensibus ; re cum discipulis communicata, e vestigio adolescentes, in primisque sodales marianos, nihil intentatum reliquisse, ut pecuniam a parentibus et amicis compararent, qua cibi emerentur ; neque hac contentos industria, aequales suos etiam Collegii Katvicensis esse adhortatos, ut in societatem consilii venire vellent ; neque frustra eos rogasse, quippe cum illi pari alacritate aliorum liberalitatem aemulati essent ; convictores vero Kalksburgenses, peractis feriis Natalis Domini, cum in Collegium rediissent, re cognita, statim proximo die dominico omnes divinam Eucharistiam sumpsisse, pro alumnis neerlandicis oraturos. Hactenus Rector. Ineunte autem novo anno, e duobus illis Collegiis neerlandicis tria millia sexcenti floreni praeter aliam pecuniam ex alumnis scholae mediae Hagae-Comitanae Kalksburgum pervenerunt.

Nec deesse huic pietatis officio passa est iuventus tum quae ad Thermas in Urbe, tum quae Monte Draconis in Tusculano et Stratae in Hetruria a Patribus Romanis excolitur. At singulari memoria digni sunt pauperes pueri Indi Sioux Missionis S. Francisci (S. Dakota, Prov. Missour.), qui e suis nummis quatuor dollaria decerpserunt ad aliquid penus comparandum adolescentibus Collegii Feldkirchensis.

VI.

HUNGARIAE PROVINCIA TEMPORE DICTATURAE PROLETARIAE. (1)

(1919)

A). — COLLEGIUM BUDAPESTINENSE.

Socialistarum regimen.

A mense octobri anni 1918 ad martium 1919, quo tempore prima rerum conversio exarsit, ab infelici comite Károly et a socialistis excitata, Nostri opera quidem continuare, sed pace frui iam non poterant. Modo enim perduelles, iudaeo duce, domum perscrutatum veniebant, suspicati ibi celari ephemerides quae populum contra ipsos incitarent; modo universae rei militaris administer, ratus se in domo Congregationis marianae tribunos militum detecturum, qui contra praesentem Reipublicae commutationem arma inferre meditarentur; modo investigatores, qui Patrum quorundam cubicula perlustrabant versabantque scripta, somniantes penes illos esse receptaculum omnium, quibus in meliorem statum Respublica restitueretur.

Socialistarum regimen in dies magis favebat proletariorum factioni, quos *communistas* et *bolscevicos* appellant, quae a mense decembri 1918 ac deinceps perturbandae civitati aperte operam dare et, auctoribus iudaeis, Ecclesiam eiusque sacerdotes impudentissime calumniari coepit.

Die 19 februarii anni sequentis mane ad horam nonam, centum fere opifices conducti, duce iudaeo Silbermann, in domum Congregationis marianae irruunt; fenestras, ianuas, quidquid ipsis obiicitur infringunt: mox in typographeum illapsi, quod apostolicum vocant et a sodalibus marianis comparatum est,

---

(1) Cum quaedam Collegia ac domus Provinciae Hungariae in iis regni partibus sita essent, quae a finitimis populis occupantur, tres tantum domus superfuerunt, i. e. Budapestinensis, Colocensis et Kapornacensis, de quibus propterea tantum historia narratur.

omnia evertunt et machinas comminuunt ; deinde in sacello Congregationum tabulas Viae Crucis pariter dissipant. Nostri partim fugere, partim quaestorios milites advocare ; sed hi, segnes ad rem nostram tuendam, tunc adveniunt, cum saevi populatores, suppellectile iam concisa, discedunt. Christifideles summo affecti dolore complures dies, peregrinantium instar, domum Sodalitatis B. Mariae Virginis frequentarunt, ut sceleris vestigia deplorarent, Patres solarentur, pecuniam se collecturos ad resarcienda damna sponderent.

Tempora Collegii quotidie magis periculosa fiebant. Nam socialistarum tumultus, iudaeis fautoribus, ita crescebant, ut peior publicarum rerum mutatio exspectanda esset. Sodalium marianorum conventus amplius non permittebantur, cum regni eversores timerent, ne quid contra se pro ordinanda Republica strueretur.

Dictatura proletaria.

Die 21 mensis martii dictatura proletariorum, omnium funestissima, non sine civili sanguine effuso, initium habuit. Per idem tempus sodales academici B. Mariae Virginis Exercitia spiritualia incipere debebant, et, quamquam magnus erat populi motus et mentium perturbatio, ad audiendam tamen primam commentationem centum viginti iuvenes convenerant. Ea vix absoluta, en viae omnes resonabant voce praeconum dictaturam proclamantium, qua perterriti cives diffugiebant. Cum Provinciae Praepositus ea ipsa nocte Agria, ubi Exercitia tradiderat, Budapestinum reverteretur, domum venire non potuit, sed armorum strepitu coactus est in quoddam monialium asceterium sese abdere.

In Collegio sodales mariani maxime sollicitam curam Patrum sponte suscipiebant. Opinione enim citius praeparaverant attulerantque civiles vestes, quibus celati Patres fugam tutius caperent, alii vero amici sua domicilia iisdem offerre certabant, ubi latere possent. Nonnullis etiam sodales mariani, in primis iuvenes opifices, nocte armati et postquam prohibitum est ne quis arma secum ferret, sine armis in Collegio vigilias agebant Nostros defensuri, si forte proletarii aedes adorirentur. Quidquid facile asportabatur e rebus ad vitam maxime necessariis, ut vestes, alimenta, libri, illud boni

cives partim domi suae partim alibi custodiebant. Ingens vero Sodalitatum B. Mariae Virginis amor eos singulariter studiosos effecerat collocandi in tuto quae ad potiora ipsarum opera spectarent, ut erant periodici libelli qui inscribuntur *M. Congregáció*, *Magyar Kultúra*, *A Szív*, *Das Herz*, quaedam etiam scripta praelo mox committenda, bibliothecas marianas et SS. Cordis Iesu, atque alia. Per aliquot tamen dies tranquillitas satis viguit, ita ut Patribus ministeria consueta in templo obire fas fuerit.

Verum, septimo Kalendas apriles decretum latum est, quo dabatur facultas declarandi privatorum domos plebi communes. Triduo post sartorum manus, magna petulantia, in domum Congregationum ingrediuntur et cum pulcherrimas conventuum aulas sibi communes esse pronunciassent, in iis procurationem rebus proletariorum curandis et regendis, moderatore iudaeo, constituerunt. Per sacros autem Maioris Hebdomadis dies in praecipua domus exedra concentus edere et choreas ducere eos minime puduit.

Religionis odium tegentes nomine impediendae rerum mutationis, quae esset dictaturae contraria, vetitum est, ne hominum comitia et conciones in templis haberentur. Quod cum audisset Sodalitas academicarum, quae ad Exercitia Spiritualia peragenda confluxerant, nullo modo passa est marianas exercitationes interrumpere; sed, ne Nostris invidiam conflaret deliberavit se modo in uno, modo in alio templo, quod a nostro procul esset, S. Synaxim celebraturam ; sodales vero octonae vel denae nunc in unam nunc in alteram domum convenirent, quasi amicitiae causa, re autem vera ut pias lectiones aliaque id genus opera prosequerentur.

Tertio Kalendas apriles, qui dies erat dominicus, sacri concionatores tota urbe silebant ; sed grave illud silentium omnium bonorum animos magis permovit, quam vehementissima concio. Plurimi testantur numquam antea tantam hominum multitudinem templa implevisse, numquam auditos esse tam frequentes fletus, ita ut vel ipsi proletarii milites ad ianuas nostri templi populum rogarent, ut a lacrimis se temperare vellet et iudaei mirarentur tam multos esse in urbe catholicos. Post vespertinos ritus, cum SS. Sacramentum in tabernaculo reconderetur, tota christifidelium turba miserandum in modum

ploratus e vestigio edidit; credebat enim, se ultima vice templo adfuisse; sed Patres illi persuaserunt, Sacra posse in posterum quoque fieri. Huic civium commotioni tribuendum est, si decretum solvendi Ordines religiosos, quod tres ante dies conditum fuerat, pridie Kalendas apriles non est promulgatum. Astuti enim homines, non iam lege, sed vi sibi utendum arbitrati, eos paulatim disperdere decreverunt.

Cum ideo incerta fieret nostra commoratio, Provinciae Praepositus, adscito Socio, summum proletariorum consilium adiit, quod rebus ecclesiasticis praeerat. Qui huic praeficiebatur, Ansgarus Faber, et qui illius a secretis erat, a sacro Scholarum Piarum Ordine desciverant. Interroganti Praeposito nostro, nonne in Societatem Iesu, ut nonnulli dicebant, acrius quam in ceteras religiosas familias saevire meditarentur Reipublicae rectores, is qui a secretis erat hilari vultu promisit, nil insolens contra nos paratum iri. Eventus tamen aliter se habuit.

Nostri ad vincula conquisiti.

Et iam singuli Patres fugere coacti sunt. Quidam, iudaeis in primis invisus, dum confessiones in templo excipiebat, domi ab investigatoribus quaerebatur. A fidelibus de suo periculo edoctus per templi fores dilabitur et militari veste amictus aliam in urbis regionem perrexit unde, Istro noctu traiecto, in eas se contulit regni partes, quas Bohemi occuparant. Volebant amici, alius Pater aetate grandaevus et in Hungaria celeber conscenderet aërium currum in Austriam evolaturum; sed bonus senex maluit viam petere in pagum, ubi apud parochum, necessarium suum, simul latitaret et sacris ministeriis indulgeret. Ceteri Socii in privatorum aedibus pernoctabant, sed diem domi nostrae agebant, ut apostolicis muneribus operam darent.

Cum insectatio eo procederet, ut minis et blanditiis formula quaedam sacris virginibus subscribenda proponeretur, callidissimo exarata dicendi genere, quod specie tenus fidem servare videbatur, re autem vera negabat, et inde confusio oriretur tum inter sanctimoniales tum in quibusdam sacerdotibus; unus e Patribus cum presbytero, Colocensis primum, deinde Oenipontani Collegii alumno, Praelatum Vicarium Dr. Miszaros convenit eumque rogavit, ut cum ipse, ab E.^{mo}

Cardinali Primate avulsus, in urbe administrationem gereret, vellet in tanto rerum discrimine nonnullos viros e clero, qui ecclesiastico sensu pollerent, deligere iisque uti consultorum instar. Stetit Praelato sententia, et sex eo titulo ac munere instruxit, qui singulis hebdomadis ex ordine secum agerent. Ad necessitates porro religiosorum cum, unus e Nostris designatus esset, is clam convocatis monialium moderatricibus detexit hostium religionis insidias et normas tradidit, quas Romani Pontifices tempore insectationum servandas ediderunt. Incredibile est quanta piae virgines perpessae sint a christiani nominis hostibus, ut fidem eiurarent.

Nostro quoque templo provisum est, ut, si Patres expellerentur, illius curam alii sacerdotes haberent, ut frequentissimo populo ministrarent.

Die dominico, passioni Servatoris recolendae sacro, Vice-Rector Collegii inter concionandum hortatus est auditores, ut cum tot premerentur difficultatibus ac aerumnis, ad Christum pro nobis durissima passum confugerent ; verum duabus horis post concionem ad tribunal deductus est, commotae in regimen proletariorum plebis accusatus. Ingens fuit amicorum dolor, qui suae salutis obliti, omnia tentarunt, ut Patrem liberarent. Iudices nullam concionis partem existimarunt dignam, quae reprehenderetur ; declararunt tamen se non posse hominem libertati restituere, quod lex inhiberet, innocentem dicere eum, quem duo proletarii crimine insimulassent. Tunc Pater suos testes sic lacessivit : Quae in me affirmatis, ne tantulum quidem vera sunt ; falsi testimonii poenas in altera vita dependetis. Haec verba conscientiam unius iudaei ita pertubarunt, ut ab accusatione desisteret, subiiciens se, cum ecclesiasticas dictiones non bene calleret, Patrem in templo eloquentem haud recte intellexisse.

Ea ipsa nocte in eodem carcere inclusi sunt quinque Nostri e Residentia Kapornacensi (Kapornak), quos Vice-Rector sono vocis agnovit, cum tenebrae vultus absconderent ; ipse tamen die quinto aprilis libertate donatus est.

Collegii publicatio.

Mox Patres, qui Budapestini reliqui erant, consiliati sunt, quid sibi facto opus esset. Vice-Rectori persuaserunt, ut in pago

haud ita ab urbe remoto latitare vellet ; idem faceret alio in loco Praepositus Provinciae cum aliquo socio ; tres manerent, qui in templo cum sacerdotibus a Praelato Vicario designatis in sacra ministeria incumberent, necnon iuvenes aliquot Patres qui Universitatem celebrabant, quatuor Fratres rei domesticae adiutores et Socius Praepositi Provincialis.

Is quotidie milites exspectabat, qui domos ac bona nostra publicatum venirent, cum tandem die 23 aprilis advenientes conspexit. Ductor agminis visus est fuisse homo frugi qui invitus id officii praestaret, sed stipabatur proletariis, viris plane nequam ac rudibus, qui P. Socium perterrefacere volebant. Publicatio coepta est primum in curia Provinciae, dein in Collegio, tandem in domo Congregationum et triduo perseveravit, omnibus rebus in tabulas relatis. Dum autem ea geruntur, fossores superveniunt, iudaeo praeeunte, excidia minitantes, nisi centies centena millia coronarum redderentur, quae dicebantur pro typographeo catholico collecta celari sub pavimento templi vel atrii.

Die dominico, quem in Albis dicimus, ultimum Sacrum factum est in sacello domus Congregationum cum generali Synaxi iuvenum studiosorum. Ansgarus Faber cum ipsam domum inviseret, eam in convictum iuvenum proletariorum mutandam censuit, eique nomen dedit *Engels*.

Postero die, 28 aprilis, in urbem revertitur P. Vice-Rector, ut publicationis finem et ea quae acciderant cognosceret ; P. Socius vero ad Praepositum proficiscitur, hunc de iisdem rebus certiorem facturus. Is a prandio rediit et cum partem tabularii provincialis in domo cuiusdam familiae haberet, apud quam sui defendendi causa concesserat, eo se contulit. Post coenam benefactoribus suis valedicere voluit, addens se, cum iter sibi postero die instaret, velle reducto in cubiculo domus Congregationum noctem transigere, ut primo mane Sacrum facere posset. Ad haec materfamilias retulit : antequam Pater abiret, omnes simul, ut mos erat, litanias Sancti Ioseph recitarent, ne quid mali ipsi accideret. Brevissimae illi morae, qua Deiparae Sponsus orabatur, tribuendum est, si Pater in vincula non est abreptus,. Huic enim ingredienti domum Congregationis fiunt obviam vir quidam sodalis et matrona, exterrito vultu, qui eum obsecrationibus cogunt confestim reverti,

cum proletariorum armata cohors eo ipso momento per aliam portam in Collegium irrumperet. Egreditur Pater, et iam in limine videt vigilias ianuam custodire, quae tamen illum non agnoscunt, cum hominem credant unum e civibus.

Nostri capiuntur.

Per ambages platearum domum circumiens, alteram eius partem omnemque impugnatorum tumultum, sublucente crepusculo observat Pater. Sed iam redeundum huic erat, cum fere hora undecima duo sodales mariani ad eum veniunt nunciatum, omnes qui in Collegio essent, Patres, Fratres, famulos, advenas, captos esse et per vim abductos ; domum vero a militibus obsideri. Hoc latrocinium noctu patratum est, ne concitaretur fidelium turba ; attamen nonnullae piae feminae procul captivos sequebantur, ut viderent quemnam in carcerem coniicerentur. Mane e custodia in via *Markò* sita Nostri omnino quatuordecim educti in aliam ducuntur trans flumen Istrum. Mirandum in modum fideles eorum curam susceperunt ; tantam ciborum copiam illis afferebant, quanta vix credi potuit in magna annonae caritate, qua civitas premebatur ; fuerunt qui se voto obligarent nil calidum comedendi, aut humi cubandi, aut ieiunium servandi, solo pane et aqua refecti, donec Patres a vinculis liberarentur. Cum interea templum Societatis esset clausum, magna civium multitudo ingenti fletu ante eius fores orabat et flosculis limina spargebat. Frustra legati ad Ansgarum Faber missi sunt qui rogarent, ut templum SS. Cordis rursus aperiretur ; frustra quoque milites proletarii conabantur populum procul ab aede abigere ; omnes sub divo et sodales mariani super ipsis prothyri gradibus preces fundebant. Quae cum scivisset Faber, timens ne brevi tumultuatio erumperet, vectus rheda automato concitata praesto adfuit et ingressum templi concessit.

Optimi catholici, sacerdotes, totum Congregationis dominorum Consilium in catenis erant : rumor inter milites serpebat, omnes Iesuitas capiendos esse. Magnanima quaedam monialis timore perculsa, ne proletarii qui domum nostram occupabant auri fame ducti mysterium amoris divini violarent, se civili ornatu vestiit et sacellum Congregationum ingressa, SS. Eucharistiam mira fraude surripuit ac Patribus in carcere detentis attulit.

Rebus itaque tam incertis iuxta ac periculosis, mane pridie Kalendas maias P. Socius ad Praepositum Provinciae profectus est. Videbatur porro securiorem locum quaerendum esse, ne forte aliquando accideret, ut Provincia suo capite privaretur. Praepositus ideo, Socius et alius Pater pedites et viarum incerti in agros ac silvas se immittunt, oppidum versus ubi ignotus sibi parochus adeundus erat, ab amico indicatus. Ille profugos viros humanissime excepit et tres continenter hebdomadas diversis in pagis caute occuluit, curans ut Praepositus sacerdotem *expositum*, quem dicunt, ageret; Socius apud parochum maneret, alius Pater curionis auxiliarii nomine protegeretur.

Provincia dispersa.

Septem post dies litterae ex urbe ad hos allatae sunt, quae nuntiabant, Nostros in libertatem quidem restitutos esse, sed habere domi civilem procuratorem, hominem seditiosum ac fere amentem, qui armatus Fratribus mortem intentaret, nisi patefacerent ubi occultarentur Patres. Cum igitur impossibile esset tuto in urbe commorari, Nostri, tribus exceptis templo addictis, alio demigrarunt. Per idem tempus Scholastici omnes iussi sunt in domos studiorum aliarum Societatis Provinciarum pergere; ipse vero Praepositus et mox eius quoque Socius per occulta nemorum et ardua viarum Austriacorum finibus superatis, Vindobonam usque progressi sunt. Ibi tranquilliore in loco considerarunt, quo loci essent res publicae aliarum nationum, a proletariis hungaris falsissime depictae et quid liceret de sua Provincia sperare; statueruntque, ut Praepositus Scholasticos inviseret ac domos regeret, qui in parte Hungariae a finitimis populis occupata aut in Austria degebant; Socius vero in patriam proletariis misere subiectam rediret, ut Sodales dispersos qua posset coniunctione et auxilio foveret.

Is igitur per Styriam revertitur, et per longos viarum obices, delusis feliciter angustiarum excubiis, in patrium solum tandem pedem intulit. Budapestini primum Nostros clam adiit, ubi die festo S. P. Ignatii tres Patres iuvenes, proletarium amictum mentiti, sacellum cuiusdam asceterii ingrediuntur, ubi, cum non haberemus nec propriam domum nec templum, Sacris operante P. Socio, religiosa vota instaurarunt. Deinde Colocam profectus est, illos Patres solaturus.

Ordo restituitur.

Dum Colocae Socius versatur, Deo favente, dictatura proletaria terrorque finem habuerunt, ita ut, cum Budapestinum revenisset, Collegium reperit a fidelibus purgatum et ad Patres recipiendos, quoad eius fieri potuit, instructum. Brevi Patres ac Fratres, ut columbi ad nidum invite relictum, sic in Collegium singuli remigrarunt. Die 24 augusti sacellum Congregationum divino cultui summa cum caerimonia restituitur et ad sacram Synaxim Sodalitates Marianas excepit. In templo autem Praelatus Vicarius hymnum Deo solvit gratiarum actionis, quas etiam confertae civium multitudini egit e suggestu noster concionator, eos dilaudans quod, ut Patres servarent, nihil intentatum reliquissent, sed imo iurgia ac verbera perpessi fuissent. Deus illos sospitet, in omne tempus fortunet, praemiis caelestibus cumulet !

B). — COLLEGIUM COLOCENSE.

Societas Colocae (Kalocsa) Collegium habet in Hungaria sat celebri et frequenti cum Convictu, Seminario Archiepiscopali et gymnasio. Urbem incolunt quindecim millia hominum, e quibus quingenti pueri nostras scholas celebrant ; Convictui inditum est nomen *Stephaneum* et iam ab anno 1908 in singulari SS. Cordis Iesu tutela fuit.

Collegium urbi praesidio est.

Rerum publicarum eversio Colocae orta est prima feria sexta mensis novembris 1918 ; cum tamen falsus rumor obtinuisset, convictores esse armatos, socialistae impetum in nostras aedes facere veriti sunt. Qua securitate usi, Patres libenter hospitio exceperunt multorum civium pueros, qui in discrimine versabantur.

Ita se haec habebant, cum proletarii die 21 martii 1919, dictatura instituta, rerum in Hungaria potiti sunt. Quatriduo post Colocam venit faber lignarius a dictatoribus missus, qui discipulis nostris novi regiminis naturam et finem explicaret. Id impedire Nostris minime licuit. Iuvenes tamen in aula magna congregati concionatorem tranquille primum exceperunt,

cum deinde eum audirent socialistarum et proletariorum somnia summis extollere laudibus non sine gravi Christi Servatoris iniuria, relictis subselliis, nequam calumniatori loquendi facultate interdixerunt.

Urbs Patribus vicem rependit.

Cum a rectoribus Reipublicae proletariae decretum latum esset, quo scholae et domus religiosae cum omni earum supellectile plebi ut bona communia addicerentur, illud Colocenses animo tulerunt aegerrimo summoque sunt affecti dolore. Grati videlicet ac memores beneficiorum, quae belli tempore a Patribus acceperant, qui viginti quinque familias sustentassent aliisque pauperibus copiosam stipem contulissent, in animo ipsis fuit nobis, qua possent ope, auxiliari. Neque SS. Cor Iesu quod illico, instaurata sui dedicatione, appellatum est, permisit, ut bonorum vota et officia cassa forent. Nam, commota civitate, populus, alumnorum parentes, pueri ac puellae omnia querelis implentes a proletario urbis tribuno postularunt, ut decretum abrogaretur. Is in iram simul ac trepidationem adductus, pollicitatur se a summo novae Reipublicae Consilio petiturum esse, ne iussa fierent: interea vero praeconem misit, qui civibus nuntiaret, ne quid timerent viris religiosis; ut autem maiorem fidem apud rudes suis promissis faceret, Rectorem iniuria admonuit, caveret ne falsis rumoribus incolas perturbaret, ac si ipse auctor tumultus fuisset.

Tranquillitate ita restituta, Nostri aliquandiu sacris ministeriis studere, ut antea, potuerunt, christianae doctrinae rudimenta in scholis tradere, alumnos quotidie omnes ad Sacrum audiendum congregare. Etsi ad eos nihil dicere fas erat, sive in publicis sermonibus sive in privatis colloquiis, quod contrarium esset dictaturae, nisi quis in vincula coniici vellet, ipsi tamen iuvenes ac praesertim sodales mariani praeclara prudentia ac moderatione veroque patriae amore se ornatos praebuere. Quamquam etiam integrum amplius non erat puritiae errata poenis corrigere, multaque permitti debebant quae antea vetabantur, immunitas nihilominus ac libertas pueros petulantiores non fecit, ita ut hi morata agendi ratione et observantia erga antiquos magistros longe antecederent cetera gymnasia. Nemo igitur mirabitur, si praesertim convictores quasi

hostes dictaturae putabantur et si proletarius scholarum curator ausus non est Collegium ingredi nisi militibus cinctus. Is bene asservata rerum naturalium ac physicarum specimina contemplans a Patribus spatio sexaginta annorum perstudiose collecta, suis quaeque affabre obducta specularibus, suis quoque ordinibus scite copioseque distributa, « Dolendum, exclamavit, quod Iesuitae vires suas in utilitatem socialistarum non impendant ». Discessurus autem spopondit, Patres ad extremum usque annum scholas continuare posse. Verum cum notum esset homines patriae infidos ac periuros pollicitationibus suis non stare, Nostri iam tunc ad omnes eventus se praepararunt.

Rector suos commonuit, ne in excipiendis fidelium confessionibus vel in alloquendis advenis ignotis consilia de rebus politicis darent, sed ad suae quosque conscientiae vocem remitterent ; neque enim deesse delatores, qui pietatem simulantes ad poenitentiae tribunal accederent, ut, cognito sacerdotum animo, Dei ministros perduellionis deferrent ; non paucos ea fraude deceptos, nunc in carceribus esse.

Proletarii Collegium perquirunt.

Proletarius excubiarum praefectus, qui erat pistor, religione iudaeus, deliberavit stationem in aula magna Stephanei sexaginta suis satellitibus disponere. Quod cum ad convictorum aures pervenisset, impigri iuvenes timentes, ne facinorosi milites, abacis concrematis, comminutisque fenestris et Sanctorum imaginibus, hîc quoque, ut in Seminarii aedibus fecerant, cuncta deformarent, aulam omnibus ornamentis spoliaverunt, relictis tantum parietibus. Eo ipso die iudaeus pistor Collegium penetrat cum suis lictoribus, ut quaereret arma, quae dicebat domi latere. Constitutis ianuarum et claustrorum custodibus ne quid clam e conclavibus exportaretur, ipse totum Convictum perlustravit secum ferens tamquam obsides Patrem Praefectum et unum e magistris, ut si quid detexisset, statim eos in carcerem coniiceret. E Convictu in Collegium gradum facit et omnes angulos et latebras acutissime indagat ; sed cum in una contignatione cubicula Patrum conspiceret pauperibus vere accommodata, rebus haud elegantibus instructa, nullo discrimine distincta, sed pro omnibus aequalia, iudaeum suae improbitatis vehementer puduit et prosequi amplius noluit.

Kalendae maiae.

Aderat mensis maius, et iussu proletariorum Kalendae celebrandae erant sollemniter, ut cum maxime, a nostro quoque gymnasio tum domi tum in urbe, instructo per vias agmine ac symphonia canente. Quidam ex alumnis natu maioribus et P. Praefectus coacti sunt dicere, ille ad populum pro suggestu, iste ad suos alumnos domi. Pater de vero *socialismo* christiano pristinae Ecclesiae et de *communismo* Iesuitarum praesertim in Missionibus Paraquariensibus sermonem habuit, horum omnium auctorem ostendens Iesum Christum Dominum Nostrum. Alumnus vero S. Pauli verba est commentatus, quibus apostolus fideles ad strenue laborandum incitat, ac tanta contentione peroravit, ut ad se multitudinis plausus atque animos rapuerit et una oratione multorum maledicta in Deum ac religionem eo die collata pene extinxerit. Ex eius contubernalibus alii nonnisi vi induci potuerunt, ut buccinis aliquem sonum ederent, alii concentui discordi de industria studebant.

Auctoritas alumnis collata.

Per idem fere tempus ad iuvenes illecebris libertatis subornandos edictum est, ut in omnibus gymnasiis *Consilium discipulorum* constitueretur, cuius esset alumnorum commoda et arbitria contra moderatores ac magistros tueri; e suprema etiam adolescentium classe aliquis eligeretur, qui praeesset omnibus magistrorum conventibus. Ea de causa Colocam studiosus quidam ephebus missus est, gente iudaeus, qui e gymnasio eiectus fuerat. Sed nostri discipuli in concionem vocati, spretis invitamentis ac precibus, de facta sibi facultate sponte decesserunt ad unum omnes. Quae deliberatio quantae prudentiae et gravitatis in nostris iuvenibus indicium fuerit, nemo non noverit, qui consideret aetatem illam ad liberius errandum facilem. Tres tantum aberant, qui infeliciter decepti ad proletariorum partes transierant; sed mox resipiscentes ad meliorem frugem reversi sunt.

Desertio a Societate Nostris indicitur.

Cum studiorum curator cerneret, se tempus et opus perdere in deterrendis a religiosa institutione nostris alumnis, ti-

meretque ne, tanto exemplo excitata, cetera gymnasia impias leges contemnerent, alio insectationis genere Patres perdere tentavit. Formulam ab unoquoque Sodalium intra decem dies subscribendam misit, quae dicebat : « Profiteor me Ordini religioso valedixisse et virum saecularem fieri »; hanc si ipsi recusarent, scirent se suis muneribus perfungi diutius non posse. Acceptis litteris, Patres statuerunt, sibi nihil esse respondendum; Rector autem, consulto Provinciali, nihil est cunctatus iuniores philosophos submittere alios in Provinciam Austriacam alios in Polonicam. Duo ex his, cum nullam secum haberent tesseram liberi commeatus, ab excubiis in vincula coniecti sunt. Nonnulli domi latuerunt, donec, ad evitandum ne proletariorum exercitui scriberentur in vicina regna transfugerunt.

Elapsis decem diebus, pia Colocensis civitas, coacta multitudine, rectoribus proletariis publice demonstravit : sibi in animo esse, ne Patres Societatis ac moniales ex urbe pellerentur; si quis id auderet, tantum facinus suo sanguine luiturum esse. Interea tamen boni cives suas parabant certatim domos, ut Patres hospitio exciperent.

Sacerdotes ex urbe deportantur.

Dum populus hisce artibus pro religionis libertate decertat, accidit ut sacerdos quidam e templi concione eum alloquens ad fidem invicte profitendam hortaretur. Id satis fuit proletariorum rectori, ut, per speciem mulctandi concionatorem, ac si turbarum instimulator fuisset, nervos omnium tumultuum elideret uno sacerdotum exitio. Porro nocte intempesta eos adortus, duodecim e praecipuis capit, quos inter Archiepiscopum, Episcopum auxiliarem, tres canonicos, omnesque Budapestinum e vestigio deportandos curat. Eadem vis inferenda erat sequenti nocte nonnullis Patribus Societatis atque convictoribus supremae classis. Tum P. Rector alumnos civili veste contectos occuli iussit penes externorum familias; Nostris vero sarcinas rebus ad vitam necessariis implevit ut forent parati, quemcumque in locum deferendi essent. Sed ea ipsa nocte pluere tam vehementer coepit, ut milites renuerint in imbri egredi. Postero die Colocensis dictator se magistratu abdicavit.

Proletarii Collegio potiuntur.

Die 22 maii hora nona quatuor magistri, quorum duo erant desertores sacri instituti, Budapestino missi in Collegium venerunt, ut eorum unus gymnasium regeret, alter Convictui praeesset, tertius et quartus omnia in scholis novarent. Illico iubent tempore praelectionum sermones cum iuvenibus conferri, bibliothecas occludi; mox sigillis gymnasii potiti, Patribus denuntiant, crastino die ad meridiem ipsis Collegium relinquendum esse. Sed populus cum imperata cognovit, adeo obstitit, ut Nostrorum discessus ad quindecim dies primum reiici debuerit, paulo vero post omnino prohiberi, ne seditio fieret contra dictaturam. Archiepiscopus interea cum in urbem magna civium gratulatione rediisset, Nostris auctor fuit, ne Collegium relinquerent, nisi vi coacti. Ex eo die Patres Respublica aluit, sed tanta parsimonia, ut praesertim senes atque infirmi non paucas aerumnas tolerarint.

His rebus, multi alumnorum, quorum familiae partem Hungariae ab hoste occupatam incolebant, manerent Colocae necesse fuit, cum confinia milite adhuc impedirentur. Sed e reliquis maiores natu patriam clam petere tentarunt, ne cogerentur proletariae militiae nomen dare, iuniores autem horum exemplum paulo post sequuti sunt. Eorum complures quidem incolumes domum suam pervenerunt; at multi alii ab hostibus capti, cum nullum syngraphum ostendendum haberent, omnibus rebus spoliati, excalceati verberatique repelluntur. Supererant discipulorum minimi, qui optimis urbis familiis concrediti sunt, ne proletario veneno a novis magistris corrumperentur; qui enim in Convictu remanserant, praelectiones de eorum secta audire quotidie tenebantur.

Hic et in gymnasio omnes sanctorum Caelitum imagines, statuas, cruces proruerunt impii homines, quos etiam iuvit supellectilem diripere et fere omnes scenicas vestes, pulcherrimas iuxta ac pretiosissimas, perdere. Contra convictores rogare, ut saltem in schola crux reponeretur, sua ipsi interdum manu eam ad parietem collocare, antequam proletarius magister scholam ingrederetur, eaque absoluta, communiter preces fundere; huic iniurias in Deum ac religionem iactanti contradicere

tanta constantia ac fide, ut ille pertaesus a docendo cessarit; omni praeterea diligentia contendere, ut Sacris, quibus Patres in templo operabantur, inservirent. Alumni cum singularem SS. Cordis Iesu tutelam in ipsis insectationibus conspicerent, quas Nostri perferebant, Societatem magis ac magis adamabant, et plures quam antea in sortem Domini transire praeoptarunt.

Bellum civile.

Verum incredibili annonae caritate et quotidiana ferme humanorum iurium violatione augebatur in dies ira populi, quae tanti probri impatiens tandem in incendium exarsit. Erat dies 20 mensis iunii, cum a civibus, proletariam militiam perosis, cui adscribi invite cogebantur, ad arma conclamatum est. Illico coepti sunt abigi rubri milites (sic enim appellabantur legionarii dictaturae), plebs arma rapere, repugnantes profligare et interficere. Unus e dictatoribus, qui paucos ante dies in festo SS. Corporis Christi divinam Eucharistiam ludibrio laeserat, sua nece pœnas indignabundo populo dedit. Patrata caede, Scholasticus quidam, praefectus Convictus, vulneratos devinxit fasciis et cadavera humatum curru nostro devexit. Quod cum cerneret unus e proletariis, accessit et, dextris iunctis, sic illum est affatus: se id pietatis opus illi vehementer gratulari, quo perspectum haberet sacerdotes esse veros populi amicos; cum itaque ad illum usque diem inimici fuissent, in posterum tamen amicos futuros esse. Nonnulli e proletaria plebe per eam occasionem in Collegium concurrerunt, ubi ipsi et perditissimi magistri, qui Nostris et alumnis tanto fuerant nocumento, a populi vindicta defensi sunt.

Tres continenter dies in Colocae finibus armis ac tormentis pugnatum est, cum exercitus *albus* defectu apparatus bellici superatus, receptui cecinit et in provincias a Servis et Gallis occupatas se recepit. Qua victoria ferociores factae cohortes rubrae, die 24 iunii nocturnae urbem ingrediuntur. Mane omnia impendentem luctum portendebant: triste populi silentium, vultus exterriti, incerta concursatio. Complures ad exercitum album profecti sunt; Nostri domi omnes commorabantur spem in SS. Corde Iesu habentes. Terroris satellites, quos vocabant, mortem Patribus comminati si obsistant, castra in Collegio po-

nunt. Tota circum vicinia morte plena erat: multi plumbea glande prostrati, multi laqueo suspensi. In urbe vero sexaginta quatuor cives in vincula coniiciuntur et, nulla instituta quaestione, quindecim ex illis, statim ad arbores ante Collegium templumque nostrum consitas adducti, suspendio pereunt. Patres ut ferum spectaculum conspicati sunt, e fenestris primum moribundos a peccatis absolvere coeperunt; mox ex ipsis unus intrepido animo in medios carnifices se coniecit ut morituros poenitentiae sacramento lustraret. Momento cerneres crudelissimos tortores, arcano timore impeditos ac stupentes, a carnificina tamdiu desistere, quamdiu victimae a sacerdote expiarentur. Eodem die quinque alii glandibus transverberati; plures sequenti nocte, quos inter multi designabantur sacerdotes, capiendi erant, nisi Budapestini proletariorum regimen, oborta populi commotione, eversum tunc fuisset. Illico humanissimus vir et nobilissimus miles, cognomento Romanelli, natione italus, se opposuit proletariis, qui duo grandia sepulcra effoderant octoginta cadaverum capacia, prohibens ne quem amplius interficere auderent.

Nostri, summa Dei miseratione, nihil passi sunt. Nam alibi sacerdotes erant primi, qui arcessiti concitatae seditionis interfecti sunt. Neque hostes praetermiserant, quin suos asseclas interrogarent, utrum Iesuitae tumultibus studuissent; sed tum ex magistris tum ex plebe proletaria acceperunt, Nostros res politicas minime curasse, imo proletariis in discrimine versantibus vitam servasse.

Dictaturae proletariae eversio.

Alumni post hanc cladem cum in Convictum redire verentur, cives exorarunt, ut sibi hospitium praeberent. Sed iam prima feria sexta mensis augusti proletaria dictatura eversa est, et SS. Cor Iesu tempora tranquilla Collegio restituit. Patres consuetis operibus et instituendae iuventuti operam dare de integro aggressi sunt, et bonum pro malo reddere. Cum enim in carcere esset vir, qui dum terror in urbem dominabatur, summa gaudebat auctoritate, peccatis sacramento poenitentiae detersis, a Patribus veniam petiit ac ultro impetravit; imo, cum corriperetur gravi morbo, a Collegio cibos dono accipiebat optimos.

C). — RESIDENTIA KAPORNACENSIS.

Est Kapornacum pagus, quem mille quingenti vicani incolunt. Iam inde ab anno 1911 Nostri unicam parochiam administrant, cum ibidem fundos habeant, quibus constituitur tota Seminarii arca Provinciae Hungaricae.

Duas praesertim ob causas Patres sollicito erant animo. Primum enim milites e bello reduces, principiis sectae *communistarum* imbuti, plebem ad tumultum concitabant et haud semel a supremo magistratu quaesiverunt, ut Societati agri adimerentur. Deinde praesentia optimi cuiusdam Patris negotium facessebat. Is cum cerneret ac merito detestaretur immensam perniciem, quam ephemerides iudaicae in regnum ac religionem moliebantur, iam ab anno 1917 illis bonas opponere ubique coepit, collecta ad hunc finem ingenti pecunia. Hinc irae et calumniae, quibus Pater impetebatur, et cum Budapestini iam tutus non esset, ultimo mense ante proclamatam dictaturam ex ea urbe Kapornacum concessit ibique delituit. Proletarii vix rerum potiti ipsum ad necem conquirebant ; sed Deus omnipotens pertenuem, ut saepe assolet, occasionem praebuit, qua utens ille se ab exitio servaret. Nam accidit, ut vitra ocularia sibi reficienda essent, quod cum paupere in pago fieri non posset, proximam urbem, regni principem, secretus repetere cogitur eo ipso die 21 martii, quo dictatura ibidem principium habuit. Statim ab amicis mutati regiminis et periculi sui certior factus, nulla interiecta mora Budapestino in provinciam regni ab externo hoste occupatam proficiscitur. Vix quinque post dies duo investigatores cum quatuor militibus Kapornacum veniunt et Patrem expostulant. Totam percurrunt domum et mortem Patribus Fratribusque intentant, nisi patefaciant, quo in latibulo ille se celet. Sed cum viderent, se frustra singula rimari, poenas gravissimas in Socios comminati, discedunt.

Die 4 aprilis, quae erat prima feria sexta mensis, dum Nostri vespere coenae accumbunt, duo inquisitores et quatuor milites cum incola Kapornacensi, nobis infesto, domum ingrediun-

tur, eam et omnia domestica instrumenta sibi communia esse declarant adduntque, Socios omnes in custodiam dari. Quae cum scivisset pagus, comitiis coactis, rogavit, ne quid detrimenti Patres paterentur ; sed milites imbellem turbam facile disiiciunt. Sequenti die multis precibus aegre impetratum est, ut Sacrum fieret, cui populus adfuit frequentissimus, ut cum maxime, et toto litationis tempore aedem gemitibus implevit. Nemini Patrum licebat confessiones fidelium audire, et cum sacerdos ab aegroto desideraretur, ad eum se conferre non potuit sine excubiis. Tandem ad meridiem Nostri domum relinquere coguntur et alio deportantur. Bona plebs sibi ac Patribus illacrimans undique accurrit illisque valedicit ; sed ne nimis ea exasperaretur, relictus est unus, qui parochiam administraret ; ceteri quatuor cum uno Scholastico Budapestinum delati sunt. Superior quidem coarguebatur comparatae sibi pecuniae procuratione infideli ; parochus autem eiusque adiutor concitatae in dictaturam plebis tum pro suggestu tum pro tribunali poenitentiae ; quartus, communicatae cum populo epistolae omnium regni Hungariae Episcoporum, qua christifideles commonebantur de periculis praesentibus et ad fidem moresque catholicis dignos conservandos incitabantur.

Postero die Sodales cum in urbem regni caput pervenissent, exigua in cella includuntur, ubi iacebat Vice-Rector Budapestinensis Collegii, qui in carcerem eos praecesserat paucas ante horas. Solidam ibi transegerunt hebdomadam, uno eoque maximo solatio refecti divinam scilicet Hostiam litandi in vicina basilica. A sacerdote, qui fidem deseruerat, ad quaestionem vocati nullius criminis convicti sunt et tamen libertati non fuerunt restituti, eo quod dicerentur dictatoribus suspecti.

Mox in teterrimum carcerem publicum includuntur, ubi cellulae angustissimae et simul parricidae ac ministri altaris parili modo tractabantur, quia pariter habebantur Reipublicae infesti. Mane ac vespere intra ipsos custodiae parietes deambulare per horam licebat ; verum cum nullo mortalium colloquium institui poterat, atque a Sacro faciendo abstinendum erat.

Tanta severitas remitti aliquantum coepta est postridie Kalendas maias. Cum enim eo die exercitus proletarius adverso marte pugnaret, dictatura ita labefacta est, ut tantum non collaberetur. Huius rei nuncius cum in carcerem penetrasset,

vincti amplius ducenti, quotquot tunc erant, liberiorem vivendi modum sibi a custodibus extorserunt. Cellae noctu amplius non claudebantur ; optio facta est ambulandi totum diem in cavaedio ; cum etiam permissum esset externis, ut quos vellent inviserent iisque cibos afferrent, Nostri qui antea quotidie fame excruciabantur, victu abundare coeperunt.

Unoquoque tamen fere die quaestorius legatus Patres interrogabat, cur fuissent in vincula coniecti, sed nullam unquam causam poenae deprehendit ex eorum verbis ; quare fraudem intentans, Patrem, qui parochus erat, seorsum accivit monuitque, eius adiutorem iam ipsius crimen detulisse, reticere porro inutile esse, quare illud confirmare ne abnueret. Cui Pater : « Vocemus, inquit, socium ». Dolo his verbis detecto, cum nullius commissi convinci potuerint, Nostri custodia tandem liberantur die 25 mensis maii.

Proletarius vir, ad procurandum nostrum fundum Kapornacum missus, in Residentia sedem fixerat. Is humanissime primum omnes excepit, cumque populum convocasset, cunctis pollicetur, varias officinas mox extructum iri, unicuique agrum esse distribuendum, se autem effecturum ut omnibus humani cultus deliciis, prouti nova aetas postularet, pagus afflueret ; se suamque uxorem pios esse catholicos et religionem amare. Quibus postremis verbis ut astuta femina fidem faceret, imaginem Deiparae super pectus palam gestabat. Sed, vix transacta hebdomada alia rerum species fuit. Fratres Coadiutores, qui multis precibus adducti fuerant, ut remanerent, ne tota fundi administratio eriperetur, molestiis afficiuntur a callido sycophanta : dum preces fundunt ante et post mensam ab illo vellicantur ; nullum non moveri lapidem vident, ut ad socialistarum opiniones amplectendas trahantur ; omni templi ingressu interdicuntur ; ut spiritualibus rebus quotidianum pensum solvere et Sacro interesse queant, summo mane surgere seseque e militum conspectibus subducere debent ; unus tamen aut alter evitare non potuit, quin in villam procul a templo sitam studiose mitteretur, ne sacrae litationi adesse posset ; prohibentur etiam necessitudinem habere cum Patre, qui parochi vicibus fungebatur. Nihilominus boni fratres artem inveniebant hunc frequenter conveniendi et curabant, quantum licebat, mo-

dum vivendi nostrum sequi. Ea diligentia et auxilio, divinae gratiae vocationis donum sancte servarunt.

Incolae vero sicut promissis proletariorum non multam praestabant fidem, ita vices Patrum maxime dolebant. Mirum est, quam acerbe in se insaevirent et cruciatus voluntarios assiduis, quas fundebant, precibus coniungerent, ut a Deo reditum eorum impetrarent. Sollemen iis fuit voto se obstringere non bibendi stillatos liquores, aut incedendi semper, diebus quoque festis, nudis pedibus, aut instituendae peregrinationis; item de paupere penu stipem depromebant ac se pauperioribus largiebantur: saepe simul consociabantur complures ad novendialium religionem peragendam; cumque Pater, qui solus in pago remanserat, quorundam perditorum hominum machinatione locum relinquere iuberetur, puellae addictae Sodalitati marianae turmatim iter trium vel quatuor horarum, etsi opera rustica maxime urgebant, in vicinam urbem pedites saepe instituerunt, donec documentum scriptum consequerentur, quo Patri permittebatur Kapornaci residere, invito licet proletario pagi rectore. Ut reditionem quoque aliorum Patrum obtinerent, nihil a bonis vicanis omissum est et, confectis tabulis quatuor vicorum ad parochiam pertinentium, legationem omnium nomine ad summum proletariae Reipublicae curatorem mittunt, quae pago restitui Patres deposceret. Verum eodem die, quo legati Budapestinum proficiscuntur, Patres carcere liberantur ac tribus post diebus Kapornacum redeunt. Vix dici potest, quantam laetitiam ex ea reversione plebs optima susceperit, quantasque lacrimas suavissime effuderit; cum autem vidisset illos, rebus omnibus spoliatos, nihil habere, omnia affatim procuravit, ita ut domi locus iam non superesset, ubi dona reponerentur.

Verum nondum fuit perfecta securitas, nisi mense augusto, cum proletarii imperio privati sunt. Per eam occasionem sollemnis habita est Deo gratulatio ingenti cum hominum frequentia.

Sic ergo res adversae in secundas mutatae sunt, animi Patrum et fidelium arctius invicem coniuncti, compluribus occasio illustris fuit heroicas virtutes exercendi. Verum proinde est divinum illud Apostoli effatum: « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ».

VII.

EUCHARISTIAE CULTUS IN NEERLANDIA MIRIFICE PROPAGATUR.

(1913-1919).

Ad doctrinam de SS. Eucharistia populo magis ac magis explanandam hac nostra aetate, qua cultus illius mirum in modum florescit, multum conferre visa est ratio quaedam a Nostris in Neerlandiam a mense iunio 1913 primum invecta.

Extat carmen pulcherrimum de hoc caelesti convivio a Iusto Vondelio, eximio poeta neerlandico, anno 1645 confectum quinque millibus quadringentis triginta versibus. Primum quidem ex his quadringenti, exempli gratia, memoriae mandantur, eorum explicatio conscribitur, acquiruntur imagines ipso saeculo decimo septimo, quoad eius fieri potest, effictae, quibus versus illustrari maxime queant eaeque luce solis denuo exprimuntur et aptae fiunt quae in albam carbasum proiectae ante omnium spectatorum oculos translucidae obversentur. Quae cum in promptu sunt, Pater disserit de praestituto argumento, quod auditores ex ipso libello cognoscunt, versiculos referente, quem ipsi manibus tenent. Dicentis verba identidem interrumpunt prolatae in auditorum aspectum imagines opportune ad locum poetae declarandum, quae dum iterum intuentibus proponuntur, ducenti circiter versus recitantur et brevem post moram ceteri ducenti eodem pronuntiantur modo.

Hoc docendi genus concionis atque adhortationis efficacitatem haud raro prae se fert, adhibeturque non quidem in templo sed extra sacram aedem in domibus Exercitiorum, in Seminariis, in coenobiis ac persaepe in pagis ipsis atque oppidis pro variis Actionis Socialis coetibus, pro Consociationibus mulierum, pro Sodalitiis quae *Fides et Scientia* vocantur, iisque intersunt quoque non catholici. Res ex omnium sententia ita accidit, ut Pater invitetur in annum sequentem, eadem ratione carmina reliqua explanaturus. Quare Rotterodami, Arnhemii, Buscoduce, Ultraiecti, Hagae Comitis, Amstelodami eiusmodi conventus quater vel quinquies aut etiam sexies

habiti sunt. Nonnumquam idem argumentum pluries in eadem urbe repetitur, prouti desideratur a diversis communitatibus. Haec uno nomine *conferentiae* appellantur, singulae singulis annis explicandae. Totum porro opus tredecim conferentiis perficitur in totidem annos distributis, quarum primae quinque de S. Synaxi agunt, sequentes quatuor de honore SS. Eucharistiae habendo, quatuor ultimae de Sacrificio Missae.

Difficultas est inveniendi sexaginta fere imagines, quot necessariae sunt pro unaquaque conferentia ; sed tum Nostri tum externi studiose eas quaerunt ubique. Ne doctrinae sacrae, litteraturae, picturae desit quoque musica, qua plenior et iucundior sit mentium institutio, aliquae carminis partes decantantur, sonorum ratione apposite ad argumentum confecta.

A mense iunio 1913 ad diem decimum quintum februarii 1920 conferentiae eiusmodi ducentae quinquaginta octo in amplius sexaginta locis habitae sunt.

VIII.

POLONIAE PROVINCIA DILATATUR.

(1918-1919).

Omnes norunt, quam dira praelia in tota Polonia superioribus annis commissa fuerint. In eius parte ad orientem posita omnia, arva, urbes, incolae, saevissimas belli asperitates perpessa sunt. Septem e Nostris in horrendis Russorum carceribus menses septemdecim languerunt, quorum tres ibi vita miserrime functi sunt, sine sacramentis et sine fraterno Sodalium amplexu, quartus in Sibiria ad Nowonikolajewsk, sua ipsius caritate interemptus, occubuit; ceteri, etsi domi nostrae degebant, separabantur tamen a reliqua Provincia et a Superioribus ; Collegium Chyrowiense vix non dirutum, Cracoviense Collegium Maximum dispersum.

Haec tamen eveniebant, cum, restituta Poloniae libertate, Societati amplissimus ille aperiebatur campus, ubi olim quatuor Provinciae sacra ministeria exercebant. Sane sexcenti a cunctis fere Poloniae finibus supplices libelli ad Praepositum Provincialem missi sunt, quibus Episcopi nobis offerebant an-

tiqua nostra Collegia, templa, domos, summam describentes necessitatem instaurandi spiritum Poloniae renascentis. Non defuit Wilna, non Varsavia, non Poznania, non Lublinum. Ipse Archiepiscopus Mohilewiensis (Mohilew) ad eundem Praepositum commendavit, ut Patrem Generalem rogaret, ne suae permagnae dioeceseos oblivisci pateretur; sed suo desiderio obsecundaret et Societatem introduceret Petropolim (Petrograd), Moscuam (Mosca), Minskum (Minsk). Nos Kiowii (Kijow) petunt cives, ubi liberalissimus vir pulcram domum cum viridario Patribus iam donavit. Item RR. DD. Episcopus Luceoriensis-Zytomiriensis (Luck-Zytomierz) post omnium rerum infinitam licentiam, post caedes sacerdotum ac civium polonorum, haec ad Praepositum scribebat: meminisset Praesulis qui summopere Societatem diligeret; se gratum esse, quod difficillimis temporibus unum e Nostris accepisset; enixe illum rogare, ut rursus eundem cum socio sibi concederet, quorum alter lectorem alter curam Seminarii Zytomiriensis ageret.

Tantis desideriis ut Provincia, quoad eius fieri posset, satisfaceret, nonnullas domos condidit, maximo cum animarum fructu, Pinscensem Stationem (Pinsk) Patrum sacras ad populum expeditiones crebro instituentium, Posnaniensem Residentiam (Poznań) ubi Exercitia Spiritualia traderentur; sed multas prudenter distulit. Eius enim Praepositus, pulcris sane iisque gravibus litteris ad omnes Socios datis, causam huius moderationis ita significabat: licet enim cernerent ipsi suam operam late enixeque postulari, probe tamen intelligerent, primam certamque rationem tuendae conservandaeque exspectationis, quam de se excitassent, eam esse, ut vires multiplicarent suas, spiritu renovato vocationis ad Societatem; quamdiu igitur in promptu non essent, modo vivendi nostro instructi, iuvenes tum quos iam Provincia aleret, tum quos Deus ad hanc suam militiam quotidie mitteret, non esse omnibus invitamentis morem gerendum: hanc animi sententiam cum ipse Episcopis non sine magna Societatis existimatione aperuisset, facile obtinuisse, ut nova Domus probationis Kalissiae (Kalisz) et Parvum Seminarium ad puerorum vocationes custodiendas fovendasque Petricovii (Piotrkovo) conderentur. Quominus tamen Praepositus maiora etiam quaedam munera recusaret, obstitit ingens religionis ac bonorum studiorum utilitas in duobus maxi-

mis novae Poloniae Academiis. Impensis enim Sacrorum Antistitum precibus victus, permisit, ut duo Patres, ad Residentiam Varsaviensem addicti, in Universitate urbis lectores theologiae crearentur, itemque ut in Universitate catholica Lublinensi alii duo Nostri nonnullas disciplinas docerent.

Voluissemus huic narratiunculae praemittere enucleatam historiam de exilio Patrum ac Fratrum in Russia ac Sibiria; verum, cum non habeamus integram rerum historiam, speramus fore, ut de illa iustum commentarium hisce *Memorabilibus* inserere sequenti anno possimus.

IX.

COLLEGIUM CHYROWIENSE PROVINCIAE POLONIAE EX ULTIMO EXITIO MIRA SANCTI IOSEPH OPE SERVATUR.

(1914-1919).

Ab infanda Archiducis Austriae, Francisci Ferdinandi, eiusque coniugis nece per homines perditissimos patrata die 26 iunii 1914, ad belli europaei denuntiationem unius mensis ac paulo amplius intervallum intercesserat, cum iam a primo fere armorum impetu Collegium Chyrowiense, quod alumnos quingentos atque Nostros centum suis tectis recipiebat, non pauca nec levia perpessum est. Sed deinceps per quinque annos, inter caedes ac ruinas peractos, debuit singulari S. Ioseph Deiparae Sponsi tutelae, si stetit et si non ingloriam vitam denuo auspicatur.

Bellum russiacum.

Exeunte mense augusto 1914, cum haud pauci e Nostris militiae munus sustinerent, Collegio facies castrorum iam erat, quippe quod Archidux Leopoldus Salvator cum magna suorum caterva illud occupasset.

Periculum instabat magnum. Postquam enim Leopolis, urbs Galiciae caput a Russiacis capta est, profugi tum milites tum cives, Chyrowiam (Chyrów) ingrediuntur. Verum die 20 se-

ptembris haec ipsa urbs in potestatem hostium venit et Nostri Collegium relinquere coacti sunt. Antequam discederent, Rector domus, omnibus adstantibus, vovit almo Deiparae Sponso Ioseph, Collegium simulacrum eius aurea corona redimiturum esse, si, absoluto bello, Patres atque alumni in optatissimam sedem redirent.

Tres post hebdomadas ab urbe capta novum proelium instauratur. Cum enim viae lineis ferreis stratae eam proxime praetereant, quibus locus fit transvehendis auxiliariis et impedimentis percommodus, Austriaci eam recuperaturi obsidione cingunt. Cernere tunc erat Collegium sanguine ac sordibus plenum : aulae, ambulcra, cubicula redundant militum ac vulneratorum multitudine ; hic iacent cadavera, ibi duo communi mortis amplexu fraterne coniunguntur ; sunt quibus cerebrum ex calva diffluat aut ex ventre viscera ; alii insanientes hac illac discurrunt et omnia clamoribus complent : ubique mors, ubique desperatio. Ut Deo placuit, sors Austriacis favit, qui fugatis hostibus ordinem in urbe restituunt et Patres suas in aedes redeuntes excipiunt. Mox Chyrowiam venit Archidux Carolus, qui postea fuit Imperator, et Nostros summa comitate convenit.

Verum non diu licuit victoria frui. Pene enim innumerae Russiacorum copiae, quibus praeerat clarissimus dux Brussilow, urbem et Collegium rursus invadunt.

Quidquid victus et vestitus, quod domi nostrae sibi placuit, milites nullo ex iure nulloque soluto pretio usurpant, unam elate ostentantes auctoritatem quae dominorum est.

Dies posterus omnibus luctuosissimus coortus est. Optimus enim Collegii Rector Sacrum in sacello domestico faciebat ultimum. Ut enim ab ipso sacrificatum est, iubetur domum relinquere et, Vice-Rectore per litteras nomine Patrum ac praefectorum militum signatas electo, in exilium pellitur. Dolor omnes occupat, cum illico silentium solvit P. Ioannes Zatlokiewicz et se moderatori suo comitem ultro dat seque casuum omnium aerumnarumque socium magnanima virtute offert. Nil ab hostibus cunctatum est, qui ambos simul Leopolim primum, deinde Kijowiam (Kijow), denique gelidam in Sibiriam relegarunt, ubi alter e duobus, i. e. socius Rectoris brevi moritur.

His ita peractis, aedes nostrae in nosocomium vertuntur et in hospitium magni ducis Michaelis Alexandrowicz, qui erat

Imperatoris affinis. At nulla securitas Nostris esse poterat. Sane paulo post, seu vertente decembri 1914, Vice-Rector cum in suspicionem hostibus venisset, suo in ipso cubiculo novem dies includitur. Mox tres alii Patres et novem Fratres, domesticae rei adiutores, Leopoli exulatum mittuntur.

Omnia hostibus videbantur secundo amne fluere. Nam mense martio 1915 Premislia (Przemysl), arx omnium munitissima, ab ipsis expugnatur et Imperator Nicolaus II victricem aciem invisurus eo usque est progressus, ut urbem Chyrowiam et milites prope Collegium facile conspiceret.

Ut tamen illuxit mensis maius 1915, preces bonorum omnium Regina Pacis e caelo exauditas voluit. Exercitus enim austriacus, certamine commisso, urbem recuperavit. Tum aedes Collegii usque ad mensem novembrem 1918 ita distributae sunt, ut pars militibus vulneratis excipiendis addicta maneret, pars Nostris conservaretur. Quare hac aliqua freti rerum stabilitate, ad sedem Chyrowiensem reversi sunt tum Patres et Scholastici, quos Austriae Provinciae Socii in Collegium Velehradiense, in Moravia situm, receperant, tum alumni, qui triennio, Sancto Ioseph favente, suis studiis institutionibusque operam dare potuerunt.

Bellum ruthenicum.

Interea vero faustissimus autumnus anni 1918 diu desideratam Poloniae libertatem attulerat. Sed vix induciis per Europam datis, bellum Ruthenos inter et Polonos exarsit, quod Collegio causa fuit magnarum calamitatum. Cum enim Rutheni Chyrowia potiri contenderent, tempus advenisse putarunt, eversis in Russia rebus publicis, eam armis subigendi simulque Patres Societatis exterminandi. Et vero, copiis instructis, die 10 novembris anni 1918 in illam irrumpunt, ac prima missilia in Collegium dirigunt. Legionibus praesidii superatis, rem obtinuerunt et illico domum nostram invadunt armati. Hic Patres ac magistros, quos in docendo suam quisque scholam deprehendunt, e cathedris puncto temporis detrudunt, ac Rectorem simul cum aliis viginti sistere coram duce iubent. Nostri proditionem minime suspicati nihil e rebus domesticis secum tulerant. At dum eunt, partim vi partim fraude ab itinere deflectere, et curros vapore concitatos conscendere co-

guntur, ut procul in oppidum Kolomeam, quod iacet in plaga Galiciae ad orientem posita, veherentur.

In Collegio itaque hostes dominabantur; quidquid optabant diripiebant; alumnis domum suam pulsis, Nostris, qui remanserant, prohibebant, quominus sine ipsorum imperio domo egrederentur et eorum ad aures frequenter inconditeque repetebant, eos cunctos trucidandos esse.

Quod haec consilia in nos forte inita hostes non perficerent, virtuti Polonorum tribui debet, quorum exercitus die 26 septembris 1919 victor Chyrowiam in ditionem suam rursus redegit, Nostris magna civium laetitia redeuntibus.

Hostes expulsi animo non desponderunt et pugnam de integro instaurarunt longe ferocissimam. Dum tormenta bellica omni tonant fragore, globus igneus sacellum Collegii penetrat et columnam prope altare contundit. Indictae tunc novendiales preces in honorem S. Francisci Xaverii, ut Nostros, qui e tanto periculo Scholasticos subducere meditabantur, tueri vellet.

Sane, Praepositus Provinciae cum iunioribus Staraviesiam, ubi Domus Probationis est, se contulit, alii alias domos nostras petierunt, paucis in Collegio relictis. Tandem die 7 decembris Rutheni Collegium, quod extra oppidi septa est, primo ingrediuntur. Patres illico supplices preces in novem dies Deiparae Sponso Ioseph instituunt, eius patrocinium imploraturi. E convictoribus aderant viginti tantum, qui antea in patriam mitti non poterant. Vix dici potest quae Nostri, dum per eos dies adhuc saeviebat proelium, passi sint. Milites fratrem ianitorem ipsumque Vice-Rectorem crudeliter impieque plectunt, horologio spoliant, armis conficere minantur.

Sed, Deo propitio, victoria polonicis legionibus fuit, procul ab aggeribus hoste propulsato. Verum cum Rutheni viciniam adhuc occuparent et Collegium, amplissimis constructum aedibus, patulo in campo emineret, accidit ut hoc inceperit esse praecipuum militibus ac ducibus nostris propugnaculum, quod mediam pugnam teneret. Hostes cum cognovissent in illo defendi maiores militum praefecti, omnes illuc impetus intendere, illuc viginti quatuor tormenta bellica dirigere, quorum innumeri ictus feriere muros, illuc ignes igneosque globos proiicere tantoque furore domum oppugnare, ut die sexto idus martias defensores crederent illum diem fore sibi supremum.

Verum, dum mortis horror ubique spargitur, dum cernuntur circum late accolarum domus incendio comburi, Patres sacello domestico pro tribunali poenitentiae piaculares militum confessiones, quibus eos ad sacramentum paschale praepararent, audiebant. At die 15 maii proelium omnium forte atrocissimum vires hostium tandem fregit et victoriam Polonis dedit. Nam cum ingens domus, vehementibus concussa tonitribus, tota contremeret et plumbearum glandium densissima grando eam ita verberaret, ut videretur velle omnia opprimere, Poloni, eruptione facta, tanto impetu ac virtute in hostes irruerunt, ut eos cogerent terga vertere et fugae se dare. Supremo in illo discrimine Patres Fratresque pro victoria Sanctum Ioseph in domestico sacello pientissime precabantur. Ioseph audivit, vidit, vicit!

Utque laetitia plena esset, paucas post hebdomadas Sodales, qui Kolomeae exulabant, Chyrowiam regressi sunt, et Collegii Rector e Sibiria redux sodales omnes sua praesentia recreavit.

Die 20 septembris 1919 Collegium magna omnium liberalitate instauratum, alumnos inter omnium gratulationes ac laetitias de more excepit. A Collegio itaque Filii Dei Nutritio votum solvendum fuit.

X.

GALLICAE PROVINCIAE SUOS MILITES COMMEMORANT.

(1914-1918).

Militaris conditio.

Dum bellum gerebatur, quo Europa superioribus annis conflagravit, octingenti quinquaginta quinque fuerunt Socii e quatuor Galliae Provinciis, qui legi militari adstricti sunt, nonnulli quidem ad tempus, sed pars longe maxima toto quadriennio, quo immane illud discidium perseveravit. His addendi sunt sacerdotes, qui sponte aut Gallis vulneratis aut captivis Germanis operam navarunt ceu sacrorum procuratores.

Si paucos excipias, qui iam ante bellum nosocomiis militaribus inserviebant, ceteri omnes ad pugnandum missi sunt. Saepis-

sime tamen ex benevolentia ducum ea onera consecuti sunt, quae aliquam commoditatem sinerent in munia quoque vitae religiosae incumbendi. Generatim sacerdotes esse a militum sacris ex lege non poterant, nisi qui, vel ob devexam aetatem vel infirmas vires a militia soluti, vellent nihilominus sponte sua id officii praestare. Ex eorum numero fuerunt octoginta septem Patres, quibus alii quadraginta addi possunt, qui licet fuerint milites, cum bona tamen tribuni legionis venia sacerdotales curas commilitonibus profuderunt.

Virtus religiosa.

Quam prodiderunt iuvenes nostri fortitudinem maximas inter aerumnas et pericula mortis, iam a centum sexaginta quinque oppetitae, eam ipsi acceptam referunt Societati, de ipsorum solida institutione meritissimae. Nec defuit magnanimitas, qua praefectorum militum commemorationes consequi studuerunt, non vanae laudis studio, sed amore perfectae obedientiae rebus in arduis et cura boni exempli contubernalibus praebendi. Quingenti nonaginta quinque praeconio donati sunt, trecenti decem cruce bellica, sexaginta duo insignibus Legionis honorificae, undequadraginta militari numismate, viginti duo variis phaleris.

Sed potiora extant singularis virtutis et perfectionis documenta, quae, intimo ex animo sponte profecta, eius recessus omnes patefaciebant, epistolas dico nostrorum militum. E Collegiis Maximis Jerseiensi et Orensi, itemque e Domibus Probationis Cantuariensi, Bellomontana ac Provinciae Tolosanae opuscula periodica, prelo commissa, prodibant ferme tertia quaque hebdomada, quibus ad Patres Fratresque stipendia merentes in Gallia, Belgio, Africa, Macedonia, Palaestina, Russia, referebantur dispersorum Sodalium nuncii, Societatis praecipui eventus, vita functorum suffragia, piarum commentationum capita, praeclariora quorundam sensa. Vix dici potest quam avide paucae illae paginae expectatae fuerint, quam multos erexerint et forte in vocatione constantes servarint; profecto non semel externi sacerdotes et Seminariorum alumni in hoc fovendae pietatis ac perseverantiae fraternique amoris invento Nostris magnopere invidebant. Quae magis eximia visa sunt a nostris militibus conscripta, ea duo in volumina

quidam e nostris scriptoribus redegit, quibus nomen dedit *Impressions de guerre de Prêtres-soldats*. Ea legenti facile constabit, optatissimos Sodales iugi in periculo versantes et spiritus auxiliis saepe destitutos animo tamen erecto Calvarium ascendisse.

Militares sacrorum administri.

Qui sacra militibus ministrabant, ii commendabantur magnopere a virili animo et numquam remissa caritate ; passim in elogiis ut periculorum contemptores celebrantur, quippe qui graviter vulneratis succurrere non timerent cum proprio discrimine. Viginti octo vitam in tam nobili palaestra profuderunt, de quibus singulis cum longum sit aliquid dicere, nonnullos tamen praeterire minime fas est.

Memoria enim dignus videtur P. Lucianus Véron, qui a quibusdam hostibus pessime mulctatus est, non tam quod Gallus quam quod sacerdos catholicus esset. P. Paulus Aucler occidit postquam, medicis invitis, perseveraverat sacerdotale munus obire. P. Gabriel Raymond his verbis a duce laudatur : « Vir iste totus ex officio, totus ex hilari fortitudine est factus ». Quamquam P. Ludovicus Chaine aegrotabat, sibi temperare non potuit, quin per campum igneis missilibus undique apertum concursaret, moribundis religionis opem afferens, cum ipse mortifero vulnere sauciatus esset.

P. Fridericus Bouvier, perfectum abnegationis exemplum palam appellatus, postquam inter ignes occubuit, in suo testamento, quod secum ferebat, ita spirabat : se e vita decessurum omnium suae cohortis amicorum memoriam servare ; pro illis libenter mori, ut ii praesertim, quos noverat sane multos esse, ad fidem mores adiungerent suos, quod unum superesset eorum ingenuis animis, ut fierent omnino boni ; Deum rogare, ut ad illum redirent et nihil haesitarent conscientiae voci obedire ; se eos admodum caros habuisse et dolere, quod non maiora amoris signa dedisset ; unum semper spectasse, nempe ut duram agentibus vitam certa solatia afferret, eosque ad verorum gaudiorum fontes adduceret, videlicet ad religionis cultum et ad pudicitiam.

Denique eminet P. Ludovicus Lenoir, qui incredibili flagrans studio erga SS. Eucharistiam pene innumeros milites

divina refecit dape ; praeterea, complures baptismo tinxit, precum formulas militibus magis idoneas in unum libellum redegit, qui brevi quindecim mensium spatio in manus venit centum septem millium militiam agentium. Postquam in aperta acie mortuus est, praefectus legionis publice in castris eius testamentum legit : se omnibus suis optatissimis filiis valedicere, illisque gratum esse ob ipsorum in se amorem et fiduciam ; si quem, se inscio, offendisset, ab hoc veniam petere ; sacerdos et amicus cum esset, eos hortari, ut aeternae suae saluti prospicere vellent ; fideles Domino Nostro Iesu Christo eiusque legi permanerent, maculas animi abstergerent, quam saepissime cum Divino Servatore se coniungerent sacrae accedentes Synaxi ; omnes singulosque ad caelum invitare, ubi simul vera beataque laetitia perpetuo fruerentur, ad quam creati a Deo essent ; quod ut fieret, se ultro vitam suam Domino offerre.

Milites.

Ceteri quoque Nostri, qui stipendia faciebant, etsi non essent a sacris militum constituti, seu quia militari lege prohibiti, seu quia sacerdotio nondum aucti, multum tamen adlaboraverunt, ut proximos ad meliora proveherent. Quem in finem amor Dei industriam saepe acuit. Modo enim libros commodabant, modo epistolas scribebant ; in deliciis etiam erat docere rudes catechesim, *Rosarium vivens*, quod vocant, instituere, insignibus SS. Cordis Iesu commilitonum pectus decorare, ut hi in eius tutela essent, quod haud raro praesentissima ope confirmatum est ; disserere cum incredulis aut dissidentibus, ut caecis et aberrantibus veritatis lumen praeberent ; egregiis exemplis alios ad virtutem trahere. Inter eos qui e vivis erepti sunt, fuit Ioannes Bullier, scholasticus, qui, graviter vulneratus, inter acerbissimos cruciatus se vel a minimo gemitu temperavit, asserens id genus praedicandi Christum sibi obtigisse, nimirum ostendere qua ratione vir religiosus pati sciret, h. e. hilari vultu. P. Gilbertus de Gironde, ipso die quo bellum incepit sacerdotio initiatus, dum gregario animam agenti assistit interimitur. Cum navis qua vehebatur P. Petrus de Daran, siluro perfossa e subnatanti scapha emisso, submergeretur, fluitantem orbem, quo cinctus vitam in undis servare potuisset, commilitoni ultro tradidit et ipse, caritatis victima, fluctibus obruitur.

Tantam sibi admirationem conciliavit P. Ludovicus Rivet, in facultate canonica Universitatis Gregorianae lector, ut vel ii qui a fide alieni erant eum virum sanctum dictitarent. Quam saepe labores ac pericula lumine divinae voluntatis ita sibi transformabat, ut illa non iam terrenas ac duras vicissitudines, sed optabiles caeli aditus appellaret. Religiosae eius vitae summarium typis committere visum est. « Christi corpore sanctissimo munitus, pugnam ciebo » ita sodalem quemdam alloquutus est aliquando Iosephus Georgius Pasteau, scholasticus, « non te, frater, meum gaudium celaverim. Cum enim religiosa vota instaurarem, aliud addidi, quo Deo spondebam me, si forte ad patriam servandam mori deberem, mortem ipsam pro Christi amore obiturum esse. Fiat voluntas Dei, sine qua nihil gloriosum est ». Sic ille. Tandem novitius scholasticus Hubertus de Geuser haec scribebat : « Pugnam cras ingrediar, ut per effusum sanguinem oriatur copiosa religiosarum vocationum messis et in novis familiis cunae multiplicentur ».

Societatis amor.

Longos circuitus conficere nostri milites non dubitabant, ut aliquem e Sodalibus inviserent ; cum autem commeatu donabantur, illico summo cum desiderio in domos Societatis sese recipiebant et aliquot dies Exercitiis Spiritualibus, animi reficiendi gratia, ultro impendebant. Nemo sine animi commotione legat epistolae initium, quam frater scholasticus Carolus Hovelaque ad Provinciae Praepositum dabat : « Hae litterae non a me tibi mittentur, sed illas in vestibus servatas alius, qui forte meum cadaver in aperta acie invenerit, ad te deferet. Sic ea consolatione fruar, ut tibi mortis rationem reddam, sicut vitae modum omnem tibi iam patefeci ». Tanto in morituris exardebat Societatis amor, ut eorum litterae e castris missae carmina interdum diceres, quibus illam extollerent. Neque enim alia videtur haec epistola P. Iosephi Cascua : « Sancta Societas Iesu, mater mea, qua miseratione motus Deus me inter filios tuos cooptavit ? Te quidem ante bellum amore deperibam, sed nunc!.. Te amo, te veneror, propter eos Sodales qui vivunt et laborant, quo quisque potest loco, qua quisque potest via, omnes tamen totis viribus... Si vivimus, in nobis tu vivis, tuus halat spiritus, tuum palpitat cor ! Vita eiusmodi in cunctis viget : in senibus,

qui mature eam sunt ingressi, in aliis qui sero, e quibus ego sum.... Mortui tui pulcri sunt, quia vixerunt ! Quid ego praestiti, ut cum illis vivere mererer? Nos sumus infirmi et foedi, tu vitam donas et pulcritudinem. Cum multorum in mundo debilitatem ac desidiam conspicio, gratum animum cogitatio subit, qualis fuissem, nisi tu adfuisses ! His sensibus totus perfundor, quoties nomini meo adiecta inspicio optatissima illa signa *S. I.* »

Aptior huic narrationi finis imponi non potest, quam ut posterorum memoriae mandetur cura Patrum e Provincia Germaniae auxiliandi Sodalibus Gallis in captivitatem ductis. Neque enim semel ipsi conati sunt apud belli administratores, ut sibi liceret illis opem ferre, eos invisere, loco mutare ; sed saepe eorum preces irritae fuerunt. Quidam Pater sciebat necem sibi imminere, cum a periculo liberatus est officiis Sodalis germani, qui erat a militum sacris et pro eo vehementer peroravit.

Deo sint grates, qui vel incredibiles inter aerumnas gloriam suam manifestare non desinit.

XI.

CAMPANIAE PROVINCIAE BELLI TEMPORE CONDITIO.

(1914-1918).

Pars Provinciae a Germanis libera.

Multo maiorem, quam ceterae Galliae Provinciae, Campania belli cladem perpessa est. Occupatis ab exercitu Germanorum Belgio, Septentrione et Arduenna, bifariam dividi debuit : quae in libera Gallia erat regebatur a Praeposito Provinciali, quae vero sub hoste a Vice-Provinciali.

Quamdiu licuit per Helvetiam litteras ultro citroque mittere, tamdiu dici potuit una, licet divisa, Provincia ; sed mox, intercepto epistolarum commercio, duae reapse erant. Haec rerum conditio quatuor ipsos annos viguit.

In Gallia administrabantur a Provinciali tria antiqua Collegia dispersa et Residentiae complures. E septingentis vero ac viginti Provinciae Sociis solummodo centum et septuaginta

erant apud Praepositum, cum ceteri, nisi in Missionibus degerent aut militiam agerent, in Vice-Provincia versarentur. In Sinis, in Trincomalia, in Betsileo, quae sunt Campanorum Patrum Missiones inter idololatras, centum quadraginta Nostri tum christianos excolendos, tum ethnicos ad veram fidem vocandos curabant. Centum quinquaginta stipendia faciebant, quibus ne deesset opportunum promptumque Superiorum auxilium, dum longa, ut saepe accidebat, itinera agerent, diversoriolum Lutetiae Parisiorum Praepositus constituit, quo illi si quando liceret, se conferrent inter suae Provinciae Sodalium amplexus. Ex hac domo in luce prodibat ephemeris *Prêtres-Soldats*, qua sacerdotum militum animus ad pietatem confovebatur.

Patres interea ministeriis Societatis operam dabant sollertissimam. Frequentes erant in nosocomiis, Christum verbo et exemplo omnibus praedicantes, Mahumetanis quoque, quorum multi Trecis (Troyes) decumbebant. Domus Exercitiorum Nanceiana (Nancy) hospitio recepit tum alumnos Seminarii maioris Verodunensis (Verdun) tum non paucos alios profugos. Singulari diligentia ac laude nonnulli paroecias, suis orbatas curionibus, excolendas susceperunt, nominatim Orchies et Suippes. Collegia minime verita sunt scholas de more habere, nisi quod mense aprili anni 1918 imminentium hostium periculum Ambianenses (Amiens) discipulos fugavit ; Versaliae instauratam viderunt partem Collegii Artium Mechanicarum, quod exstabat Insulis (Lille) antequam urbs a Germanis occuparetur.

Missiones exterae, tam multis e Nostris vocatis ad arma, summa hominum penuria laborabant, quia Provincia non habebat, quos ad illas mitteret. Unum Patrem et tres Scholasticos accepit Sinensis, quae tamen cum cognovisset Betsileensem in insula Madagascar se egentiorem esse, supremo nisu summaque caritate aliquod praesidium ad eam misit.

Pars Provinciae a Germanis occupata.

Socios in Belgio Galliaque ab hostibus occupata degentes moderabatur P. Aloisius Decoster, cui Socii ducenti quinquaginta obtemperabant, maiorem partem in domibus Probationis et studiorum distributi. In Collegio Angiensi (Enghien) Scholastici studia theologica prosequebantur, qui, cum timor esset ne ea abrumpi deberent, ut opem egentibus ferre iuvenes nostri

possent, Sacris initiati sunt post alterum theologiae annum ex magna Sanctae Sedis benevolentia. Collegium Antonianum (Antoing) Novitios et Iuniores, Tuquetanum (Le Tuquet) alumnos Scholae Apostolicae suis aedibus receperunt. Insulis etiam Probationis Domus post duos annos aperta est.

Multa quidem adversabantur explanandis Exercitiis Spiritualibus, quippe quod magna perturbatio res omnes ac mentes teneret ; ea tamen incommoda Patres duo singulari sui abnegatione tam feliciter superarunt, ut in oppido Le Sart illis continenter operarentur. Insulis, Robaci alibique ingens multitudo accurrebat, Patres sermonem publice habentes auditura; interdum ad duo millia opificum interfuerunt, et ipsi operum magistri ac duces necnon Universitatis lectores aderant. Ad imbuendos vero eruditione, ad civilem et christianam vitam necessaria, adultos, qui a pueris nequiverant studia perficere, curriculum litterarium variis in locis constitutum est, exitu, praeter spem, fortunatissimo. Hisce rebus Societas iis in regionibus tempore belli adeo strenue lateque divinam gloriam propagavit, ut eius nomen tanta ibi celebraretur existimatione, quantam fortasse numquam antea adepta fuerat.

Cum locorum Galliae, quae Germani tenebant, annona difficilior in dies evaderet, et incolae egestatem fugerent, visa est ipsa divina Providentia Campanis Sodalibus, in Belgio degentibus, novum ministeriorum genus designasse, quo erga miseros extorres pietatem adhiberent. Neque hi suo officio defuerunt : nam pueris aperiunt scholas Florinenses (Florennes), Angii (Enghien) vero instaurant vitam parochialem profugis vicanis S. Quintini, quos perenni uberique Missione excolunt. Pauper iste populus per Helvetiam in patriam mox reversurus, grati animi ergo, P. Rectori quadringentas libellas offerre omnino voluit.

Sed fames crescebat, quo diutius bellum protrahebatur. Quamquam vero, ut omnes testantur, et Superiores Vice-Provinciae nihil intentatum relinquebant, ut suorum valetudini providerent, et Patres Belgi in primisque Praepositus Provincialis curabant, quatenus ipsis concessum erat, extremae Sodalium Gallorum necessitati subvenire, impossibile tamen fuit evitare, quominus hi haud raro effectus paupertatis vel summos experirentur. Nonnulli enim pro cibo solis urticis interdum vescebantur ; tantulum carnis, quantum in una vel altera mensa ab

unoquoque nostrum pacis tempore comedi solet, in singulos menses distribui poterat. Nihilominus omnes laeti erant, quod haec perferrent ex Christi et vitae religiosae amore, illud propterea a liberalissimo Domino consecuti, ut, si calamitosi illi anni corpori tam avari erant, essent spiritui maxime frugiferi.

Provincia rursus componitur.

Datis tamen induciis, aliquis aerumnarum finis esse coepit. Statim ad ordinandam denuo Provinciam hinc Superiores auctoritate, inde ceteri Sodales libenti animo se contulerunt In locos ipsos ubi tamdiu dimicatum est, desertos adhuc a plebe et incultos, Socii superstites redeunt, studio iuvandi miseros et rerum experientia conspicui.

Florennis habentur Novitiatus, tertia Probatio et Schola Apostolica. Duaci et Remis opera inter ruinas reviviscunt. Manipulus Patrum, parva altaria portatu facilia secum ferentium, Ambiano in finitimos agros excurrit, Dei verbo et Ecclesiae sacramentis redeuntes in patriam agricolas solaturus : quae Nostrorum prompta sollicitudo adeo Episcopis placuit, ut nos non parvo favore dignarentur.

XII.

SOCIETAS IN AMERICAE CENTRALIS RESPUBLICAS REVERTITUR (1).

(1914-1915).

Mediae Americae perlustratio.

Id in primis referendum videtur quod revera suavissime animum commovet cuiuslibet filii Societatis, qui prima vice oras Mediae Americae peragrat, scilicet summam existimationem, summamque benevolentiam adhuc multum vigere erga Societatem in incolis fere omnibus harum regionum : nec longissimum a Nostrorum discessu exactum tempus, nec diuturnas in

(1) Quae hic narrantur, placuit fusius ex ipsis epistolis Romam missis exscribere pro eorum gravitate, licet ea innuerimus paucissimis verbis in *Actis Rom.*, II (1916) 226.

religionem insectationes, nec civiles calamitates tantae existimationi tantaeque in Nostros benevolentiae quidquam detrahere potuisse.

Ex Guatemala, anno 1871, post quadraginta laborum atque operum plenos annos, Societas tandem depulsa fuerat ; verbis vix possit aliquis persequi praestita per eam beneficia, sacrorum ope ministeriorum, in Residentiis, Missionibus ac praesertim in Collegio-Seminario, in quo totius Mediae Americae instituti informatique sunt cives eminentiores. Ecclesiastici quidam viri supersunt, qui gratissimam Nostrorum adhuc retinent memoriam, quos sibi magistros olim adhibuerant. Celebrandus inter alios videtur D. Ignatius Prado, Ecclesiae Metropolitanae Decanus, qui, Nostris discedentibus, sibi commendatum obtinuit Societatis templum, in quo Sodalitates abhinc quadraginta quinque annis a Nostris stabilitas, usque adhuc regit, Sanctorum nostrorum cultum et Societatis notitiam inter novam sobolem promoveret. Optimus ille senex aliquibus Regularum nostrarum exemplaribus, in Guatemala editis, Praepositum Provinciae Mexicanae donavit, quae ab ipso post Nostrorum profectionem collecta, per dimidium fere saeculum sedulo servavit, donec alicui e nostris Superioribus ea restituere valeret.

In Republica S. Salvatoris non minus intima animis et cordibus inhaeret cognitio et amor Societatis; quod quidem valde mirandum videtur; cum duos tantum annos Nostri ibi manserint parva in domo, paucissimis sodalibus.

In Republica Nicaraguensi decennium (1871-1881) perstitit Societas ; domicilia habuit complures, inter quae Domum Probationis et Collegium Nostrorum. Fructus spirituales, tam brevi spatio ab iis percepti ita laeti fuerunt, ut in omnes fere Reipublicae civitates ac oppidula promanarint. Sodalitas Apostolatus Orationis Congregationesque Marianae ea fortuna eaque firmitate conditae sunt ut, illo primo favente impulsu, adhuc florentes perseverent, et tanta illis antiquis Patribus existimatio fuerit comparata, ut clarissimus quidam vir publicus asserere non dubitaverit, exhibitam a quolibet Nostrorum vitae probitatem sic integram excelluisse ut, ne uni quidem ex iis noxa ulla adscribi potuerit, qua quidquam tanto nomini detraheretur.

Adversa fortuna, quae postea Rempublicam per annos septemdecim vexavit, quasi poena, a Deo huic inflicta, ab incolis

passim aestimata est, propter illatam in Nostros expulsos immeritam undequaque iniuriam. Voluntas autem accersendi denuo Societatem omnium fere sic inhaeret animis, ut utrum una restet regio ignorem, quae tanto Societatem desiderio prosequatur.

Clarissimum Patrem Nostrum, b. m., Ludovicum Martin, qui multos e Nostris cognoverat, qui in hac Republica degerant, apprime expendisse horum civium erga Societatem animi sensus luculenter apparet ex iis, quae retulit Ill.mus Archiepiscopus Managuensis, D. Lezcano. Is enim narrat P. Generalem sibi asseruisse, si quando res Nicaraguensis Reipublicae in melius sese verterent, omni quidem via conandum Societati, ut restitueretur in ea regione, quae tanto amore tantoque studio eam est prosequuta.

Tantus in Nostros amor ac tam communis toti Americae Mediae Deo in primis, Nostrorum deinde curis maximis, improbis laboribus, studio regularis disciplinae adscribendus est. Patres illi fuerunt reapse viri apostolici, qui in iis regionibus fere instaurarunt facta illa gloriosa, quibus primi Sodales tantam in universa Europa, pro nascente Societate, suscitaverunt sui existimationem.

In Americam Mediam conventurus Praepositus Provinciae Mexicanae, tres tamen Respublicas tantum, nempe Guatemalam, S. Salvatoris et Nicaraguam peragravit ; quod si ea perpendantur quae aliunde audivit, eosdem omnino pro Nostris benevolentiae sensus in Costa-Rica excellere credendum est, forte in Honduras eosdem, quamquam multo minus eo pervaserit Societatis fama.

Provincia Mexicana in Republica S. Salvatoris.

Inter nationes Mediae Americae, Respublica Sancti Salvatoris ultimum locum obtinet pro soli magnitudine, primum vero si compares frequentiam incolarum, qui decies centena millia et sesqui numerantur. Urbes praecipuae sunt San Salvador, quod caput est Reipublicae civilis et ecclesiasticae, Santa Anna, cum sede episcopali, San Miguel, cum sede episcopali, Santa Tecla. Caelum, licet ardens, est salubre.

Mense augusto anni 1914 Sodales Provinciae Mexicanae ditionem S. Salvatoris, admirabili Providentiae ductu, ingressi sunt.

Paucis enim mensibus antequam rebelles Mexicani supremum triumphum obtinerent, commercium quoddam litterarum cum Praeposito Provinciae instituerat sacerdos quidam, D. Belloso, Ecclesiae Metropolitanae canonicus qui, sortis nostrae aliunde fere ignarus, ardentissima sua vota passim exprimebat obtinendi pro patria aliquos saltem Societatis religiosos. His cognitis, refugium nobis offerri, aperto Dei consilio, si nos disperdi tandem iuberemur, visum est : quod quidem brevi evenit ; qua de causa, annuente Ill.mo Archiepiscopo, Patres quinque ac FF. Coadiutores duo missi sunt qui, tenerrimo amore ab ipso Praesule in proprias aedes hospitio primum recepti, transactis deinde aliquibus mensibus, curam templi S. Ioseph et Seminarii in ipsa urbe principe ad tempus susceperunt. Statim clariores loci familiae, insigni cum liberalitate, novam domum copiosa supellectile instruere, ipsumque Seminarii aedificium, ex desiderio habendi Patres, instaurare contenderunt. Interea hi consuetis ministeriis in aede sacra, Exercitiis privatis ac publicis, concionibus in alienis quoque templis, expeditionibus ad populum, tandem Seminarii alumnos spiritu et doctrina instruendo, magno cum fructu ac omnium delectatione operam dare coeperunt. Cum autem in messem quidem multam operarii adhuc pauci incumberent, brevi additi sunt tres Patres ac duo Fratres Coadiutores.

Labente tamen primo anno, perturbatio quaedam contra Nostros orta est. Cum enim nuntiatum fuisset quosdam e Societate in Rempublicam adhuc perventuros, viri quidam impii ac malevoli metum ac terrorem de studio rerum pristinarum per Iesuitas excitando, ita Summo Magistratui incutere obtinuerunt, ut ingressus Nostris, ac nominatim Patri Provinciali prohiberetur ; paucis post diebus, vi huius mandati, duobus Sociis, qui ex Civitatibus Foederatis missi fuerant in Seminarium Salvatoris, exscensio e navi plane negata fuit. In iis vero luctuosis eventibus clarissime apparuit, quantum amorem, quantamque reverentiam apud plerosque cives sibi Patres conciliaverint : clerus enim et catholici, cum timerent ne Nostri e Republica eiicerentur, precibus publicis, ieiuniis, aliisque piis exercitationibus periculum removere studuerunt, necnon, uti ex factis apparuit, consequuti sunt; nam paulatim tempestas,

quae subito exorta fuerat, sedata quievit. Hac occasione missus fuit incognitus quidam Pater, ut Nostros, gravibus circumdatos difficultatibus, opportune iuvaret.

Provincia Mexicana in Republica Nicaraguensi.

Respublica Nicaraguensis, amplitudine quidem maior quam Respublica Salvatoris, minore tamen incolarum numero gaudet; horum enim non sunt nisi quingenta millia. Regio generatim calidissima est et in quibusdam locis parum salubris. Urbes praecipuae sunt Managua, caput civile et ecclesiasticum, Leon et Granada, quae singulae suo reguntur Episcopo.

Procul dubio in nulla alia natione Mediae Americae Ecclesia catholica pari ac apud Nicaraguanos gaudet libertate et patrocinio, spesque firma adest, fore ut talis rerum ordo non turbetur. Favent enim praesentibus Magistratibus Civitates Foederatae Septentrionalis Americae, quarum conservatio pacis maxime interest propter innumera negotia, quae in hac regione susceperunt.

Modo reapse insolito initium habuit domus, quam constituimus in urbe Granada. Ineunte enim anno 1915 Congregatio Mariana, a Patribus nostris antiquis ibidem constituta, petiit a P. Superiore S. Salvatoris, ut aliquis ex Nostris mitteretur ad conciones habendas singulis mensis maii diebus. Annuit Superior, qui ad hoc munus explendum Patrem designavit; eodem fere tempore, ad oras Reipublicae Salvatoris appulerant ex Civitatibus Foederatis illi duo Nostri, quos paulo ante vidimus a magistratu civili reiectos, qui interea in insulam Amapala ditionis Hondurensis transmiserant. Pater ex urbe S. Salvatoris iter ea insula faciens Nicaraguam versus, eos socios sibi adiunxit et, approbante Superiore, ambos secum in urbem Granadensem adduxit.

Certiores facti optimi Granadenses de adventu trium sodalium, nullo pacto iis permiserunt, ut urbem suam, transacto mense maio, desererent; sed illi obtinuerunt templum B. M. V. in caelum Assumptae, vulgo dictum *Falleva*, domum insuper aptam, supellectile ornatam, et stipem quovis mense erogandam, donec Superiores admoniti rem solverent.

Interea Pater, quem diximus anno superiore a Praeposito Provinciali missum in Rempublicam S. Salvatoris, iussus ab eodem fuerat Rempublicam quoque Nicaraguensem peragrare ut, statu rerum explorato, ipse sententiam suam diceret. Facile ille quidem intellexit, quantum nobis prodesset domum Granadensem servare, quanta cum libertate quantoque fructu fas esset Patribus ministeriis operari : quibus auditis, Provincialis iussit Nostros Granadae remanere, donec ipse iter instituere valeret ad illorum conditionem in Republica firmandam.

Occasione visitationis a P. Provinciali peractae, Nicaraguani, praesertim vero Granadenses, eximias ac inusitatas amoris et reverentiae significationes erga Societatem certatim exhibuerunt; non solum matronae, sed praecipue nobiliores viri, iuris periti, medici, deputati ad leges ferendas, senatores, ministri et ipse Praeses Reipublicae, insuper Episcopus instanter ab eo petierunt, ut Societas illos non desereret ac singulariter ut Collegium cum Convictu in sua regione institueret. Fatetur Provinciae Praepositus vix alibi vota ac desideria tam vehementia Nostros retinendi obtinendique Collegium se vidisse.

XIII.

COADIUTORUM TEMPORALIUM GRADUS DECLARATUR A PATRIBUS MISSOURIANIS EDITIS IN LUCEM SCRIPTIS (1919).

Memoratu dignum omnibus videbitur, dum tanta quasdam Societatis Provincias premit Coadiutorum temporialium penuria, industria qua Patres Missouriani usi sunt, ut eiusmodi rei domesticae adiutores sibi compararent. Cum enim, ut notum est, perpauci admodum Americani in hunc Societatis gradum cooptari velint, eo quod ignorantia decepti, de eo quasi de servili famulatu sentiant, Magister Novitiorum et curator nostri periodici voluminis, quod inscribitur *The Queen's Work*, scriptiones in vulgus quam latissime possent spargendas curarunt, ubi illius naturam et rationem vitaeque modum dilucide explanarent.

Et Novitiorum quidem Magister libellum sane pulcrum litteris mandavit, quem etiam in lucem dedit. Huius novitate atque utilitate capti Patres a Verbo Divino, qui in urbe Techny praecipuam suae consociationis domum pro America Septentrionali habent, illum iterum typis commiserunt in suis periodicis scriptionibus, quibus titulus est *Christian Family.* Noster etiam Nuncius SS. Cordis Iesu, cui nomen *Messenger of the Sacred Heart,* per summa capita eundem concinne descripsit. Ita factum est, ut iam ad hominum millia saltem quingenta huius gradus vera notitia perveniret, nec sine fructu, quippe quod nonnulli pii viri illum eligere statim voluissent.

Eodem tempore moderator ephemeridis *The Queen's Work* lucubrationum seriem de eodem argumento exarabat in alio periodico libro, qui audit *Our Sunday Visitor.* Huic subnotatores sunt vicies centena millia, qui proinde de conditione nostrorum Fratrum edocti sunt, non sine horum existimatione et emolumento.

Et vero, ut coepta est diffundi huius rei fama, quinque Coadiutores illico in unam Domum probationis Florissantensem (Florissant) ingressi sunt et non pauci alii per litteras petunt ut admittantur.

XIV.

TOKYENSIS UNIVERSITAS.

(1919).

De catholico Athenaeo Tokyensi pauca admodum habentur quae narrationi inserviant. Cum re quidem vera ministeria proximorum nulla sint, omnis vitae domesticae ratio in consuetis et semper iisdem occupationibus cuivis nostrorum Collegiorum magistro propriis consumitur. Ea tamen summatim conabimur perstringere, quae aliquo modo Nostris cordi esse poterunt, quibus profecto pro sua erga Iaponicam missionem benevolentia, nihil non magnum atque opportunum videbitur, etiamsi vulgare et parvi momenti prima facie appareat.

Domus.

Area, in qua nostra Universitas et Residentia sita est, iam a primordiis inter optimas in urbe Tokyo numeratur; nam in tribus nostri aedificii partibus ab omni negotio et strepitu longe absumus; praeterea non mediocres utilitates percipimus ex novo curru ferreo electrico, qui nostram stationem cum centrali coniungit. Itaque ab urbe Iokohama reliquisque Iaponiae oppidis ad domum usque nostram via ferreia convecti pervenire possumus. Ad plagam nostri viridarii, quae meridiem spectat planities iacet inculta fere et ad futuram aedificii amplificationem maxime opportuna. Facultas iam concessa erat a P. Generali ad illam coëmendam, sed, proh dolor, dum ob subsidiorum inopiam coëmptio procrastinatur, tertiam iam partem possessor alienavit ad aedificia exstruenda, quae partim iam sunt excitata.

Itemque Pater Noster fecerat potestatem non semel expetitam aedificandi Residentiam ad nostrum vitae genus accommodatam. Neque enim nunc omnes Patres in iisdem aedibus commorantur, nec ad ea, quae praestare debent, apta est praecipua domus, quam olim quidam praefectus militaris iaponicus incoluerat. Succiso quodam pineto, locus patuit, ubi fundamenta iacerentur, cum ecce, facta ab architecto computatio sumptuum P. Superiorem de consilio exstruendi deduxit; summa enim necessaria aestimabatur duplo maior illa, quam poteramus erogare.

Necessitas urget, ut praesidia habeantur non solum ad Residentiam cum viginti saltem cubiculis a fundamentis aedificandam et futuras nostrae Universitatis fabricationes perficiendas, sed multo magis ut Athenaeum valeat et nomen et iura et privilegia Universitatis retinere. Nam, quod plane sciendum est, supremi Imperii curatores nunc expostulant ut unaquaeque Universitas seponat in aerario ibique servet, ut eius gradus vim publicam obtineant, quingenta millia nummûm, ac praeterea pro singulis facultatibus quae in ea traduntur alia centum millia.

Ineunte mense octobri anni 1919 P. Marcus Mc Neal, R. P. Generali annuente, in Americam Septentrionalem se contulit, ut ibidem ad instantem hanc necessitatem stipem sufficientem

colligeret. E.mus Cardinalis Gulielmus van Rossum, S. C. de Propaganda fide Praefectus, praeter quam quod litteras dedit (1), quibus hoc iter eiusque causam commendabat, se primum in offerentium numerum adscripsit, depromptis quadraginta millibus francorum helvetiorum. Rei eventus, ut nunc se habet (mense martio 1920), non multum sane nobis arridet. Sed tamen hanc spem certam in Divina Providentia collocamus, fore ut, si Deus nostris laboribus ad maiorem eius gloriam propagandam uti velit, possit tandem P. Mc Neal ingentem dollariorum vim comparatam in suis per Civitates Foederatas et Canadam itineribus secum afferre. Si circiter decies centena millia dollariorum colligi non possunt calamitatem quodammodo, si res humanis oculis perspicitur, nostrae Universitati ac proinde etiam supremae educationi catholicorum in Imperio iaponico advenisse arbitramur. Quicumque igitur e Societatis Iesu filiis quempiam egregium largitorem Universitati Tokyensi lucrabitur, hic et de causa catholica bene merebitur, et Patrum Praepositique Generalis gratum erga se animum persentiet.

Alumni et magistri.

Ad ea veniamus, quae nostrorum discipulorum numerum attingunt, qui semper plures fuerunt, quam ex temporum conditione sperare fas erat. Diebus paschalibus anni 1913, cum studia in parva interim domo inchoarentur, Patres, qui tunc erant, contentos se fore dicebant, si vel quinque haberent alumnos ; sed ecce, tredecim adolescentes ut cooptarentur flagitarunt. Iamvero pro curriculo scholastico 1919-1920, iuvenes amplius octoginta ingressum in nostras aulas postularunt, ita ut optimus quisque, usque ad quadraginta, deligi potuerit, quibus schola primi anni prorsus completa est. Quanta sint laetitia affecti Patres hoc incremento, nihil opus est referre. Hoc tamen tacite non praetermittendum, inter eos quos illi curriculo nomen dederunt, fuisse filium praepositi omnium privatarum Universitatum, qui omnibus ceteris sane multis ac magnopere florentibus nostram anteposuit ad sui filii institutionem. Hic ipse nos certiores fecit, anno 1913, cum deliberaretur, num oporteret dari nobis facultatem ad scholas aperiendas, su-

(1) Cf. *Act. Rom.*, III (1919) 35 sq.

premos Imperii curatores rursus convocatos fuisse, ut de re magni momenti, nempe de Societate Iesu in Iaponiam admittenda disceptarent. Quamquam hic omnia ea, quae contra Societatem vel prolata vel scripta sunt ab omnibus probe cognoscuntur, magna tamen Deo habenda est gratia, quod plus veritas valet absurdissimis versutiis. In praesentia, nemo Patres non cognoscit, nemoque eos molestia afficere contendit. Praeterea discipuli quotannis et merito augentur et numero.

Iaponici magistri qui nobis auxilio sunt, e spectatissimis lectoribus semper eliguntur, adeo ut eorum nonnullos ii ipsi, qui Imperium regunt, nobis ademerint, ut gravia mandata arduaque negotia iis exsequenda committerent. Alii simul in frequentissimis lycaeis doctrinam tradunt. Istorum praeceptorum nobilissimus et facile princeps est vir Ecclesiae catholicae in primis cultor D. Mizumo, qui absolutissime tenet linguam germanicam, anglicam et latinam. Alius adolescens, plane catholicus et in Universitate imperiali laureatus et adscitus concilio ad novam legum confectionem constituto, sua sponte sese nobis obtulit, ut sine mercede iurisprudentiam doceret. Itaque nostri magistri iaponenses, qui amplius viginti numerantur, multum honoris nostrae *Yôchi Daigaku* (1) pariunt, quam certe iam omnes viri eruditi toto hoc Imperio generatim cognitam habent.

Sub Universitatis primordiis aliquoties centena dollaria profusa sunt singulis annis ad nostrorum studiorum cognitionem pervulgandam. Nunc autem iam sufficit litteras vel saltem nostrorum cursuum formulam circum collegia et gymnasia dimittere. In eam spem adducuntur Patres, fore ut nostrae institutionis commendatio praecipua sint alumni, tum qui ex nostris aulis prodeunt, ut eximia vitae ratione in societatibus, quorum negotia suscipient, bonam famam spargant, tum qui nostras praelectiones adhuc frequentant, si quam maximos se progressus facere animadverterint. Cum quodam die in parte urbis a nostra domo valde disiuncta deambularet unus e Patribus, duos adolescentes scholasticos non eiusdem Universitatis offendit. His quod esset suum munus in *Yôchi Daigaku* patefecit et quaerenti, num illud Athenaeum novissent :

(1) Hae voces significant « Academia Sapientiae », quo titulo vocatur nostra Universitas.

« Quidni ? responderunt, nonne situm est in via *Kioi-cho* ? » Alio exemplo res confirmatur. Hoc anno epistolium ita exaratum Nostri acceperunt : » Studiorum vestrorum indicem velim mihi mittatis ; cupio enim in vestram scholam cooptari ». Antea epistolia eiusmodi hunc tantum sermonem referebant : « Velim mihi studiorum vestrorum indicem mittatis ».

Illud etiam non parum confert ad nostrae scholae notitiam in dies singulos propagandam, quod alumni ex valde diversis provinciis, ex longinquis propinquisque locis conveniunt. Eorum enim alii sunt ex urbe Tokyo et ex ceteris urbibus oppidisque plus minus remotis ; alii ex insulis Shikoku et Kyushu atque etiam nonnulli ex Formosa et Corea ; adsunt quoque multi Sinenses.

Gradus academicus.

Semel in anno, vernoque tempore sollemnis habetur titulorum distributio. Omnes iuvenes aliquo gradu in nostra Universitate decorati honesta et quaestuosa munera sunt adepti. Multi officiis funguntur apud supremos Imperii magistratus aliosve, maxime vero penes societates, quae commercia exercent ; qui omnes mercedem habent maiorem, quam ii, qui e Schola Superiore commercii et linguarum exterarum prodierunt. Porro omnes, aut saltem maxima pars nostrorum discipulorum, qui gradum academicum adepti sunt, aliquot mensibus ante finem curriculi expeti solent a societate quadam commerciali inter ditissimas facile principe. Quin etiam, hoc anno quantopere nostri iuvenes probarentur, litteris significavit illa ipsa societas simulque selectorum pomorum munusculum nobis donavit.

Alumni christicolae.

Ut alumni fidei donum consequantur, Patres quotidie fundunt preces atque ardentia ad Deum faciunt vota. Eos vero urgere ut nostram religionem amplectantur, forte prudentis non est. Vitae nostrae agendae rationem cernunt profecto ; itemque illos non latet, nos esse sacerdotes catholicos et viros religiosos. Gratia Dei praecipue eos excitare debet ad sequendam veritatem. Illa viam sternit, difficultates solvit et lenia reddit mitigatque incommoda relinquendae superstitioni coniuncta. Sex illi alumni secundi anni quos *Acta Romana* anno

1918 (1) commemorarunt, in bono proposito non perseveraverunt ; curiositas eos magis, quam sincerum veritatis cognoscendae studium duxerat. Unus dumtaxat ex iis, duobus post annis P. Superiorem adiit serio postulans, ut nostrae fidei doctrina imbueretur : « De aliis inquit, nihil mea interest ; ad explenda animi mei desideria indigeo vestra religione ». Quam paucas deinde difficultates, dum docebatur, habebat ! Profecto, si Dei gratia alicuius animum anteverterit, tunc humana mens quasi puer vel difficillima fidei dogmata mira cum facilitate amplectitur ; et ut Missionis peritissimi asseverant, haec docilitas generatim inveniri solet (quis umquam tale putaverit ?) apud homines maxime studiis liberalibus institutos. Non tam argumentis convincuntur, quam amore et cordis propensione ducuntur.

Fere perpetuo unum aut alterum catechumenum erudimus, quorum primus fuit ille angelicus adolescens *Abe*, cuius imago exstat in ephemeridibus *El Siglo de las Missiones* (1). Nunc decem e centenis alumnis nostrae Universitatis catholici sunt et pietate, animorum studio et in asseclis congregandis alacritate eminent.

Si quis viderit eos orantes in sacello modestissimos habitu, diuturnis precibus deditos, et deinceps multis capitis nutibus, more iaponico, Domino valedicentes, profecto pia iucunditate perfundetur. Sunt utres novi, et gratia divina miro quodam modo in iisdem operatur. Iuvenis recens ad fidem catholicam adductus sic admirationem, partam ex manifesta sua mutatione, declaravit, postquam sacris baptismatis aquis est ablutus: » At nunc quidem alium me esse sentio ».

Zelus eos primum concitat ad ostendendam domesticis verae salutis viam, deinde etiam cognatis et amicis. Hoc spiritu afflatus optimus quidam alumnus Universitatis in urbe Keyo, multos condiscipulos ad sermones audiendos, quos de religione habebamus, congregavit. Hoc modo, Deo iuvante, comparabitur in Facultate medicinae manipulus iuvenum strenuorum, qui a gratia se in animos insinuante haud ita remoti, tandem, Deo auspice, verae religioni fortasse nomen dabunt. In communi perturbatione, quae hodie mentes occupat, licet animadvertere inter adolescentes quemdam accessum ad Iesu

(1) Cf. vol. IV (1917) 341.

Christi doctrinam et cultum. Solummodo necesse est deinceps agmen iuvenum ferventium, nullo popularis existimationis metu illaqueatum, confletur, quod omnes in Ecclesiam catholicam se recipere volentes exemplo alliciat. Hoc e nostra schola aliquando esse proditurum nobis pollicemur.

Dies festi academicorum.

Proni sunt Iapones ad necessitudines ineundas et ad mutuam societatem ; valde delectantur familiaribus conventibus honestisque conviviis, quae vulgo *sôdam kwai* et *gochisô* nominantur, alacresque etiam sunt in campestribus obambulationibus (vulgo *eusoku*). Ineunte curriculo ad novos discipulos honorifice excipiendos una simul hasce rusticanas itiones instituimus. Quod vero maxime nobis in his congressibus admirationem ciet est agnitio et salutatio tironum et, ut ita dicam, anagnorisis. Nam, apposita, mensa cum tigilla, quibus oryza sumitur, quieverunt et non semel convivae pateras potarunt thea coronatas, assurgit unus ex antiquioribus aliosque sic affatur : « Ego sum N. N. omnium vestrum observantissimus » ; deinde ex ordine, quo sedent arctissime in orbem dispositi ad parietes magnae aulae, (toto enim pavimento veluti mensa utuntur, famulique in medio cursitant), omnes tirones et veterani, qui sint et quomodo vocentur significant, remque facetiis quibusdam, prout ingenium et adiuncta postulant, aspergunt ; ex improviso, conciunculas contexunt; suas quisque sollertias expromit ; hic si ad rem venit concinit lingua Sinensi ; ille sibilis melos aliquod componit ad normam perfectae harmoniae ; quin immo est qui, novis alumnis inhiantibus, contorquendo brachia et gestus agendo simiam satyrum (orangutàn) imitetur.

Similis dies festus agitur quotannis in nostra schola, cum ii qui academicos gradus adepti sunt dimittuntur medio mense martio. In hac dimissione, ultro citroque concionantur, cantitant, fides pulsant, domum demum bene pransi potique redeunt. Illud etiam Patres voluptate afficit, quod ii qui olim fuerunt alumni his conventibus intersunt, et hanc nacti occasionem, suam erga Almam Matrem benevolentiam testantur ac pristinae educationis memores se gratosque praebent. Manifestum est omnes praeceptores tam nostrorum quam externorum ad has animorum relaxationes vocari solere ; et revera multi invitati parent.

Convictus.

Ad multorum forte aures pervenit, Patres Convictum administrare, et forsitan animo sibi fingunt hos universitarios nostrorum convictorum more cum praefecto ac tintinnabulo duci. Nihil profecto tale reperitur. Noster convictus *Kishikushà* vocatus, hospitio potius similis est. Variis domunculis constat, magnitudine formaque dissimilibus positisque in viretis et plateis Universitatis. Hae domunculae, secundum iaponicae artis genus aedificatae, eaedem sunt, quae ibi dudum exstabant, cum Nostri locum emerunt. Omnia quae ad victum pertinent, semi-convictores sibi procurant, ac sibi coquum et famulos quaerunt ; P. Paulus Tsuchihashi tantum iis, quae ad domorum locationem et ad universum ordinem pertinent, invigilat.

Hactenus quadraginta quinque cubicula numerabantur, quae christiani et ethnici incolebant. Tres menses deinde convictus occlusus est propter quasdam offensiones, quae inter utrosque exstiterunt. In posterum, cum, Deo favente, convictus rursus aperietur, novis legibus aditus eius catholicis tantum alumnis patebit. Quo fiet, ut unus aut plures Patres in eorum christianam institutionem incumbere possint, ipsique adolescentes vicissim maiorem commoditatem nanciscantur ad pietatis opera in nostro sacello peragenda.

Yôchi seu domus.

Universitatis aedes elegantes sunt et solidae, aulas habent amplas propatulis fenestris exornatas, spatiosa ambulacra, splendidumque conclave ad publicas functiones celebrandas, calor hieme, longa sane ac frigida, in omnes domus partes perfertur. His de causis existimantur esse ex optimis aedificiis totius Iaponiae, non seclusa Universitate Imperiali, multis aedificiis inter se disiunctis constante. Rubrae turres nostrae *Yôchi* iam procul ex ipso campo martio Aoyama conspiciuntur, eiusque venusta frons omnium oculos rapit, omniumque praetereuntium gressus detinet. Longus pinorum ordo ramos habentium retortos, quibus Iapones admodum delectantur, eam disiungit ad occidentem a profluente, quae terminos inter nostras possessiones et aedes regias stilo versaillensi Principis Haeredis definit.

Momentum quod nostra *Yôchi* in incolis facit est optimum, cum in ipsis ethnicis, qui persaepe rem nomine ponderantes eam

veluti theologiae scholam vel buddismi transcendentis habent, tum maxime in christianis totius Imperii, qui eam amore prosequuntur, propterea quod ipsa vim educationis Ecclesiae Catholicae, matris nostrae, quamquam nunc nonnisi mediocriter, refert.

Bona externorum de nostra Universitate existimatio.

E quatuor Collegiis secundae instructionis FF. Maristarum multi suo tempore in nostram Universitatem ingrediuntur ; Episcopi quoque et Praefecti Apostolici, eos omnes ex quibus quam maximos in posterum fructus suae dioecesi eventuros putant, nobis committunt.

Quanti faciant catholicum Athenaeum FF. Maristae urbis Osaca, ea ostendent quae in suis annalibus mensis iulii 1918 ipsi ad alumnos suos academicis gradibus exornatos scribebant, ingressum in nostram Universitatem illis suadentes : « Universitas *Yōchi* omnium Universitatum iaponensium novissima est, meritis tamen nequaquam ultimum obtinet locum ; immo quamquam in ceteris rebus par, habet nihilominus vim nescio quam magnam ad iuvenum indolem informandam, qua nulli Universitati cedit, ne Universitati quidem Imperiali Tokyensi ».

Maximi etiam facienda sunt benevolentia et amor RR.DD. Alexandri Berlioz episcopi in Sendai, qui crebras ad Patres epistolas mittere solet : « Divini Infantis illam benedictionem, inquit, Universitati *Yōchi-Daigaku* imploro, ut in nomine Iesu omne genu flectatur. Utinam magnum munus ad exitum perducere possitis, quod Pius X f. m. commisit Societati, quae tam multum de Ecclesia iam merita est. Libenter iterum significo, me habere perpetuo atque nunc rursus concipere propositum recitandi in gratiarum actionem quotidie ad istius Universitatis mentem, S. Francisci Xaverii immolationem. Vestrae Universitatis fructus etiam in nos redundare sentio. Huius rei manifestum dabit testimonium ecclesiastica institutio illius adolescentis Noda ». Haec Antistes praeclarissimus. Iste adolescens Noda, est quidam Seminarii alumnus, qui vult, antequam Romam se ad theologiae studium conferat, philosophiae lauream in *Yōchi-Daigaku* obtinere.

Nostrorum status.

Ad hunc usque diem nostra communitas plures quam novem Patres numquam numeravit.

Tandem aliquando diu desideratus P. Theodorus Pockstaller ineunte ianuario advenit, qui in urbe S. Francisco in longa variaque studia optimo successu incubuit et academicos gradus est adeptus. Nonnulli Nostri in diversis Assistentiis se comparant, ut in nostra Universitate aliquando docere possint. Summopere interest, ut Patres qui in Iaponiam sunt adventuri aliquem academicum gradum consequantur, sive in publicis Universitatibus, sive in iis quae a Societate reguntur, cum Iapones hos gradus magni faciant. Ceterum, omnis noster labor admodum moderatus est et definitus, quippe qui in docendis iuvenibus idiomata, philosophiam et litteras germanicas versetur.

Cum Patres numero creverint, tunc aliqui operam dare poterunt litteris iaponicis altius penetrandis, quarum quidem difficultas fructui non respondet, sed cognitio necessaria est, ut iis tamquam instrumento utamur, sive in sermonibus, sive in scriptis edendis ad animorum salutem procurandam.

Nondum fere ministeria lingua iaponica obeunda habuimus. Saepe tamen Exercitia Spiritualia traduntur, et in Collegiis paroeciisque diebus dominicis et festis ad externos anglice concionamur. Unus e nobis plus quam vicies Exercitia explanavit. Sunt praeterea qui per vices interim regant Sorores Societatis SS. Cordis, quae magnum moderantur Collegium, donec sacerdos id muneris suscipiat, a nostro Instituto alieni. In scholis igitur praecipue totum laborem Patres ponunt pro quarum felici successu ab omnibus Societatis filiis vehementer preces expetunt.

STATUS MISSIONIS IAPONICAE.

ANNO 1919.

DOMUS TOKYENSIS.

(Kojimachi, Kioi-cho 7, TOKYO, JAPAN.)

P. Hoffmam Hermannus, Sup. Miss. a d. 24 sept. 1910., Doc. hist. phil., litt. germ., ling. germ., ethic. - Prov. Germ.
P. Boucher Henricus, Min., Proc., Praef. ecl. et val., Doc. ling. angl. in schola nostra et ling. gall. in acad. milit. et

schol. ling. extern., Coll. punct. pro litt. ann., Cons. an. 10. — Prov. Franc.

P. Dahlmann Iosephus, Admon., Praef. spir., Doc. ling. germ. in Univ. Imperiali et in schol. nostra, Script. — Prov. Germ.

P. Gettelman Victor, doc. phil. et oeconom. nation., Conf. dom., curam agit typogr., Cons. an. 7. — Prov. Missour.

P. Guasch Antonius, doc. ling. germ. in schol. nostra. — Prov. Arag.

P. Keel Robertus, doc. litt. et ling. germ. et phil. in schol. nostra. — Prov. Missour.

P. Mc Neal Marcus, doc. ling. angl. in Univ. Imperiali et in schol. nostra. — Prov. Mar.-N. E.

P. Tsuchihashi Paulus, doc. ling. sin. et math., Conf. dom., Cons. an. 8. — Prov. Franc.

Nuper advectus:

P. Pockstaller Theodorus. — Prov. Germ.

Universi: 9.

XV.

BRASILIENSIS MISSIONIS PRISTINA OPERA RECENTI AC PERINSIGNI TESTIMONIO A PATRIO HISTORICORUM COETU DONANTUR. (1914).

Cum nondum fuerit chronicis nostris commissum (1) insigne quoddam de Societate in Brasilia testimonium, quod pereruditi viri in consilium vocati palam ediderant die 15 septembris 1914, visum est illud hisce *Memorabilibus* inserendum esse. Cum enim Flumine Ianuario haberentur prima comitia de historia patria, quidam Eugenius Vilhena de Moraes, cui commissa fuerat illustranda ea pars quae studet historiae lit-

(1) *Act. Rom. – Appendix bibliographica, anno centenario restitutae Societatis edita* 1915.

terarum et artium, doctam lucubrationem concinnavit ac sociorum iudicio subiecit de iis quae in eo genere Societas Iesu in Brasilia confecerat. Ostendit quantum litterae brasilienses omne genus deberent Ven. P. Iosepho Anchieta, brasiliensis dramaticae patri appellato, PP. Aspilcueta Navarro, Simoni de Vasconcellos, Ferdinando Cardim aliisque, quantum etiam deberent Societatis Collegiis, quantum denique splendoris contra amisissent, Nostris e Brasilia decimo octavo saeculo expulsis. Quae cum illa doctorum corona non sine magna admiratione audisset, re bene consulta, sui officii esse existimavit haec in concilii tabulas ad perpetuam memoriam referre :

« Primus conventus de historia patria, Flumine Ianuario die septimo septembris 1914 coactus :

« 1. Ratus nomen Societatis Iesu cum historia brasiliensi esse vinculis sempiternis coniunctum, iisque tam arctis, ut nemo illius fastos commemorare possit, quin simul singularia merita recenseat triplici illo ordine contenta humano, politico, sociali, quibus in patriam Sodales Iesu insignes fuerunt amplius duorum saeculorum lapsu, qua silvicolûm tribubus Evangelii lumen afferendo, qua honestatis principia vindicando contra colonorum corruptionem exsecrandamque cupiditatem, qua amorem patriae fovendo adeo ut alienigenûm incursiones fuerint repulsae, qua conferendo efficaci ratione ad conservandam unam integramque nationem, qua diffundendo quaquaversus mentium ingeniorumque cultum, unde nostrae litterae ortum habuerunt splendidum ;

« 2. Ratus, scriptores e Societate Iesu fuisse primos, qui narrationibus chorographicis, biographicis, annalibus domesticis, elementa elaborarunt et constituerunt, quae sunt fundamentum geographiae, historiae atque ethnographiae brasiliensis ;

« 3. Ratus, rerum tam praeclare gestarum commemorationem incidisse eo anno, quo Societas Iesu centesimum anniversarium diem celebrat ab Ordine ad vitam rursus revocato et in integrum restituto a Summo Pontifice Pio VII ;

« Decernit committere tabulis, ubi continentur acta ultimae plenaeque sessionis, adstantium sententiam, approbantem debitam iustitiae significationem, qua *sollemniter et iuridice restituitur suo primo loco* Societas Iesu, cui Brasilia acceptos re-

fert tot intrepidos et efficaces suae maiestatis civilisque cultus auctores.

Flumine Ianuario, 15 septembris 1914.

Subiiciuntur scripta nomina undetriginta.

Haec typis edidit suoque adiecit libello Eugenius Vilhena de Moraes, quem ita inscriptum voluit: *Qual a influencia dos Jesuitas em nossas letras?* (Typ. Revista dos Tribunaes - Rio de Janeiro, Carmo, n. 55, 1914).

XVI.

MISSIONES SINENSES.

(1919).

Patribus e Provincia Franciae paucos ante annos addi coepti sunt nonnulli Sodales Provinciarum Taurinensis, Castellanae et Legionensis, ut Missioni Nankinensi, maiori quam quae a solis Patribus Gallis administrari posset, auxiliarentur. In altera Missione Tcheu-li Meridiano-Orientali Patres e Campania strenue laborant. Ad hos omnes spectat haec narratio.

Christicolûm pietas.

Tres paroeciae habentur in urbe Chang-Hai, Nostrorum curae commissae, quarum pietas et christiani mores quantopere floreant, nil melius ostendit quam frequentia sacramentorum. In templo, e. g., urbanae regionis Ton-ka-dou, ad quam anno 1899 spectabant duo millia quingenti quadraginta quinque christiani, quadraginta uno millibus ducentis quindecim vicibus divina mensa apposita est; amplius autem centies quinquagies millies anno 1919, quo christifideles ad tria millia viginti duos creverant. Ibidem Apostolatus Orationis socios numerat ducentos nonaginta duos supra mille. Item in paroecia Hong-Keu anno 1914-15 communiones fuerant centum tredecim millia centum viginti, anno autem 1918-19 praecedentem summam quatuor millibus et dimidio superarunt; pii autem coetus a S. Vincentio de Paulo anno 1915 francos mille septingentos quadraginta unum pauperibus ero-

garunt, anno autem superiore tria millia sexaginta tres. Ibidem cum sodales Congregationis Bonae Mortis singulis mensibus una conveniunt, solent caelesti dape refici, stipem conferre, qua, modo iubentur fieri sollemniora Sacra pro sociis vita functis, modo scholae *Catechumenatus* iuvantur, modo subsidium praebetur iis mulieribus, quae moribundis opem ferunt illosque baptismo donant.

Collegium Zikaweiense.

Collegium Zikaweiense sub tutela esse SS. Cordis Iesu, cui se singulari ritu dedicaverat, clare hoc facto patuit. Cum enim ubique iuventus studiosa, proclamata operis cessatione, libidine perduellionis pulsaretur, nostri alumni tranquillitate et ordine nullo non die praestarunt. Ipse scholarum finis et discessus alumnorum biduo praevenerunt magnam difficultatem, quam rerum publicarum perturbatio mox sequuta attulisset. Mense septembri fere omnes nostri discipuli redierunt in Collegium, et factis studiorum periculis, reliquum deinceps tempus summa pace traduxerunt, licet ipsis non defuerint ad turbas excitandas incitamenta.

Sectiones.

Exploratum est, nostras in Sinis Missiones multis, quas dicunt, Sectionibus dividi. Non aeque tamen omnes Stationes Patrum laboribus respondent. Una, e. g., quam incolunt quinquagies centena millia hominum, non habet nisi duodetriginta millia Christigenas cum septem Patribus. Ex his quidam, etsi gravi corriperetur morbo, cum nihilominus ad moribundum Sacramenta deferre vellet, ut domum ex itinere rediit, lecto affixus est et quatriduo vitam amisit, florentissima adhuc aetate, sed heroico in alios amore profusam.

Scholae precum.

Scholae precum sunt generatim magno Missionariis solatio. Ibi insontes pueri orare discunt et prima doctrinae vitaeque christianae rudimenta a catechistis edocti, religionis et sacerdotum amorem ita combibunt, ut nihil illis iucundius habeant, quam quae in schola audierint, ea parentibus repetere, et aequalibus suis dicere. Pro adultis res est paulo difficilior, cum

hi in *Catechumenatu* non maneant nisi decem vel quindecim dies, licet pluries in anno ad illum redeant. Hoc precandi studium mores puros intemeratosque servat, ut plane ostendit *Apostolatus Orationis*. Is fervet inter puellas quae in magnis officinis nendo serico filo dant operam. Labor assiduus diu noctuque producitur, saepe nulla est facultas audiendi Sacrum die dominico, cum idololatris vivunt, ita ut nisi copiosiorem gratiam a Deo habeant, vix credas eas posse fidem et integram vitam custodire. Eam conditionem miseratus, quidam Pater illas, quae videbantur magis piae, ope Apostolatus Orationis simul in coetum consociavit, statuitque ut singulis mensibus conventum agerent. Res ex sententia accidit. Novus enim fervor incessit centum puellas, tot enim erant sociae, quas cerneres summo mane ex officinis vix egressae aut ad has properantes templum ingredi, ut Sacro interessent et Angelorum pane sese reficerent.

Piscatorum fides.

A lacrimis se interdum temperare minime potuisse alius e Nostris narrat, cum admiraretur piscatorum ditionis Soutcheou fidei constantiam et religiosam liberalitatem. Hi belle ostentant, suos avos ab antiquis Societatis Patribus verae religionis cognitionem accepisse, et, cum ita pauperes sint ut nullam domum habeant praeter cymbam, curant nihilominus tenuem stipem seponere ad pia opera iuvanda. Cum in quamdam stationem christiani peregrinatum venissent, honorandae Deiparae causa, ab omnibus visus est piscator, qui per mediam multitudinem gerens in ulnis filiolum suum ad sacram mensam accessit ; postquam vero Christi Corpus accepit, arcam templi petiit, ibique depromptum a se nummum et in manus pueruli implicitum iussit ab anima insonte cultui purissimae Virginis destinari. Ab ethnicis honestissimum hoc hominum genus despicatui habetur, sed ipsi fiduciam omnem in Ecclesia et in Patribus collocant. Quodam in loco sunt mille trecentae cymbae et sex millia piscatorum qui omnes diebus festis, denso agmine facto, sacrum poenitentiae tribunal obsident et quasi oppugnant, ut de noxis quisque suis brevi iudicio absolvatur. Nec minor est labor sacrorum praeconum, qui ad ipsos mittuntur. Cum fuerint ab antiquis Patribus sodalitates complures

piscatorum constitutae, hae singulae seorsum, cum fit ad eas concionatorum expeditio statis temporibus, illos auditum veniunt, quandoque simul mille et trecenti. Non tamen adeo facile ad frequentem et quotidianam Synaxim adduci possunt, eo quod sunt institutionis maiorum tenaces, et dictitant antiquos Patres non tam saepe illam frequentiam urgere consuevisse; se vero christianos veteres esse et propterea probe scire, quid ea in re sentiendum sit ; neque enim post decies centena millia annorum quidquam de religione mutatum iri, sed hanc semper extituram esse, quam antiqui Patres praedicaverint. Vere penes ipsos regula fidei : *Quod fuit ab initio*, detrimentum non patitur. Sane, cum Vicarius Apostolicus vellet quondam novum verbum, expuncto vetere in formula vernacula Symboli, inserere, quod melius notionem creationis exprimeret, tempus et oleum perdidit.

Studium propagandae fidei in latrone.

Quidam furti convictus, in carcerem coniectus est. Quinque post annos quibus poenam luit, cum in suum pagum rediisset, obviam venit Patri eique plurimam salutem dicens : « Gratias tibi ago, inquit, quod tua industria vinculis mulctatus sum » (id enim falso putabat). Interroganti, cur gratias ageret, respondit : Quia sic minus frequenter peccavi. — « Sed dic, amice, in carcere certe non orabas ». — « Imo oravi, cum enim nihil faciendum esset, minime impediebar, quominus preces funderem et superiore die festo Deiparae in caelum receptae ego et duo alii christiani sollemnia illa simul peregimus Dei Matrem rite comprecando ». Et prosecutus est narrando, se unius anni spatio ibidem sacro baptismate ad viginti homines aspersisse, quos antea fidei rudimenta docuerat.

Magistratuum in christianos lenitas.

Non omnes fortasse Socii tam pios verberones inter suos populos habent, sed, quod magis interest, christicolis gaudent, qui vitam secundum Dei mandata et civiles leges componentes, religioni nostrae ethnicorum benevolentiam pariunt. Hac laetus concordia magistratus qui praeest Sectioni Sheu-chew omnimodam relinquit scholis nostris libertatem, neque in il-

las sese ullo modo immiscet, summo puerorum emolumento, ad quorum fidem et mores tuenda refert quam maxime, ne gymnasia publica umquam ingrediantur. Cum Mandarinis optima utuntur Patres consuetudine, longe aliena a frigida illa urbanitate, quae olim inter utrosque intererat. Nuper Mandarinus quidam dicebat, se christianos multum amare, eo quod subditos illis meliores invenerit nullos.

Quorundam fidelium tepor.

Quod si quando animi in amandis rebus caelestibus defervescunt et vitiis indulgent, cum tamen sint religionem bene edocti, multimodis produnt eam fidem quam amittere numquam passi sunt. Frequens enim apud eos manet usus aquae lustralis ; si vero accidat, ut puer, familiae deliciolae, aegrotet, cereos bene multos ad aram Deiparae Virginis offerunt ; in praecipuis quoque anni diebus festis templum confertissimi adeunt, et cum mors instat, sacerdotem arcessunt et Iesum omnium Servatorem magna cum spe invocant.

Laboris et martyrii cupido.

Iucundum nobis est memoria repetere ea quae unus e nostris divini verbi concionatoribus e Sinis nuper scribebat : suam Sectionem esse e pauperioribus ac naturae humanae magis insuavibus, adeo ut mens aliquando refugeret, cum esset ad illam peragrandum ; et tamen postquam aliquis suos in ea sudores fudisset, ingratam terram iam amare incipere. Vilissimo ibi cibo incolas vesci, ex arena potius quam ex humo laboriosissime producto, nec domos habitare, sed casas palustri arundine contectas. Quid igitur voluptatis inde capi posset ? An ibi sperandae aedes commodiores aut ad immensa itinera conficienda lecticae ? Imo vero, cum in ea parte, quae ad septemtriones vergeret, regio iaceret multo magis inculta et feris hominibus ac superstitiosis latibulum, ideo animum magno perurgeri desiderio illuc se conferendi ; se quidem iam ferre barbam albam, nihil tamen sibi potius esse, quam ut terribiles inter illos ethnicos extremam vitam degeret, spe fretus profundendi sanguinem pro Christo.

XVII.

BERYTHENSIS UNIVERSITAS RESTITUTA.
(1919)

Cum Berythus, labente anno 1918, a Turcarum iugo liberatus est et nostrum Collegium die undecimo novembri Societati restitutum, statim templum populo et scholae pueris ducentis nonaginta aperta sunt.

Sed Patrum Lugdunensium, ad quos Missio Syriaca pertinet, nihil antiquius habebant, quam ut ibidem Universitatem suam instaurarent. Quod quanta celeritate sint consecuti, nemo non mirabitur. Verum quidem est eos, cum sodales bene multos in superioribus praeliis amississent, coactos esse Alexandrinum Collegium in Aegypto claudere, vix retentis commerciorum scholis. Urgebat enim revocare Patres Berythenses, qui cum e sua sede pellerentur, spe ac proposito ducti constituendae de integro Universitatis cum primum liceret, in proximum illud Collegium secesserant, ubi interea eorum munia obibant, qui ad arma concurrere coacti fuerant. Sed maximum opus minori, licet celebri iuxta ac florenti, praeferendum fuit.

Ita brevi factum est, ut Universitas Berythensis eadem appareret ac antea erat, suis instructa doctoribus et magistris, suis frequentata discipulis. Ad quae omnia in pristinum ordinem redigenda Deus praesentissima ope illum virum integrum viribus, licet devexa aetate, servavit, qui praecipuus fuerat Universitatis conditor. Ineunte februario fieri coeptae sunt ad auditores amplius centum septuaginta praelectiones Facultatis medicinae in Collegio S. Lucae, quod est membrum Universitatis ; sequenti mense eae quae propriae sunt Facultatis iuris et quae praeparant iuvenes ad Facultatem creandis architectis.

Dies decimus quartus aprilis omnium longe faustissimus illuxit, quo die memoranda studiorum instauratio apparatissime celebrata est, ibi iterum efflorescentium, ubi paulo ante, Turcis regionem depopulantibus, omnia squalor et desertum erant. P. Rector Sacrum in Collegii templo litavit cui aderat RR. DD. Fredianus Giannini, Delegatus Apostolicus pro Syria; adstabant praefecti militum et magistratus tum gallici tum

Syrii, urbis proceres, antiqui alumni, plena denique optimorum civium corona. Post evangelium Superior Missionis nobilem multitudinem concinna oratione allocutus est, et, Sacro peracto, Delegatus Apostolicus omnes ad canendum Dei Omnipotenti gratiarum hymnum breviter vehementerque excitavit.

Ad meridiem praecipuis militum praefectis et magistratibus convivium ornatum est, quod dein excepit litteraria academia, in qua laurea medicinae cohonestati sunt triginta duo discipuli, qui antea scientiae periculum fecerant coram medicorum Consilio quod Gallia, ut mos est, Berythum in eum finem miserat. Ipse consilii praeses voluit, sententiis et elegantiis plenus, perorare.

Duae aliae scholae Berythi constitutae sunt ad erudiendos primis sermonis elementis pueros : viginti tres aliae in Libano. In una urbe Zahlè mille quadringentos discipulos iam numeramus.

Dum ita nonnulli Patres ingenia iuvenum colere summa contentione denuo aggrediuntur, restituitur opus aliorum, qui animorum aeternam salutem ministeriis directo magis curarent. Per maiora enim ieiunia Superior Missionis in templo Collegii ad confertissimum populum concionatus est singulis diebus dominicis. Idem Exercitia Spiritualia ducentis fere iuvenibus, olim alumnis nostris, explanavit, a diligentia et assiduitate plane laudabilibus. Extra urbem vero latius opera dudum intercepta exsuscitare conati sunt, quem in finem Residentiae Aleppensis, ad Bikfaia, Damascena, Emesensis, ad Gazhir, ad Tanail, ad Zahlè florere inceperunt Sodalium numero et strenuitate.

XVIII.

LEPROSORUM COLONIAE.

(1917).

A) — MANGALORENSIS (India, Prov. Ven.).

P. Augusti Müller experimenta.

E primis Societatis nostrae sodalibus qui ad littus Mangalorense pridie kalendas ianuarias 1879 appulerunt, novam Missionem inchoaturi, fuit P. Augustus Müller, patria germanus sed ad provinciam Marylandiae-N. E. spectans. Cum is ex Europa in Indiam solveret, a Praeposito Generali haec felici omine

de se audivit: quam scilicet homeopathicae curationis notitiam sibi comparaverat, eadem uteretur ad Indos alliciendos ad veri Dei cognitionem.

Post annos undecim, quo ea remedia ad communes morbos curandos feliciter adhibuerat, ipsi in mentem venit, quidni posset eandem medicinam, quae in maiorem usque existimationem tunc veniebat, iis quoque apte facere qui lepris corriperentur? Haud ita procul ab aedibus Seminarii dioecesani, in ea parte quam nomine non suo Ieppoo appellant, ad duo valetudinaria infirmis id genus recipiendis, a nostris Patribus non multo post eorum adventum extructa, animum applicuit.

Habita Moderatorum venia, P. Müller iis leprosorum tectis praeesse coepit, quibus nonnullos e suis aegrotorum ministris destinavit. In eam certe spem venerat, fore ut insanabilem hactenus morbum depelleret homeopathicis remediis; sed quamquam haec bonos sortita sunt eventus, cum imminuerent dolores, neminem tamen incolumem firme praestititerunt (1).

Kankanady.

Ieppoo locus erat hisce aegrorum perfugiis non admodum accommodatus: ei enim proprius adiacebat hinc coemeterium, inde via publica, ita ut aptior quaedam sedium amplificatio fieri nequiret. Angustiarum igitur cum pertaederet Patrem, decem agri *acres*, quae vocant, Kankanadi emit, loco salubri ab Ieppoo miliarium circiter distanti; ibique, solo antea coaequato, domum curandis lepris aedificavit, quam hodie cernimus. Obstabant quidem non parum fabricationi nonnulli

(1) Illustris Comes Caesar Mattei († 1896), patria bononiensis, primus ad electrohomeopaticas leges hanc medicinam fecerat, eamque leprosis adhibendam reliquit aliorum studio, e quibus fuit P. Augustus Müller, eius amicissimus. Mirum sane fuit anno 1890 cernere, ut ex haustis globulis ita medicatis foeda ulcera conglutinarentur, stupor sensus evanesceret, aeger, tristis ferme ac melancholicus, mox flagraret oculis, exsultaret, solatio afficeretur. Hinc spes magna iam capiebatur restituendae valetudinis, sed mortiferum virus ex ossibus minime erat depulsum. Tunc Pater medicamentis usus est, quae ad fugandas lepras invenit R. D. Soleri, taurinensis, et cum expertus esset ea meliora esse electrohomeopathicis, pereruditis ornavit commentariis, qui inscribuntur *I 26 Specifici*, anglico sermone exaratis. (Cf. *La Missione di Mangalore*, Venezia, Tip. Emiliana, 1899, p. 25 sgg.; *L'Asilo di S. Giuseppe* nella *Missione di Mangalore*, C. XIII, Milano, Tip. Pont. S. Giuseppe, 1897).

brachmanes, quorum erat campus, qui cum audissent aedes ibi ad medendum lepris factum iri, terram vendere amplius noluerunt. Sed Pater quorundam Europaeorum amicitiis difficultatem superavit, et, die almi Ioseph Deiparae Sponsi commemorationi sacro, derelictissimum hominum genus in novum domicilium, non sine quodam apparatu, feliciter intulit anno 1892. Prostant uno in latere domus sex maiora cubicula pro mulieribus, decem autem in altero pro viris, qui solent numerosiores esse ; medium utraque dividit ac separat Sancti Ioseph sacellum.

Census.

Nullae quamquam erant initio tabulae, in quibus, ut moris est, nomina adventantium inscriberentur, e publicis tamen renunciationibus, quas P. Müller actorum instar edendas identidem curabat, liquido patet tunc in nostrum receptaculum admissa fuisse hominum capita ad triginta quotannis. Ex iis vero, qui ibidem hospitio recepti sunt anno 1892, nonnullos Pater sibi superstites reliquit.

A kalendis ianuariis anni 1911 Patres sunt conficiendarum litterarum diligentissimi, unde palam fit ab eo die ad pridie kalendas ianuarias 1913 in illa ingressos esse centum et tres sive viros sive mulieres, quorum viginti novem ex hac vita migrarunt, nonnulli domum rediere suam. Exeunte anno 1917 dinumerabantur quadraginta quinque.

Diversae de lepris opiniones.

Abs re non erit aliquid de ipso morbo attingere. Leprae hac nostra aetate per Indiam latius in dies patent. Id cum magistratum vehementer sollicitaret, in communem deliberationem cecidit, ut lex ferretur de separandis a ceteris civibus iis qui illa contagione laborarent. Significatio igitur mittitur ad omnes, qui colonias eiusmodi in regione Madraspatana moderabantur : vellent Madras, in urbem provinciae caput, convenire, solutis a publico aerario impensis itinerum, ut simul agerent, quo possent consilio ad novam condendam legem magistratui adesse, quaque ratione id facere censerent.

Conventus habitus est ; expectamus in dies, ut promulgentur normae a rerum publicarum ministris statutas, quas iidem pol-

liciti sunt se concinnaturos esse ex sententia quoque moderatorum coloniarum. Male cessit, ut fere omnes privati moderatores ad sectas protestanticas pertinerent, sive americanas sive illius quae audit *Basel German Mission*: e Societate unus erat, ex aliis item catholicis missionibus unus dumtaxat adfuit Pater *Missionum Exterarum* alumnus, qui sedem habet in urbe Indiae australi, cui nomen Kumbakonam.

Quae proposita sunt, multum favent operibus quoque catholicorum. Illud etiam omnes censent, si paulo ante aetatem nostram lex ferenda fuerit, rem subdifficilem futuram fuisse, sed non idem esse nunc, cum multae vel inter ipsos brachmanes praeiudicatae opiniones rectae rationis lumine dilabantur. Sane hi, qui se Brachmae progeniem dicunt, et omnes cum ipsis idolorum cultores olim putabant, lepras esse singulare deorum beneficium; qui iis afficeretur, ipsum domi suae vivere et cum aliis libere uti debere; nefas esse quemquam tanto auctum favore ab humano convictu amovere. Quare nummus quem corrosae manus contrectabant sine timore in medium proferebatur; leprosis potestas erat faciendi quaslibet mercaturas, adeo ut eorum alii essent tabernarii, alii folia tabaci, e paterna humo succrescentis, colerent atque oblongis includerent involucris venderentque ad fumum hauriendum; nec deerant qui lac aliasque id genus res nundinarentur, unde emptori facilis quoque causa foret corrumpendi sanguinem.

Catholici contra cum timeant, ne tabes ad se usque promanet, morbum exhorrescunt summum in modum, adeo ut abhinc annis circiter viginti non solum prohiberent aegrotos, quominus ad ipsorum domum accederent, verum etiam ne in propatulum quidem aedium eos pedem inferre paterentur. Nunc vero licet praeclaro Patris Müller exemplo aversio tam magna in christifidelibus imminuta sit, longe tamen abest, ut omnino cessaverit.

Leprarum genera.

Quae causa sint leprarum, peritorum studia nondum detexerunt. Ipse Pater Müller et medicus, qui nostros inter aegrotos ab annis amplius viginti vitam degit, post assiduam diligentemque illarum notationem atque animadversionem ne

tantum quidem lucis offundere caliginosae origini valuit. Varia et quasi multiformia earumdem genera indiscriminatim grassantur in cives, nobiles ac plebeios, divites et pauperes, in eos qui carne et pisce vescuntur non secus ac in alios qui ab eiusmodi escis abstinent. Saepe familiis ingenerantur, quarum tamen uni stirpi accidit interdum ut omnino sit innoxia, et contra sequens, ab ipsa genita, avito morbo corrumpatur.

Solent triplex leprarum genus distinguere. Primum dicitur *insensile* seu anaestheticum, quod cum corpus quibusdam aspergit maculis, sensiferam tactus facultatem hebetat. Accidit exempli gratia, ut qui eo corripitur, non animadvertat, dum aliquid ad ignem factitat, se manuum vel pedum digitos sibi amburere, nisi postquam vidit totam iam cutem concrematam esse. Intuentium commiserationem tunc movet rudis homo, qui timens ne res signum inexorati morbi habeatur, eam astute curat medicum celare, studioseque persuadet, id sibi ad prunas assidenti malo fato evenisse; incassum tamen haec eloquitur, cum quod verba negant, maculae probent. Ipsum fugit, nisi ab alio de vulnere moneatur, se simul dum aliquid secat sibi digitos concidere. Manifestum proinde est, eiusmodi hominibus nullum dolorem caesione chirurgica afferri.

Alterum est *tuberosum*, sive nodosum. Nodi in cute, in labiis, in naso, in auribus producuntur ; mox vultus intumescit leonini rostri instar, dein nodi dehiscunt, demum tota facies et corpus ulceribus foedantur.

Tertium audit *mutilans*, cum nempe digitorum articuli putrescunt ac decidunt, relicto dumtaxat pedum vel manuum trunco.

Saepenumero haec tria leprarum genera simul in uno homine inveniuntur ; quandoque vero nullum earundem vestigium cernitur praeter detruncatos digitos.

Ad effectus morbi quod attinet, hic mortem haud raro maturat, praesertim si sanies generatione traditur. Cum tabes nervum oculi facile deperdat, frequenter amittitur acies ; cumque ulcerum pus sanguis exsorbeat, febricitatur ; attamen miserorum infirmitas in summa virium imbecillitate, qua omnino debilitantur, praecipue consistit, quandoquidem dolores anaesthesia extenuantur. Proxima causa mortis creberrime est pulmonum inflammatio vel mitis cholera, quibuscum non

secus ac cum ceteris leprosorum morbis ars medicinae tractari non potest ob nervos degeneratos.

Verum, longe maior quam corporis est animi aegritudo. Nam tanto in moerore luctuque versantur infelices homines, cum vivi videntesque se sentiant de gradu humanae dignitatis veluti deiectos, nec solum a civili consuetudine separatos, sed etiam a propinquis derelictos, ut nemo par sit eorum tristitiam describere. Iam in morem inductum est, ut quando lues vel unum e familia affecerit, id impedimento sit omnibus ad illam pertinentibus, quominus coniugium sibi umquam sperare liceat. Ea conditio causa est, cur morbus cunctis perstudiose celetur, aut nex interdum quaeratur. Hisce postremis annis duo hac nostra in colonia ea de causa mortem sibi conscivere.

Delectus ac vigilia.

Nullum classis, quam Indi castam appellant, aut religionis discrimen procul arcet a nostro nosocomio lepris affectos. Permixte enim veniunt supremi et infimi ordinis catholici et protestantes, mahometistae et idololatrae, quippe qui facile sibi persuadeant ac sponte fateantur, leprosis nullum iam esse gentilicium nomen, sed satis coniuncte simul vivere debere, moderatori domus morem gerentes.

Pater Müller infirmorum praefectum elegerat virum quemdam, cui nomen Mascharenha, qui officio functus est ad mortem usque, annos scilicet amplius viginti. Is comitabatur medicum, cum quotidie aegros invisebat, praescripta medicamenta persignabat, quae deinde, cautus ne quem tangeret, ministrabat. Eius etiam erat praeesse domestico ordini, munditiei, disciplinae; in sacello autem curare, ut preces ab omnibus statis temporibus funderentur et doctrinae christianae explanatio a sacerdote, qui nosocomii sacra procurabat, fieret. Exeunte anno 1917 Patres duo et unus Frater rei domesticae adiutor, penes quos totum coloniae regimen est, cum leprosis versabantur.

Animarum cura.

Proprium infirmorum sacellum extat, ubi hi quotidie Sacrum audiunt, perpetuum hospitem Christum habent, integrum quindecim decadum mariale rosarium pro donatoribus recitant. Qui est a rebus ipsorum divinis, compluribus uti debet sermo-

nibus, tulù, konkanico, canarensi, quorum facultate praeditus eos, dum quotidie convenit, pro sua cuiusque lingua erudit. Singulis diebus festis post concionem sollemnis habetur ad SS. Eucharistiam comprecatio, qua finita, sacerdos prae manibus tenens divinam Hostiam illis benedicit. Fere omnes qui catholici non sunt efflagitant, ut lustrali baptismi aqua expientur; nonnulli autem mortem piissime obeunt. Infirmi sacramentis poenitentiae, Eucharistiae, extremae unctionis, rite, quamvis prudenter ut vitetur contagio, instruuntur; non item confirmatione, cum medici sententiam tulerint, periculum esse ne Episcopus, si digito sacrum chrisma fronti illiniat, lepris afficiatur.

Artificia et quaestus.

Artem nullam, qua occupentur, leprosi serio suscipiunt, sed omne tempus terunt modo cavaedium repurgando, modo suas quisque reculas perpoliendo, modo tepidarium, ubi se lavent, praeparando. Cum tamen alius alium conetur adiuvare, cernere est eos aliquando tonstrinum exercere, sarcire calceos, vestes consuere.

Res familiares.

Municipium trecentas *rupias* quotannis nosocomio suppeditat, quingentas vero Consilium huius, quem vocant, Districtus; duas etiam viritim, h. e. circiter mille et octoginta, supremus Indiae magistratus, quae solvi coeptae sunt kalendis aprilibus anni 1913.

B). — TROMBYCENSIS (India, Prov. Germ.).

Amor RR. DD. Leonis Maurin e nostra Societate, Archiepiscopi Bombayensis, necnon Patrum e Provincia Germaniae erga Indos lepris vexatos, non tantum in ea parte eluxit, quae nunc dioecesi Poonensi adscribitur, ubi Belgaënsia valetudinaria condiderunt, verum etiam in ipsis Bombayensibus insulis claruit. Ex his parva quaedam inter urbem et continentem interiacet, cui accolae nomen Tromby dederunt. Hic RR. Praesul, cum ei locus videretur aptissimus, in quam leprosi sui curandi causa concederent, eo quod esset a civitate separa-

tus et propter angustiam freti nautae cum necessariis victui et medicatui quovis horae momento ab insula in urbem et vicissim possent transmittere, domum pro ipsis anno circiter 1880 extruxit. Licet parva, haec tamen ceteris exemplo fuit. Maiorem enim sua impensa cives aedificarunt prope urbem in oppido Matunga. Nostra anno 1901 homines numerabat viginti et unum ; anno autem 1916 sexdecim tantum : etiamnum paucos hospitio recipit, sed manet nobis prae facinore memoranda. Hic enim P. Theodorus Peters, Archiepiscopi Vicarius Generalis, anno 1909 lepris affectus est, et adhuc, cum sit annos natus septuaginta duos, in nosocomio detinetur. Attamen sic quoque suae vocationis immemor non est ac generoso animo infirmas vires roborans, in magna colonia Comendinensi (Comendin, Rangoon, Sud-Birma) in Birmania meridionali, ubi alii quoque religiosi viri ac moniales eodem morbo cruciantur, sacra infirmis procurat ac fidei et religionis solatia impertit.

C). — PELANTOENGANENSIS. (Java, Prov. Neerl.).

Penuria sacerdotum in Missione causa fuit, cur non tantum ipsum apostolicum munus perpetuis fere difficultatibus impediretur, sed etiam, magis quam par esset, cura infirmorum et cetera caritatis opera invite negligerentur. Qua de causa Patres, ut has partes aliquo supplemento explerent, in invisendis nosocomiis publicis semper sedulos se exhibuerunt. Fuerunt ex iis, qui cum in bellicis expeditionibus, tum in castris militum et hospitiis publicis tam insigne caritatis christianae exemplum praeberent, ut, missis ceteris benevolentiae signis, medici et reliqui homines, cives ac milites, sive catholici sive increduli, et praesertim ipsi aegrotantes in dies vehementius flagitent catholica valetudinaria habere. Inter eos eminuerunt Patres Residentiae Semarangensis, qui statutis temporibus iter arduum ad publicam leprosorum domum in Pelantoengan facere solent. Quidam maxime Pater, qui per undecim annos ibi infirmos inviserat, tum largiendis donis munusculisque tum praesertim praebendis religionis nostrae solatiis et feliciter intercedendo pro iis apud civilem magistratum, miserorum hominum, Batavorum, Sinensium, Indorum, Javanensium ani-

mos sibi captavit. Is commotus tot tantisque aerumnis perpetuo volvebat animo consilia, quibus inopiae spiritus et corporis leprosorum efficaci ratione posset succurrere, scilicet catholicam coloniam ducendo. Cum enim rerum publicarum rectores, qui antea nimium inhaerentes illi nonnullorum doctorum opinioni, lepram non esse morbum contagiosum, vix operam dedissent ad hoc perniciosum malum avertendum, postea sententiam mutarent et hanc suae sollicitudinis partem privatis consociationibus, proposito aerarii subsidio, committere vellent, Pater intellexit, se haud difficulter impetraturum, ut publicum leprosorum nosocomium catholicis tribueretur. Id ipsi eo magis cordi erat, quod audiebat consociationem vulgo dictam *Leger des Heils* eadem moliri; sed monialium defectus, quae leprosos curarent, et maxime exiguus numerus catholicorum in hospitio et pago Pelantoengan, obstarunt, quominus a catholicis constitueretur.

Ita *Leger des Heils* coloniam moderandam suscepit, pro qua sectae protestantes magnas faciunt impensas pecuniarum. Neque eo contentae, plurimos curant et alunt in illis valetudinariis, quorum multa in hisce Malesiae insulis inveniuntur, et insuper in ditione Djepara inceperunt novem aedificia exstruere, quae mille lectulos continere poterunt.

Haec pauca demonstrant, quid nostra Missio Bataviensis desideret, nimirum coloniam leprosorum catholicam deducere in insulam Javam, ubi, ut medici dicunt adhuc fere quinque millia hominum ea laborant contagione.

D). — MARANAENSIS. (Madagascar, Prov. Camp.) (1).

P. Ioannis Beyzym vocatio ad leprosos iuvandos.

Licet labores Patris Beyzym (1850-1912) in insula Madagascar non solum tota Polonia, sed in aliis quoque Europae regionibus noti sint, quaedam de nosocomio ab eodem Ma-

(1) Res Maranaenses, quae ad annum 1917 pertinent, paucae quidem sunt; sed visum est totam huius nosocomii et P. Ioannis Beyzym, eius conditoris, praecedentem historiam hic paucis texere. Eo tempore tamen Missio Betsileensis, in qua sita est Marana, ad Patres Tolosanos spectabat; nunc vero, post separatam hanc Missionem a finitima Tananarivensi, pertinet ad Campanos Patres.

ranae prope Fianarantsoam, quae est urbs princeps Betsileensis regionis in eadem insula condito tradimus.

Etiamsi colonia ad Provinciam Tolosanam, in cuius finibus sita est, pertinet, a Patre Ioanne Beyzym, Provinciae Poloniae, initium habuit, crevitque eleemosynis, quas ille fere unice ex Polonia, Lithuania ac Ruthenia acceperat.

Tum commoratio in Galicia Patris Weihinger, e Parisiensi Congregatione Missionum Exterarum sodalis, qui colligebat pecunias pro condendo nosocomio ad lepras curandas Mandalay in Birma, tum lectio eorum quae scribebantur in ephemeride « Le Missioni cattoliche » de nostra colonia Mangalorensi ac de Patre Damiano de Veuster qui, Molokai, in una ex insulis Sandwich, pro leprosis vitam posuit, primam cogitationem sui infirmis eiusmodi devovendi Patri Beyzym suggessere.

Huic facultatem suscipiendi curam leprosorum petenti annuit R. P. Generalis, iussitque eum proficisci Mangalorem in Indiam, ubi Patres Provinciae Venetae parvum nosocomium pro id genus aegrotis habebant.

Proficiscendi iam aderat tempus, cum a Superiore Missionis Mangalorensis responsum advenit, tutelam illius coloniae ab uno e Sodalis fuisse iam susceptam et ideo adventum Patris Beyzym superfluum videri.

Is tamen, reputans se ad id ministerii a Deo vocatum, novam sibi procuravit stationem in insula Madagascar, ubi Patres Provinciae Tolosanae simile valetudinarium habebant Ambahivorari, qui locus a Tananariva, provinciae Imerinae totiusque simul insulae urbe praecipua, distat iter pedestre duarum horarum.

Dum res per litteras cum Superioribus agitur, habitabat P. Beyzym in Collegio Cracoviensi, sese et ea quae ad initia maxime necessaria videbantur praeparans.

Ambahivorarum versus.

Profectus Cracovia die 17 octobris 1898, pervenit Tolosam die 21 eiusdem mensis ; die 10 novembris Massiliae navim *Oxus* conscendit ; a die 21 novembris ad postridie kalendas decembres detentus est in navi, scopulis coralliorum infixa ; mutato ad Maningam navigio, Malvatananen tetendit et littus cum appulisset, trecenta quadraginta quatuor chilometra pedes con-

fecit, donec die 30 decembris Tananarivam attigit. Postquam ibi dimidium mensis commoratus est, ut valetudinem febri tentatam recuperaret, utque aliquam notitiam linguae Malgasorum sibi compararet, postridie kalendas februarias, qui dies est Purificationi B. Mariae Virginis sacer, prima vice divinam hostiam litavit in optatissimo nosocomio, ubi die 12 eiusdem mensis stabilem sedem fixit.

Ambahivorarense nosocomium.

En quibus verbis locum Pater describit : « Totum nosocomium constat quatuor magnis tabernis, parva aedicula et mea domo. Aedicula est in medio, huic adiacent domus et binae ex utraque parte tabernae. Infirmos habeo centum quinquaginta. » Hîc pauperiem tantam invenit, ut, sacra aedes pavimentum et scamna nulla haberet, et cum tectum gypso commissum non esset, pluvia per intercapedines tegularum super altare caderet. Leprosis distribuebantur sumptu Missionis fere quatuor cyathi oryzae in singulas hebdomadas. Reipublicae curatores assignarunt partem agri illis colendam : qui vero poterant, campum exercebant ; ceteri, ne fame perirent, mendicabant ; hoc tamen paulo post a regimine gallico vetitum est, ne leprae in insula propagarentur.

Cum esset adeo magna miserorum egestas, P. Beyzym partem sui victus, licet vel uni insufficientis, illis suppeditabat. Sane, quid sibi quotidie apponeretur, ipse ita narrat : « Aliquantulum oryzae vel aliquot ova, frustum panis aut poculum theae cum tanto pane, quantum Parasceves die pro ientaculo, non violato ieiunio, possit consumi et iusculum ex quibusdam huius orae herbis expressum sunt nostra consueta mensa, quamquam haec non omnia simul dantur pransuris vel coenaturis ».

Ad curam spiritus quod attinet, semel in mense unus ex Patribus veniebat Tananariva Ambahivorarum, ut Sacrum litaret et confessiones catholicorum exciperet. Plura a Missione, sacerdotum penuria laborante, praestari non poterant. Ceterum leprosi permixti habitabant, christiani cum ethnicis, parvuli cum maioribus natu, in eodem cubiculo, omnes fere nudi vel omni amictu carentes, ita ut morum serperet corruptela, qualem in Europa ne concipi quidem facile est.

Coloniae honestius instaurandae consilium.

Cum res ita se haberent, profectus est P. Beyzym Tananarivam, Superiori consilium honestiores domos aedificandi manifestaturus, cuius necessitatem urgebat, ne cura aegrotorum inanis et infructuosa fieret. Cum Superior animadverteret, Missionem paupertate ita premi, ut non liceret plura impendere, quam quae ab anno 1875, quo colonia collocata fuerat, ad eum usque diem solvisset, P. Beyzym paratum se exhibuit eleemosynas Missioni sublevandae quaerere ; cui Superior respondit : si pecuniam sumptibus necessariam collegisset, aedificia extrui posse.

Vocata ad calculos impensa, patuit ad triginta millia francorum requiri. Ut Pater Beyzym facultatem obtinuit, coepit multas in partes litteras mittere, quibus liberalissimum quemque rogabat, ut pio operi subvenire vellet.

Omnes Poloniae provinciae de capto consilio certiores factae stipem tam copiosam corrogarunt, ut exeunte anno 1900, amplius viginti quinque milia francorum collegerint.

Labores et aerumnae.

Dum haec in Europa geruntur, res adversae sine intermissione in insula Madecassensi Patrem Beyzym opprimunt. Missas facimus febres, quas certo hebdomadarum intervallo redeuntes Pater multo pulvere corticis peruviani e corpore pellebat. Maiorem enim calamitatem attulerunt immoderatae tempestates, quae die 4 martii 1900 et paucis post mensibus non solum exiguam pauperum leprosorum rem frumentariam magna ex parte pessumdederunt, sed etiam eorum domunculas inundarunt et aediculam ita everterunt, ut non nisi rudera remanserint. Novum itaque negotium Patri quam citissime expediendum fuit, nimirum Malgasos morti eripere, quam fames intendebat, miseras eorum casas reparare, sacellum quod aediculae vices interim ageret, exstruere.

Sed haec iam perfecta erant, cum P. Aloisius Bardon, totius Madecassensis Missionis Superior, Patri Beyzym retulit, ipsum male certiorem factum fuisse ac si ad stabile nosocomium excitandum sufficerent ea triginta millia francorum, quae interea Pater collegerat ; requiri verius centum quinquaginta millia.

Quanto fuerit dolore perculsus Pater hoc nuntio, nemo non sentiat. Quamquam secundum hominum opinionem sperare ipse non posset, fore ut tanta summa se adhuc vita fruente haberetur, animum tamen non despondit, sed Dei Matris patrocinio plenissime fidit.

Vix recentis frustrationis dolor transierat, cum coloniae agri infestantur locustis, quae fructus terrae corrumpebant. Magna cum difficultate valuit invictus Pater, more africano ac iuvantibus leprosis, illa insecta disperdere ; cum ecce nova irruit vexatio, nempe pulices africani, qui tum in ulceratis tum in sanis humani corporis partibus viventes celeriter multiplicantur, nec dolorem tantummodo inferunt, sed etiam mortem. Pater dum aliis summa caritate medetur, ipse pulicibus oppletur quorum nidos ex carne sua scalpello recidere est coactus.

Loci ad ducendam coloniam inquisitio.

Urgente Patre Beyzym, coeperunt Patres Tananarivenses fundum quaerere, qui ad novam sedem esset aptus ; sed frustra, quia omnes qui offerebantur, sive ob aquae penuriam sive ob nimium saxosam terram repudiandi erant. Denique statutum est, ut nosocomium in Provincia Betsileensi prope urbem Fianarantsoam, in agris ad Missionem pertinentibus conderetur. Sed cum locus Patri lustrandus erat, is in gravem morbum incidit. Casu enim morsus a quodam insecto, gravi febri correptus est, ita ut per aliquot hebdomadas in lecto iacuerit. Recuperata valetudine, in Betsileum iam iam profecturus erat, cum RR. DD. Ioannes Baptista Cazet, Vicarius Apostolicus, illi itioni se opposuit dicens, aedificia debere exstrui non ibi, sed in provincia Imerina. Deo enim favente, accidit, ut ibi optimus fundus inveniretur et quidem nullo pretio, sed dono accipiendus a loci administratore, qui pollicitus erat, daturum se quingenta hectaria agrorum publicorum prope Arivonimamum.

Hic erat rerum status vertente anno 1901. Laetitia tamen non diu stetit. Die enim 24 septembris 1902 RR. DD. Cazet Patrem Beyzym Tananarivam convenit dixitque, facultatem ducendae coloniae ad eam urbem a magistratu denegatam esse, cum iam haberetur nosocomium publicum, in quo septingenti leprosi degerent ; consilio itaque habito, videri redeundum esse in

provinciam Betsileensem, ut prope urbem Fianarantsoam colonia constitueretur. Quare die 30 octobris Pater Beyzym reliquit provinciam Imerinam et profectus est Fianarantsoam itinere octo dierum. Cogitabat ipse affectos lepris, qui antea Ambahivorari et, nunc in publico valetudinario degebant, in novas domos transferre, quantum per eorum vires licuisset.

« *Marana.* »

In litteris die 12 decembris 1902 datis ita describit Pater novam stationem : « Itinere trium horae quadrantium distat a Fianarantsoa locus quem nostra Missio dudum destinavit leprosis; vocatur Marana. Omnia, quibus mihi opus erat, scilicet aquam, terram satis bonam et culturae patientem, ligna et id genus alia hic inveni. Gratias ergo B. Mariae Virgini pro eius beneficiis atque auxilio egi, et cum primum pluviarum tempus finem habuerit, aedificare incipiam. Domus quam inveni valde parva est, cum aegrotos paulo supra quinquaginta capere dumtaxat possit; tabernae iis similes quae Ambahivorari erant, idem aegrotorum squalor.

« Situs tamen mihi apprime commodus, quippe omnino secretus, cum desit via qua iter-agentes huc adventent. Crescit hic parvula silva seu potius ager eucalyptis aliisque arboribus consitus ; pax et silentium ubique tanta, ut laetarentur Camaldulenses, si talem possiderent secessum ; in illud nunc omnem operam impendo, ut tectum aedificem, quo recipiam maximum quem potero leprosorum numerum »,

Die 25 ianuarii 1903 referebat « Opera coepta sunt, solum iam aequatur, circumciduntur lapides, materia subvehitur.... ut fit, cum fabricatur. Surgent aedes pro ducentis leprosis. Curabo ut aedicula quam pulcherrime exornetur, ubi nostra Claromontana suavissima Mater (cuius effigiem Pater secum in Missionem tulerat) non tantum apud nos, sed etiam sub africano caelo digne colatur ».

Cernere pulcrum erat, Patrem hanc aediculam exornare ; sua manu ligna non impolite scalpere, satis affabre, ita ut nonnullae eius sculpturae, in quibus effingendis eum niger Malgasus adiuverat, ad specimen aliquod Madecassensis artis praebendum Lutetiam Parisiorum transvectae fuerint et inter opera et artificia spectatu non indigna propalam collocatae.

Tandem autumno anni 1905 omnia necessaria domicilia atque aedicula ad culmen perducta erant.

Spes divini auxilii.

Pauca addenda sunt de acceptis subsidiis. Spes auxilii divini Patrem Beyzym non fefellit. Sane, die 9 iunii 1902 scribebat RR. DD. Ioannes B. Cazet, se hactenus pro colonia et alimentis aegrotorum undenonaginta millia et quingentos francos accepisse. Mense autem aprili 1905 iterum missa sunt e Polonia ad procuratorem Missionis viginti millia francorum, dum alia quindecim millia coronarum asservabantur pro interiore aedificiorum structura perficienda eo peculiari modo, quem Pater Beyzym designabat. Igitur praeter stipem directo ad hunc missam, a die 9 iunii 1902 ad exeuntem decembrem 1905 habita sunt, pecunia numerata centum novem millia et quingenti franci atque quindecim millia coronarum. Addita est copia rerum tum ad cultum divinum tum ad curandos infirmos spectantium.

Aedes novae.

Prima nosocomii forma cum terrae ac soli conditionibus non conveniret, necesse fuit mutaretur, ut iugosae regioni, quae est Marana, aptaretur. Opus fuit colles aliquot solo aequare, priusquam fundamenta iacerentur. Hic vero mirum quantum adlaboravit Pater Beyzym; ut enim consilium aedificandi ipse suggessit, ita collectio quoque sumptuum, descriptio novarum aedium, rectio structurae, saepissime etiam aedificandi labor (ipse namque batillum pabonemque, si vacabat, tractabat) eundem perpetuo sollicitum habuerunt.

Speciem totius coloniae hoc modo breviter adumbraveris. Duo extant quadrata aedificia non contignata, ante quorum fores protenditur ampla planities; eorum alterum sinistrorsum viris, alterum dextrorsum feminis destinantur. Alia in parte est aedicula, cui ex utroque latere adiacente contignatae domus duae, quarum prior habitationi Patris moderatoris coloniae, posterior, ad dexteram, monialibus reservantur; a tergo sunt fullonica. Penes tabulatam Patris domum habetur non contignata domuncula, officina pharmacopolae et ligandis vulneribus assignata; quae vero tabulata huic assurgit, ianitori et custodi

inservit; infra hanc alia est ad aedituum spectans. Aediculam inter et haec domicilia conspicitur parva casa, ubi infirmorum ministros opperiuntur ii, quorum ulcera sunt alliganda.

Media inter has praecipuas totius coloniae partes lata via sternitur, qua in templum itur.

Curatum est praeterea, ut hortus olitorius haberetur, ne aegroti, ut victum quaererent, extra limites vagarentur. Ad hunc finem ager ex Missione emptus est, isque sepe circumdatus duo metra lata ex rosis, quae truncis arborum subiectae eos venustissime pererrant.

Leprosorum pater.

Similiter atque Ambahivorari, Maranae quoque P. Beyzym totum suis *nigris pullis*, quos vocabat, se devovit. Cum duae in eius dextera manu maculae aliquot annis apparuissent, interrogatus utrum lepras haberet, respondit, medicum a se consultum declarasse: dici quidem non posse eum iam esse infectum, sed neque affirmari non esse.

Conditio Maranensium nosocomiorum annis 1916-17.

Opus Patris Beyzym, vita functi anno 1912, a Patribus Provinciae Tolosanae primum, quibus commissa tunc erat excolenda regio quoque Betsileensis, nunc vero a Provincia Campaniae feliciter continuatum est.

Exeunte porro anno 1916 erant ad sexaginta quinque ii, qui lepris tentati Maranae curabantur; ex eorum numero duodecim nondum abluti erant sacro baptismi fonte, sed ad fidei sacramentum suscipiendum sese parabant. Litterae etiam referunt, ex iis neminem e vita decedere, quin animum diligentissime christiano more expiaverit.

Anno autem sequenti 1917 habebantur octoginta septem aegroti, quibus operam navabat, ad spiritum quod attinet, unus e Nostris sacerdotibus; ad corpus vero, tamquam ministrae, tres moniales.

Aliae in insula stationes.

Praetereundum non videtur, Patres Campanos non solum Maranae curam gerere leprosorum; verum etiam hos constan-

ter invisere et religionis auxiliis instruere aliis quoque in locis, i. e. Imady et Hena. Modestia tamen sodalium nimis severo silentio voluit res ab illis gestas contegere.

E). — CULIONENSIS. (Insulae Philippinae, Prov. Arag.)

Census et habitatio.

Onus quidem grave et ingens labor sunt Patribus amplius quatuor millia et trecenti leprosi degentes tota insula Culión ex omni sexu, aetate et conditione ; pars longe maxima ac triplex eoque amplius mares, reliqua feminae.

Ex his haud quidem pauci, hinc inde per brevem insulam sparsi atque in agris colendis (quantum per vires licet) occupati, vitam agunt aegerrimam et incuriam, atque lepra et sanie in dies tabescunt sine ullo corporis et animi levamine, nisi quod subinde coloniam petunt alimenta sumptibus Gubernii suppeditanda quaesituri, aut iam iam morituri ut sacramenta, cum per tempus fas est, recipiant : nobis enim ad eos excurrere minime vacat.

Ceteri omnes coloniam ipsam incolunt in antiquo oppido et portu Culionensi sitam. Alii, ferme ad trecentos, insanabiliores nimirum, aut morbo extenuati et confecti, aut sensu et membro aliquo capti, tabe et vermibus obterebrati et corrosi, sanie manantes, habitant in quinque nosocomiis omni ministrorum et potissimum monialium cura et medicina levati ; attamen perincommodi valde et confertissimi, atque in eodem lecto nonnumquam iacentes, ob loci spatium non satis amplum ad tantam languentium multitudinem capiendam. Alii domos habitant aut sumptibus Gubernii ex coemento extructas, easque perpaucas, aut ut plurimum proprias ex tabulis, cannis vel foliis textilibus intextas, easque vix non omnes insalubres et foetidas, quippe quae, ob habitantium indigentiam et monticuli angustiam, sint pauperrimae, angustissimae, conglobatae et aegrotis confertissimae. Hi omnes a Nostris excountur haud paucis ministeriis.

Ministeria.

Quotidie, hora quinta matutina, confessiones in templo audiuntur ; sexta celebratur Missa et distribuuntur ad minus

centum Communiones, sat plures feria sexta et Sabbato; septima ad sonitum campanae et tintinnabuli, comitantibus puerulis, publice et candelis accensis, Sanctum Viaticum defertur primum ad nosocomia, ubi sexaginta ad minus aegroti communicant, deinde ad reliquos aegrotos graves per coloniam sparsos, si qui sunt Viatico reficiendi. Hora octava cum dimidio, meditatione diurna iam absoluta baptismoque infantibus forte oblatis collato et ientaculo ibidem in sacristia (neque enim alius datur salubris locus) suscepto, obeunda iam nobis sunt valetudinaria.

Nosocomiorum lustratio.

Atque in primis cadavera, si quae sunt in cella, (adsunt autem fere quotidie atque saepe saepius tria, quatuorve), precibus exequialibus rite honorantur et funerantur. Deinde nosocomia singula ac singuli quoque aegroti cubantes perlustrantur, ac modo baptismo; confessione et absolutione, modo Extrema Unctione donantur, nunc congrua institutione ignari, nunc solatio moesti, animo debiles, spe desperati eriguntur ac recreantur, indulgentia plenaria et ultima commendatione moribundi ditantur. Postea, uti fert occasio, aut matrimoniorum notantur denunciationes suo tempore in templo habendae, aut petitiones et consultationes audiuntur, aut alicuius mores perditi emendantur, aut pios pueruli concentus publice edocentur. Qui quidem labores diurni totum nonnunquam mane, vel saltem ad horam usque decimam cum dimidio penitus explent.

Vespere hora tertia cum dimidio iterum nobis percurrenda colonia, iterumque, post expletam hora quarta publicam rosarii marialis in templo recitationem, confessiones audiendae, conferendus baptismus, atque infirmorum tecta omnia perinde ac mane ad horam minimum sextam, multoties septimam et amplius perlustranda.

Tandem reliquos per coloniam leprosos, ubi necessitas urget vel prudentia suadet, mane et vespere, diu noctuque, vel in aestuoso sole vel in aquoso imbre, aut vocati aut sponte nostra, libentes ipsi ac festini adimus.

Haec fere sunt sacra munera, quae diebus omnibus, nullo prorsus excepto, a nobis exercentur ad miserrimos hosce homines iuvandos in Domino, saluteque aeterna donandos. Quae au-

lem his superadduntur, peculiaribus aliquibus diebus et temporibus, iam paucis habeas.

Praecipua sollemnia.

Quolibet sabbati die, dum litatur, canitur ab omnibus *Gratulatio sabbatina*, et post Missam *Salve, Regina* ad Beatissimam Virginem peculiari quodam obsequio eo die prosequendam. Dominicis diebus ac festis, sacerdote item ad aram operante, canitur a sodalibus *Officium parvum Beatae Virginis* et copiose inter pios concentus sacra hostia distribuitur. Huic altera additur Missa, saepe sollemnis, ac semper piis item canticis et frequenti populi Sygnaxi decorata, necnon homilia sacra vel concione completa.

Vespere autem hora tertia fit parvulorum catechesis, quarta vero rosarii recitatio, cui cantus interponitur eamque excipit SS. Sacramenti in ara propositio, quo tandem sacerdos cunctis benedicit.

Prima quoque feria sexta cuiuslibet mensis mane canitur, dum fit Sacrum *Rosariolum Sacratissimi Cordis Iesu*, trecentae ad minus habentur Communiones, et ducentae et quadraginta plus minus in omnibus nosocomiis: vespere *Trisagium Sanctissimae Trinitatis* canitur, quod valde hisce in insulis est usitatum; dein SS. Eucharistia adstantibus benedicitur et novorum sociorum in Apostolatum Orationis fit admissio.

Singulis quoque mensibus, ac statis per orbem diebus, singulae Congregationes numero quinque, omnes simul divina dape aluntur, atque una vel pluribus adhortationibus foventur.

Semel in anno per quadragesimae tempus Exercitia Spiritualia traduntur viris ac feminis lingua bisaya, semel item hispanica. Bis saltem in anno sollemnis adornatur puerorum puellarumque prima Synaxis, qui per duos vel tres continuos menses quotidiana mane in templo catechesi praeparantur a viris et feminis piis, a nobis selectis et aliqua mercede donatis. Septies supplicantium agmen instituitur publice, quod multis stipatum viris ac feminis, saucio aut vittato pede aegre deambulantibus, totam tamen, preces tum pie recitando tum concinne canendo, coloniam circumagit, odoratasque Deo, Angelis et hominibus hostias devovet ac dicat. Tandem menses maii, iunii et octobris, novendialia et festa Sancti Iosephi, principis coloniae patroni,

necnon Immaculatae Virginis Conceptionis, Sanctissimi Corporis Christi et Sacratissimi Iesu Cordis, frequenti admodum Communione, instituta coloniae pompa, ac pia animorum veneratione celebrantur. Haec in templo. In nosocomiis autem ferme quotidie catechismus traditur aut infidelibus baptizandis, aut christianis non rite instructis, et quotidie rosarium alta voce recitatur.

Laeta.

Age porro, horum sacrorum munerum quis iam fructus? Bene opimus, atque in dies laetior. Mitto nunc de Congregationum florenti statu dicere, quia longior aequo iam evasit narratio, atque exempli instar haec pauca subiicere placet.

Mense iunio superioris anni cunctis auctores fuerunt Patres, ut SS. Iesu Cor illorum in domibus ac familiis honorifice cultum, ac throno regio collocatum et decoratum vellent. Et quamvis paucae admodum familiae integrae hic reperiri possint, ac porro hactenus reperiantur, illico tamen viginti et amplius veluti familiae, ex variis amicis, muncipibus aut tribulibus coalescentes, Divinum Iesu Cor, in pauperrima licet et angusta domo, regio loco, lacrimis simul oculorum ac manuum et vulnerum sanguine irrigato, pientissimi collocarunt. Mense item iunio huius anni omnes iterum adhortati sunt Patres ad Eucharistiam quam frequentissime accipiendam, coetusque frequenter communicantium constituendos. Nondum Sacratissimi Cordis festus dies advenerat, et ecce iam triginta sex ordines, singuli quindecim sociis constantes, praesto aderant, duodecim qui quotidianam, decem qui hebdomadariam, quatuordecim qui menstruam saltem Synaxim, licet perdifficili saepe ob laceros pedes in templum accessu, fideliter peragendam promitterent. Idem dicito de scapulari carmelitano, quod semel atque iterum in adhortationibus publicis commendatum quadringenti viri ac feminae plus minus, post susceptum mane SS. Corpus Christi, ipso Beatae Virginis Carmeli die festo vespere pie acceperunt.

Hinc factum est ut, cum quingenti circiter sint qui templum adire soleant, nihilominus Communiones superiore anno ad quinquaginta septem millia et septingentas octoginta quatuor pervenerint; hoc autem anno nondum absoluto, iam nunc ad quinquaginta novem millia centum triginta duas excreverint.

Tristia.

Et haec quidem laeta. Sunt enim et alia multa perquam tristia. Nam hinc ignorantia rerum christianarum ac socordia, inde vero corruptissimi mores, lepra horribiliores, animos inficiunt longe plurimos, totamque fere coloniam infestant atque deturpant.

Aliquid solatii et animi affert, quod fere omnes, vel perditissimi quique, tandem aliquando in hora saltem mortis constituti sua deflent peccata omnia, confessione delent, ac Viatico et Unctione levant ; ut videre est in Catalogo superioris anni ex quo haec habentur.

Vita functi anno 1916.

Sacramentis muniti		410
Sacramentis orbati	Protestantes.	8
	Repente mortui	3
	Tardi in petendo.	17
	Universi	438

Ad haec tanta scandala et pericula praevenienda aut minuenda aut sananda Patres multa iam excogitaverunt, quae Nostrorum precibus enixe commendantur. Nostri vero, lugubri huic coloniae addicti, sunt in praesentiarum tres omnino, scilicet Patres duo et unus Frater Coadiutor.

F). — FONTILLENSIS (Hispania, Prov. Arag.).

In ea provinciae Lucentinae (Alicante) parte, quae ad urbem Pego iacet et ad Laguarenses oppidanos (Laguar) spectat, vallis est, cui accolae Fontillias (Fontilles) nomen dedere. Illuc anno 1902 eorum qui a lepris laborant colonia deducta est. Ora aptissima habetur ad omnium mortalium miserrimos aliquantum recreandos, quibus, cum a ceterorum hominum societate arceantur, una superest tacitae naturae pulchritudo, alterius terrae perennisque vitae ac populi plane beati eloquens vestigium. Hic enim olivae, hic pini, hic mala aurantia, semper

virentibus foliis, hic humilis salvia et rosmarinum et thymum odores circum in aëra effundunt suavissimos ; occasum versus nemorosi colles et mons *dels Avencs* procerum cacumen attollens, ad orientem vero solem caerulus sinus Valentinus Balearicum mare late circumstans, iucundos oculis prospectus subiiciunt.

Coloniae ager septingenta triginta millia metrorum quadratorum patet ; undeviginti eius aedificia, partim magna partim parva, haud procul alia ab aliis sita, pagi speciem referunt ; pagus iste S. Francisco Borgiae in fidem se tradidit et a Patribus Provinciae Aragoniae regitur.

Suos edit colonia libellos, ultro citroque mittendos, e. g. :

1. « *Fontilles,* » *Revista mensual. organo de la Colonia — Sanatorio Regional de S. Francisco de Borja.* Fontilles, Prov. de Alicante. Annum iam numerat decimum quartum.

2. *La Lepra y el Sanatorio de Fontilles*, ibidem. Praeter scriptam narrationem effigies complures oculis legentium subiicit.

3. *Recuerdo de Fontilles*, ibidem. Libellorum series imaginibus et commentariolis ornatae.

Mores ac religio.

Magnae Deo laudi est morum probitas miserrimos inter infirmos plane elucens. In iis enim animus viget aequissimus et Divinae Providentiae prorsus acquiescens, fortissima quoque patientiae exempla et desideria tolerandi cruciatus usque maiores ex Dei amore laudantur. Qui valent, ii quotidie fere omnes divina ex altari dape reficiuntur ; qui vero gradi non possunt, his in eorum tabernacula bis per hebdomadam Angelorum panis affertur. Hactenus octoginta quinque mortem oppetiverunt, eamque bonam et christiano homine dignam ; complurium vero obitus tanta fuit pietate illustris, ut invidiae foret ferventissimo cuique religioso viro.

Deiparae Sodalitates habentur duae, altera virorum, mulierum altera, et utraque cum impetraverint, ut secundo die dominico cuiusque mensis, quem diem veluti consociationis suae festum habent, liceret sodalibus ad aram Beatae Virginis, in aede sacra custodiam diuturnis agitare, pulcrum est cernere

ad singulas semihoras succedere alios aliis, aliquo socio unumquemque ex ordine compellante.

Sollemnia in templo frequentia iuxta ac splendida sunt. Quae Dei fuit benignitas, in coloniam venit adolescentula oculis capta, quae musices apprime perita, ex ulcerato gutture cantus adeo dulces edere novit, ut omnibus sit admirationi.

Valetudinariis igitur nostris si datum non fuit integras corporibus restituere vires, quandoquidem nemo hactenus eas recuperavit, concessum tamen est animis salutem afferre.

Res familiaris.

Fontilliensia tecta atque opera servantur stipe collecta, quam quidem liberales homines ultro conferre certant. Non tamen inficiandum est, ea saepe inopia laborasse ; sed divina Providentia adeo sollerter facit, ut non solum aes alienum omnino solutum sit, verum etiam supersit, non computatis labentis anni impensis quae centum triginta millibus pesetarum superant, pecunia numerata ad quadraginta septem millia et viginti pesetas, quibus sors constituetur, unde colonia in posterum vivat.

Maior infirmorum pars sunt plerumque pauperes, qui ne teruncium quidem possunt solvere. Civium Valentinorum Consilium nonnihil adiuvat, tribuens duas pesetas et quadrantem viritim pro viginti aegrotis, quot nempe in praesentia habentur. Nunc tandem supremi regni curatores quadraginta millia pesetarum dederunt, quibus alii quadraginta duo alerentur, simulque haberetur quo et satisfieret medico et instrumenta medicinae chirurgiaeque, usu trita, reficerentur. Haec summa a praecedenti distinguitur et sequenti anno adhiberi incipiet.

Familia.

Ipsas coloniae aedes non nisi ab anno incolunt Patres ferme duo et unus Coadiutor temporalis. Omnes in animorum curam incumbunt iisque auxiliatum interdum venit e proximo Collegio Gandiensi aliquis e nostris sacerdotibus.

Adsunt praeterea moniales octo e Tertio Ordine S. Francisci et Immaculatae, quae culinariam curant, cellae vestia-

riae praesunt, infirmis assistunt. Adiutrices habentur matronae undecim, quarum septem amore Christi ductae, in coloniae aedibus habitant et singulis mensibus aliquid pecuniae suppeditant ; maior vero pars, si demas illas quae advenas hospitio excipiunt, lepris affectos propius contingere non verentur.

Non deest administrator cum necessariis famulis, nec iuvenis quidam artis medicae alumnus, qui ex sola Dei caritate virorum ulceribus medetur, ope utens quorundam aegrorum, qui non absimili virtute sociis sponte assistunt.

De medico nihil adhuc statutum est, sed mox decernetur.

Aedificia.

Omnes coloniae partes hae sunt :

1° *Templum* viginti sex metra longum, latum decem ; ad eius laevam duo suggestus exporriguntur, unde prospectare sacras caerimonias et ritus iis licet, qui bene valent.

2° *Domus Patrum* propter ipsum templum assurgit, ita ut ex internis aedibus continuus aditus pateat in duos illos suggestus. Prostant in inferiore contignatione culina, triclinium, salutatorium ; in superiore autem octo cubicula et aula decem metra longa, quatuor lata.

3° *Clinice* conclave habet viris curandis; mulierum enim curatio propriis in aedibus fit ; octo balnearia, exedram, parvum theatrum, lusum pilae eburneae quae per ligneum alveum, panno stratum, bacillis impellitur. Huc aegroti frequenter conveniunt animi levandi causa.

4° *Tabernaculum S. Elisabeth* soli viri incolunt ; interim proximum habet vaccarum stabulum, mox alio transferendum.

5° *Domuncula*, tres infirmos excipit ; infra asellus stabulatur, aegrotantium commodis inserviens.

6° *Aedes monialium*, quarum pars inferior his membris constat, videlicet culina cunctis colonis communi cum additamentis, furno, sacello, salutatorio ; superior autem clausa custoditur, quippe quae sanctimonialibus reservetur.

7° *Domicilium adiutricum*, quod quidem cum aedibus monialium coniungitur, sed ab iis prorsus distinguitur.

8° *Triclinia et valetudinarium*, illa infra iacent et sunt omnino duo ; istud supra triclinia est et solis viris accommodatum, quia pro mulieribus nondum extat.

9º *Tabernaculum B. Virginis a Derelictis,* mulierum proprium quas ad quadraginta capit.

10º *Officina assuendis pannis mulierum.*

11º *Machinamenta ad metiendum vaporem acetilenae.*

12º *Fullonica et cella vestiaria.*

13º *Tabernaculum* pro triginta circiter viris.

14º *Hospitium,* quod nunc amplificatur.

15º *Sedes administratoris eiusque subiectorum:* huc transferri poterunt equi, item vaccae, gallinae, cuniculi, aliaque id genus altilia coloniae maxime fructuosa.

16º *Instrumenta et apparatus ad cursum electri temperandum.*

17º *Coemeterium.*

18º *Caldaria,* ubi aqua pro balneis calefit.

19º *Fons* cuius amnis coloniam mox interfluet, ad eius necessitates utilis et copiosus. Magnum Dei beneficium est, invenisse in montibus praealtis aquarum venam.

Haec breviter notasse iuvat; est qui documenta colligat ad historiam coloniae Fontilliensis exarandam.

G). — BELGAËNSIS. (India, Prov. Lus.).

Belgaënsis Missio.

Haec Missio, quae in India Britannica sita est, abhinc uno saeculo initium habuit. Anno enim 1823, scilicet quarto post captam ab Anglis belgaënsem arcem, RR. PP. Carmelitae, Goa Belgaum missi, primum templum vero Deo in oppido aedificarunt, quod a Deipara Montis Carmeli vocari voluere. Procul hinc sexdecim millia passuum extat Kanapurae oppidum in montibus Gattes, a quibus tota Carmelitarum Missio nomen habet, eorundem Patrum praecipua sedes, qui inde solebant quotannis in viciniam decurrere, nonnullas catholicas familias invisuri. Sed cum post eam, quam diximus, Anglorum occupationem christiani praesertim inter milites multiplicarentur, unus ex illis Patribus, ut desiderio tribuni militum faceret satis, Belgaum ex oppido Kanapura venit. Sed non diu ibi mansit, quippe quod, expulsis anno 1834 tota Lusitaniae eiusque coloniarum ditione Ordinibus religiosis, Patres quoque a Monte Carmelo suae Missioni nuncium mittere coacti sunt.

Iis tunc successerunt Patres Societatis e Missione Bombayensi ac Poonensi, ab anglo magistratu acciti, ut curam militum catholicorum susciperent; accolis vero adiuvandis, qui konkanico utuntur sermone, sacerdos goanus adlectus est. Hinc evenit, ut Goani aliud sacellum aedificarent, honori Deiparae sine labe conceptae dedicatum, quod paulo post paroeciae nomine ac iuribus auctum est. Sed id causa fuit, cur duorum Episcoporum iurisdictio eodem loco oriretur et ad mensem usque martium anni 1887 perseveraret, cum nimirum Poonensis Antistes die duodetricesimo P. Carolum Kreuzer e Societate Iesu, qui Belgai erat a sacris militum, per litteras certiorem fecit, ex inita a Lusitania cum Sancta Sede pactione anno 1886, in posterum sacra quoque omnia militum auctoritati Archiepiscopi goani subiectum iri. Is erat tunc RR. DD. Antonius Sebastianus Valente, qui voluit ut Patres Bombayenses persisterent administrandae huic Missioni ad exeuntem usque mensem martium anni 1890, cum nimirum Belgaum pervenerunt Patres nostri Lusitani, quorum adventus inciderat paulo ante, i. e. die 26 februarii, ut sodalibus Bombayensibus et Poonensibus sufficerentur eorumque opera continuarent.

Quae spatio triginta quatuor annorum Sodales decessores Patrum Lusitanorum confecerant, visa sunt aptissima, quae multam Deo gloriam et aeternam Indis salutem prospicerent. Nam scholas tum anglici tum *tamulici* sermonis ad pueros puellasque erudiendos constituerunt; praestantissimum monialium a Cruce auxilium procurarunt feminis gubernandis; duas domos lepris curandis compararunt, alteram viris, alteram mulieribus destinatam.

Haec eadem opera a PP. Bombayensibus ac Poonensibus instituta PP. Lusitani regenda primum suscepere kalendis aprilibus anni 1890, quibus simul initium dederunt novae Missioni Goanae.

Nosocomiorum primordia.

Primus e Societate Iesu sacerdos qui Belgai sacra militibus procuraret, fuit P. Henricus Charmillot. Is Bombayo missus ut Patribus Carmelitis sufficeretur, demandatum sibi munus inivit die 26 februarii 1856, quod continenter administra-

vit usque ad kalendas iunias 1886. Cum optimus Pater non posset non summa commiseratione circumspicere homines mulieresque horridis lepris affectos tota urbe et per agros calamitose vagari, tectum emit quingentis libellis die 11 iulii 1863, in quod illos reciperet. Parvae tamen et angustae nimis erant aedes, utpote quae tria omnino cubicula haberent, in quibus singulis duo tantummodo infirmi caperentur.

Verum cum RR. DD. Leo Maurin e Societate Iesu, Vicarius Apostolicus Bombayensis ac Poonensis, bonus pastor ovile perlustraret suum novembri mense 1871, illud refugium magna commendatione prosequutus, P. Adamum Williams, qui curam militum catholicorum tunc habebat, hortatus est, ut aliam quoque domum eundem in finem acquireret. Morem Vicario gessit Pater, et sequenti anno 1872 die 16 iulii eam emit quingentis quinquaginta libellis, haud ita procul ab arce, atque feminis destinavit.

Aegrotorum census.

Ea fuere belgaënsis leprosorum coloniae primordia, quam Patrum Societatis charitas quinquaginta quatuor ante annos ea in urbe collocavit et etiamnum regit. Hic Nostri trecentis et quinquaginta aegrotis, quoquot nimirum unius de quinquaginta annorum spatio in coloniae domos admissi sunt, operam navarunt assiduam, tum corporum valetudini tum animorum saluti consulentes. Annos dixi unum de quinquaginta, non vero quatuor supra quinquaginta, quia quinquennio ante *Collector* huius regionis prohibuit, quominus lepris tentati intra urbem hospitio reciperentur, ne quod oriretur civibus contagionis periculum.

Contagio.

Attamen illud notum vulgatumque Belgai fuit, post erecta duo nostra valetudinaria neminem umquam in urbe fuisse eo morbo correptum. Imo abhinc quindecim annos cum supremus Indiae britannicae magistratus triumviros e medicorum coetu delectos Belgaum quoque misisset, qui inspicerent ac referrent, quae cautiones viderentur sibi adhibendae, ut leprarum

progressus compesceretur, hi librum in lucem ediderunt, ubi affirmarunt, se suo quidem iudicio putare, lepras non tumidae pestis aut morbi asiatici instar contactu vulgari, sed ulcerum sanguine transfundi.

Pater qui militibus procurat sacra et coloniae leprosorum regendae provinciam habet, triumviris testatus est, iam inde a conditis valetudinariis ad eam diem lues nedum ad quempiam promanasset, qui vias colonicis aedibus proximas incoleret, sed ne unum quidem affecisse e domesticis famulis, qui continuo aegrotis adstantes vitam fere cum ipsis, cubiculo excepto, agerent et solerent de iis, quae forte accidissent, Patrem quotidie certiorem facere.

Illud etiam praeclarum videbitur, fuisse pauperem quemdam virum, Christi cultorem, qui annos saltem viginti aegrotorum linteamina pannosque lavaret, ut nullo umquam ipse leprarum signo notaretur, et bona devexaque aetate ex hac vita migrasse.

Corporis cura.

Quoad floruit consociatio S. Vincentii a Paulo, socii omnia vitae necessaria optatissimis infirmis per tempus bene longum providebant. Sed anno 1890, cum Patres Lusitani Belgaum advenerunt, ea amplius non extabat, sed unicuique aegrotorum, tum viris tum mulieribus, octo *annas*, quarum singulae dimidiam *rupiam* aequant, distribuebantur. Verum, quoniam id pecuniae ad vivendum minime sufficiebat, iisdem concessum est, ut in publicum prodirent stipem a viatoribus petituri. Id quorumdam ministrorum urbis, qui nobis singulis mensibus aliquid subsidii dabant, querelas excitavit. Praeterea civilis magistratus aequo animo rem videre non poterat, cum timeret contagionis periculum. Quare Pater qui coloniae praeerat, cum simul esset religionis in militari praesidio curator, utrorumque praefectorum misericordiam obsecravit, militum nempe et civium, ut, si nollent videre aegrotos per urbem agrosque errare, ipsis auxilio venirent. Patris verba non incassum fuere prolata. *Collector* enim Muire, magnus nostrae charitatis erga miserrimum illud hominum genus admirator, Consilio regionis belgaënsis persuasit, ut quadringentas rupias quotannis largiretur praeter illas sexaginta, quas municipium iam deprome-

bat, atque etiam polliceretur, se plura daturum, cum alium in locum procul ab urbe colonia transferretur. Hac ratione factum est, ut aegroti haberent quo alerentur, neque amplius vicatim mendicarent.

Ast infirmorum numerus crescebat, ita ut anno 1903 quadraginta septem recenserentur, et cum virorum nosocomium, factum ad duodecim infirmos continendos, septemdecim perincommode caperet, necesse fuit ampliora tecta comparare. Proposito favit in primis tribunus Macnamara, egregius fidei catholicae assecla, qui, collatione inter militum praefectos Indosque magis divites facta, octingentas rupias habuit, quibus domicilium, quod triginta aegrotos caperet, et viridarium illi adiacens emeret.

Fautores huius operis praecipui habentur militiae atque urbis praepositi, goani quoque Praesules necnon multi ex India lusitana Patres e Societate. Accidit aliquando, ut post explanata a sodalibus belgaënsibus Exercitia Spiritualia, auditores, grati animi causa, ad subsidium coloniae mittendum pecuniam alius ab alio rogaret.

Antequam huic materiae finis fiat, libet nonnihil de adhibitis medicamentis attingere. Illa remedia lepris fugandis apponere Patres consueverunt, quae publicae peritorum scriptiones veluti efficaciora indicabant ; sed nullo cum fructu. Tum animum induxerunt, ut e finibus Pondanorum (Pondà) quidam mahometista advocaretur, qui dicebatur nonnullos ab inexorabili morbo liberasse ; sed non tantum nulli levamen attulit, verum etiam deteriores, quos curaverat, fecit : quare Pondam remissus est.

Sunt quoque moniales, quae identidem aegrotos invisunt, quibus quotidie coenam parant.

Religionis cultus.

Patres non solum misericordiam, quae corpori prodest, verum etiam, quod potissimum est, curam animarum impigre exercent.

Primum quidem catechistam mercede conduxerunt, qui religionis rudimenta, variis sermonibus, quos Patres ignorabant, ex ordine traderet. Quibusdam vero temporibus, cum

e. g. quis sacro luitur baptismate, vel ab Episcopo confirmatur, vel ad sacramenta poenitentiae aut Eucharistiae accedit, solent Nostri per interpretem documenta dare. Item cum illos singulis hebdomadis conveniunt, verba ad ipsos faciunt, quibus docent morbi dolores cum Christi patientis cruciatibus coniungere et spe caelestis felicitatis animum erigere.

Eiusmodi institutiones adhortationesque, nequaquam steriles fuere. Sunt qui patientiae specimen ad exemplum ediderint ; qui catholicae doctrinae rationem ita calluerint, ut fierent ceterorum, qui expiari sacro baptismo cupiebant, magistri idonei quam qui maxime. Ex septem vel octo qui quotannis in numerum colonorum aggregantur, quinque vel sex christianam amplectuntur religionem, unus vel alter locum deserit, plerumque ethnicus aut ob pravos mores dignus qui expellatur.

Egregie facta.

1. E trecentis infirmis in belgaënsia nosocomia receptis, ad ducentos sexaginta, qui idololatrae aut mauri antea erant, Christo sunt initiati.

2. Non constat, vel unum fuisse ex ethnicis aut mauris, qui, licet ad brevissimum tempus apud nos sit commoratus, antequam de vita decederet, non efflagitaverit, ut christianis sacris imbueretur ; ita hactenus sine baptismo nemo in colonia mortuus est.

Accidit, ut quidam dum se ad nostram religionem amplectendam praepararet, animam ageret. Pater casum miseratus tristissimum, se accusabat, ac si in exigenda ab illo rerum ad fidem pertinentium ampliore cognitione usus esset tanta severitate, quanta in eo periculo forte non requireretur. Cum ecce Petrus, unus ex infirmis, religionis studiosissimus, laetus Patri occurrit dicens, se ea nocte contubernalem suum salutari christianorum lavacro tinxisse.

3. Nemo non in magnam admirationem rapi se sentiat, cum spectet sedulum neophytorum studium socios suos a falsorum numinum superstitione ad veritatis lumen adducendi. Eorum tribuendum est exemplo ac sollicitudini desiderium cognoscendi Deum, quod novos incolas, cum primum domos aegrotorum ingrediuntur percellit. Cum enim illos viderent

bis terve in die sacellum una simul petere, matutinas vespertinasque preces et mariale rosarium recitaturos, sponte alliciebantur eos studiose primum observare, suas deinde cum illorum precationibus, utcumque noverant, coniungere, denique tam sanctam religionem cognoscere. Quod simul ac divulgatum erat, cerneres christianos ferventiores magisque excultos sodali recens advecto accedere et rudimenta fidei sollertissime tradere. A cruce initium ducebant, secundum antiquum Patrum lusitanorum in Missionibus versantium morem, qui prius crucem ter signabant, in fronte scilicet, in ore, in pectore, ea proferentes verba: « Per signum crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster »; postea cum ad frontem primum, deinde ad pectus, postremo ad laevam dextera admoveretur, conceptam formulam pronunciabant : « In nomine Patris et Fillii et Spiritus Sancti, Amen ». Posteaquam crucis signum quis didicerat, ab iisdem preces et praecepta divinae legis docebatur.

Per annum, quoties maiora sollemnia celebrantur, nostri christiani poenitentiae et Eucharistiae sacramentis reficiuntur. In horum pervigilio aliquis e Patribus piaculares confessiones excipit; postridie vero Sacrum in sacello mulierum facit, quo ex altera domo viri ad illud audiendum et ad divinum epulum de altari sumendum conveniunt. Quod si quis ob semesa membra ambulare nequit, SS. Iesu Christi Corpus ad illum defertur.

Omnes in Sodalitatem B. Mariae Virginis a Monte Carmelo cooptati sunt et Apostolatui Orationis nomen dedere. Si quis graviorem in morbum incidit, Pater illico advocatur, ut eum ad noxarum conscientiae accusationem pro tribunali poenitentiae faciendam inducat.

4. Gratissimi sunt erga Patres Societatis, et nihil magis timent, quam ut aliquando ab illis deseri cogantur.

Abhinc tribus annis duae nostri nosocomii mulieres cum ab apparitoribus gradientes per urbem deprehensae fuissent, statim Hindalge, qui locus habet publicam leprosorum domum inde procul mille passus, ductae sunt. Verum tantis lacrimis tantisque flagitationibus praesidem fatigarunt, ut necesse fuerit illis reditum ad Patres concedere, magna cum admiratione doctoris Hunter, domus praepositi et sectae protestantium americanorum legati.

Imminens coloniae exstinctio.

Vehementer dolemus, quod prohibeamur, quominus lepris affectos in coloniam posthac recipiamus, et illustre opus mox amittamus. Postquam enim sex ante annos iussum est, colonias eiusmodi in loca mitti ab urbibus remota, simul ac eae fuerunt constitutae, provinciae Praeses mense martio 1912 Nostris imperavit, ut ab admittendis aegrotis abstinerent, et solummodo concessit, ut quos tunc habebamus in urbe, eos retinere et curare prosequeremur. Praetereundum tamen non est, *Collectorem* belgaënsem humanissime rogasse Missionis Superiorem, ut Nostri novam coloniam extra urbem regendam susciperent. Sed nos cum videremus, omnia revera per Collectorem administratum iri et commercium epistolarum prope infinitum nobis cum publicis administris futurum esse, oblatum munus, actis gratiis, comiter recusavimus. Supersunt hoc anno 1917 e nostris colonis omnino tredecim, nimirum quatuor viri et novem mulieres.

STATUS COLONIAE BELGAËNSIS AB ANNO 1901 AD ANNUM 1912.

Annus.	Pecunia. (Rupiae)	Impensae.	Aegroti admissi.	Vita functi.	Dimissi.	Numerabantur	
						Ineunte anno.	Exeunte anno.
1901	1591	1340	14	5	3	31	37
1902	1430	1311	7	3	3	37	38
1903	1547	1600	13	6	3	38	42
1904	1254	1247	10	10	2	42	36
1905	1446	1167	5	7	2	36	32
1906	1429	1524	9	7	1	32	33
1907	1275	1138	3	6	3	33	26
1908	1268	1127	3	5	2	26	22
1909	1337	1047	4	5	3	22	18
1910	1080	1122	8	7	2	18	17
1911	1220	1087	7	1	1	17	22
1912	1077	1134	3	5	2	22	18
	15584	14938	86	67	27	354	347

H). — ALIAE MINORES.

Haud ignotum fortassis compluribus erit, iam inde ab anno 1905, libentissimis Superioribus, miseris leprosis iuvandis ac recreandis quemdam e nostris sacerdotibus Quiti (Quito-Ecuador, Prov. Tol.) operam dare fuisse solitum. Quamdiu eorum nosocomium in ea urbe positum erat, Pater quotidie illuc se conferre facile poterat. Sed postquam anno 1911, iubentibus Reipublicae administris, miseri illi aegroti Pifum, in aedes veteris nostri Collegii maximi quinque fere leucis ab urbe distantes, devecti sunt, bis terve tantum in mense sacerdotali ministerio frui possunt. Id cum vehementer doleret RR. DD. Archiepiscopus et cuperet illum, quem indicavimus, Sodalem sacrorum curatorem domus valetudinariae nominare, tum ut hic spiritualibus iuribus ac privilegiis uteretur, tum etiam ne deesset saltem unus, qui in infirmorum solatium atque christianam eruditionem incumberet ac illis quavis hora obvius foret, Superiores eius voluntati proclives sese primum praebuere. Tanto enim horrore tantoque contagionis metu hi existimabant cunctos generatim detineri, ut vix aliquis aliquem putaret esse qui sacra leprosis procurare vellet. Neque hi propter numeri exiguitatem negligendi aut derelinquendi videbantur, quippe qui circiter nonaginta haberentur. At postmodum necessitate auxilii ferendi et ratione loci haud ita remoti melius considerata, visum est sufficere, ut Pater in Collegio Quitensi commoraretur, e quo tamen ad coloniam itare posset ; ita enim et eius ardentissimo desiderio, qui annos iam quindecim in eo ministerio posuerat, et Praesulis petitioni, et colonorum saluti satis prospiceretur.

Haec moderata et prudens ratio ferendi opem miseris eiusmodi hominibus alio quoque utilissime inducta est, cuius hic meminisse operae pretium est. Praeter ea quae iam recensuimus in insula Madecassensi (Madagascar) leprosorum domicilia, *Imadyense* et *Hanaense*, alia alibi habentur, nimirum in Bengala *Calcuttense*, in insula Ceylon *Kalmunaiense* (Kalmunai ad Batticaloa); in Jamaica (Giamaica) *Hispanicum* seu

ad Spanish Town, aliud in insula *Barbados*, et *Karthaginiense* in Columbia (Cartagena).

Pulcrum esset cognoscere eas quoque colonias, quas olim Patres Societatis moderati sunt, sed nunc reliquerunt. Ad nostram memoriam exempli gratia venit P. Antonius Baroni († 1909) Placentiae in Italia natus, qui in Guiana Britannica eximio amore annos viginti septem catholicos lepris affectos curavit ad Mahaica Creek. Habanae (Habana) quoque in insula Cuba Socii e Provincia Castellana nosocomio inclusis operam strenuam navabant ad annum usque 1910. Iamvero curatores *Memorabilium* grati iis erunt, qui de aliis coloniis ipsos certiores facere velint.

I). — COLONIAE SACRIS EXPEDITIONIBUS EXCULTAE.

Novum opus a Patribus Societatis coeptum est, qui cum non semper possent pro suo desiderio sese leprosorum domiciliis omnino dedere, excogitarunt quomodo saltem interdum largius divini verbi pabulum et sacrarum Ecclesiae sollemnitatum fructum derelictissimo illi mortalium generi comparare possent. Primum, quod ad nostram memoriam venerit, experimentum factum est in Columbia, ubi quidam e Sodalibus sacerdotibus colonias in ea Republica collocatas obire et sacris missionibus, more modoque nostro, colere aggressi sunt.

Neque enim aliter quam caeleste munus cum incredibili omnium laetitia habita Patris opera est. Hac ratione is in sacram expeditionem ad *Agua de Dios* se primum misit, urbem diceres leprosorum, si domiciliorum distributionem et numerum incolarum spectes, quorum duo millia et septingenti lepris torquentur. Dein statuit in aliam coloniam se dirigere, quae *Contratación* appellatur, ubi conciones adhortationesque haberet ad duo millia et quingentos eodem morbo afflictos.

Quam dociles fuerint divinae gratiae aegroti vel eo ostenditur, quod uno in loco multi saepe ad sumendam SS. Eucharistiam accederent, nonnulli quotidie, coram qua viginti vel triginta adoratores quavis diei hora inveniebantur. Ibidem praeterea septuaginta matrimonia ad Ecclesiae normas per eam occasionem redacta sunt.

PROSPECTUS COLONIARUM LEPROSORUM QUIBUS SOCIETAS IESU OPERAM NAVAT ANNO VERTENTE 1917.

COLONIAE.	LOCUS.	Annus incepti operis.	Infirmorum numerus.	Patres.	FF. Coad.	Provinciae Societatis.
A Nostris conditae, adiuncta domo Sociorum.	**Mangalor** — India.	1886	45	2	1	Ven.
	Fontilles — Hispania.	1902	20	2	1	Arag.
	Marana [1] — Madagascar.	1903	87	1		Camp.
Nostris commissae, adiuncta domo Sociorum	**Culión** — Ins. Philippinae.	1906	4300	2	1	Arag.
A Nostris solum invisendae, sive sunt ab ipsis conditae, sive iisdem tantum commissae.	**Tromby** — India.			1		Germ.
	Pelantoengan — Java.			1		Neerl.
	Kalmunai — Ceylon.			1		Camp.
	Imady — Madagascar.			1		Camp.
	Hena — Madagascar.			1		Camp.
	Carthagena — Columbia.			1		Cast.
	Belgaum — India.	1863	13	1		Lus.
	Quito — Æquator.			1		Tolet.
	Barbados — Parvae Antillae.			1		Ang.
	Spanish Town — Jamaica.			1		Maryl. N. E.
			4465	17	3	

Coloniae 14 — PP. 17 — FF. CC. 3 — Univ. 20

[1] In Maranensi domo nunc nemo Nostrorum versatur.

N. B. — Si quam coloniam, in hoc prospectu non contentam, Missionarii nostri invisere soleant, gratissimum fecerint, si eam indicaverint.

PARS ALTERA

NUNCII BREVIORES

ANNI MCMXIX

I.

DE SOCIETATE IN UNIVERSUM.

A). — CHRONICA CURIAE SOCIETATIS IESU.

a). — *Ephemerides.*

1 *ian.* — Ab helvetico exilio, relicto Zizerio (1), redeunt Romam R. P. Iosephus Barrachina Hispaniae Assistens cum Patribus Aniceto Galdos, Chrysantho Ciarán et Fratribus Narcisso Baguñà, Theodoro Grau.

3 *ian.* — Venit ex Hispania P. Ioannes B. Ferreres (Prov. Arag.), ut recognoscendo Instituto nostro det operam.

4 *ian.* — Reversi sunt Zizerio RR. PP. Hermannus Walmesley et Iosephus Hanselman, ille Angliae iste Americae Assistens; item P. Gulielmus Mac Mahon et Fr. Ignatius Banquells.

6 *ian.* — Cum omnes romanae domus vehementer optarent, A. R. Patrem Nostrum, quem, vix confecta ultima Congregatione Generali, triennio amplius amiserant, nuper reversum ex Helvetia cernere atque adeo alloqui vellent, ipse ut communi desiderio satisfaceret promisit, se diem apud unamquamque carum facturum esse, quo et conviva esset et singulis sodalibus opportunitatem daret sui conveniendi. Hodie itaque ad Universitatem Gregorianam diversatus est, die 12 in Collegium ad Thermas, 20 in Domum Exercitiorum, 24 in Collegium Civilitatis Catholicae, 29 in Residentiam SS. Nominis Iesu, 26 in Collegium Tusculanum.

---

(1) Cf. *Acta Rom.* II (1918) 644.

13 *ian.* — Improviso morbo correptus obiit Franciscus X. Visser, rei domesticae adiutor e Provincia Neerlandica. Decem et octo annos in Curia nostra posuerat, amanuensis plane diligentissimus Assistentiae Germaniae. Scriptam reliquit epistolam, qua sibi mortem hanc, hereditario morbo forte obventuram, inopinata non accidisse ostendebat. In ea bonus Frater summae pietatis sensibus Deo et Societati amorem pro acceptis beneficiis, dolorem pro culpis patratis, demississimo animo testatus, se mortem e Dei manibus libenter suscipere asserebat,ut ex indulto Pii X (9 mart. 1904) plenariam indulgentiam in illius *articulo* lucraretur, cum iam semel peregisset omnia in hunc finem praescripta.

31 *ian.* — Pater Noster hoc vespere in aula magna Universitatis Gregorianae adhortationem domesticam habuit ad omnes Patres et Fratres Romae degentes de fine vocationis nostrae et ratione illius assequendi (1). Aderant circiter ducenti, quos inter erant hospites quoque Patres, Scholastici nonnulli militiae adhuc inscripti, nec deesse voluit Em. Card. Ludovicus Billot.

2 *feb.* — In basilica S. Pauli extra Muros cum musivum opus Deiparam exprimens instauratum tandem esset, coram quo maiores nostri prima vota sollemnia nuncuparunt et quod a nobis nomen habuit *Reginam Societatis Iesu* (2), cumque altare eidem venerandae iconi dedicatum hodie consecraretur, RR. Abbas Ildephonsus Schuster Patrem Nostrum invitavit, ut vix peracto consecrationis ritu Sacrum primum decantare ante opiferae Virginis imaginem ipse vel alius ab eo legatus vellet.

« Ea enim, ita nostri amantissimus Praesul perbelle scribebat, omnibus S. Ignatii filiis in memoriam revocat marianam stellam quae Societatis incunabula cunctis laetitiis cumulavit. Si porro Maria sidus, basilica S. Pauli praesepe Societatis nascentis merito haberi potest. » Omnes e Curia, qui a negotiis gravioribus non impediebantur, summo mane S. Paulum se contulerunt. P. Eduardus Schröder, Socius Procuratoris Generalis, ibidem pro Patre Nostro impedito ad aram sacrificavit, praesente R.mo Abbate cum suis monachis.

(1) Cf. *Acta Rom.* III (1919) 109 sqq.

(2) Cf. *Acta Rom.* I (1913) 99 et (1914) 74.

6 *feb.* — Renuntiatur Minister domus P. Paulus Zunino (Prov. Taur.).

22 *feb.* — Excipimus domum R. P. Rudolphum van Oppenraaij, Assistentem Germaniae, qui Zizerii Helvetiorum ultimis rebus nostris componendis praefuerat. Eum comitatus est P. Ioannes B. Mundwiler (Prov. Germ.) novus Substitutus Secretarii.

Hoc eodem die e Provincia Taurinensi ad nos mittitur P. Fortunatus Giudice ad recognoscendum Institutum dep:tatus.

25 *mart.* — Hospitem habemus ad aliquot dies R. P. Aloisium Chauvin, Praepositum Provinciae Lugdunensis, qui cum Patre Nostro negotia agit.

16 *apr.* — Coetui Substitutorum Secretarii adlegitur P. Petrus de Champs de Saint Léger, (Prov. Franc.)

18 *apr.* — Romam venit et apud nos commoratur R. P. Albanus Goodier (Prov. Angl.), qui mox Archiepiscopus Bombayensis electus est.

26 *apr.* — P. Iulius Besson (Prov. Tolos.) tertius iungitur Patribus qui in recognitionem Instituti incumbunt.

6 *maii.* — Ad nos divertitur e Sardinia rediens R. P. Petrus Boetto, Praepositus Provinciae Taurinensis, ut Patrem Nostrum conveniat.

18 *maii.* — Eadem de causa venit R. P. Iosephus Marini, Sodalium Venetorum Praepositus Provincialis.

20 *maii.* — E designatis Revisoribus Generalibus Curiam primus ingreditur P. Carolus Gonthier (Prov. Lugd.).

8 *iun.* — Veniunt ad Patrem Nostrum RR. PP. Vincentius Leza, et Henricus Carvajal, ille Castellanae, iste Legionensis Provinciae Praepositus.

26 *iun.* — Cum Pater Noster desiderium Summi Pontificis novisset, ut in Italia atque adeo in universo orbe omnes familiae SS. Cordi Iesu consecrarentur, non satis se fecisse ratus, si pium ritum qua litteris privatis qua communibus (1) fovere summopere studeret, nisi suum adderet exemplum, voluit familiam hanc Curiae nostrae eidem Divino Cordi peculiari ti-

(1) Cf. ep. *De cultu SS. Cordis Iesu impense fovendo* in *Act. Rom.* III (1918) 50 sqq. Item ep. ad omnes Italiae Praepositos Provinciales de consecrandis familiis SS. Cordi Iesu, d. 7 iunii 1918, quae non habetur in *Act. Rom.*

tulo dedicare. In hunc finem pulcram illius statuam effingendam dedita opera hic Romae eamque in nobiliore Curiae atrio apparate collocandam curavit. Hodie autem vespere in pervigilio festi SS. Cordis, post habitam a R. P. Assistente Italiae domesticam adhortationem, Pater Noster rite statuae benedixit, adstante omnium nostrum corona. Mox conceptam a se formulam recitavit, quam hic ex italico in latinum sermonem ad filiorum Societatis ubique terrarum degentium consolationem referre iuvat.

Cor Iesu sacratissimum, Rex et centrum omnium cordium, hodie cum primum sollemnis dies tuus nuntiatur, ad pedes provoluti huius tui simulacri quotquot sumus Patres ac Fratres Curiae Praepositi Generalis minimae tuae Societatis, volumus Tibi domum nostram peculiariter consecrare. Iam dudum; profecto, nos tuo Cordi integre dedidimus; sed hoc novo et augusto ritu morem gerentes tuo in terris Vicario, contendimus stringere magis ac magis vincula, quibus Tibi vincimur, ut ita plenius obsecundare ardenti desiderio amoris tui et resarcire possimus tuum honorem, conviciis obnoxium, quibus Tu ab ingratis et excordibus hominibus lacesseris.

Tibi ergo nos ipsos toto animo donamus. Tu vero, qua es summa bonitate, benigne velis tenue donum nostrum accipere et fac, ut Tu solus vivas, Tu solus regnes perfectius usque in nostris cordibus; fac, ut haec domus odore suavissimo tuarum virtutum ita repleatur, ut qui ad eam devertent, amanter excitentur ad Te laudandum; fac, ut unusquisque nostrum, pro munere quo fungitur et secundum gratiam ipsi communicatam, studeat ex hac domo, quae est mater omnium ceterarum Societatis, usque ad extremos orbis terminos tuum regnum amplificare, omnesque omnino vires ad hunc finem impendere.

Haec statua, amabilissime Iesu, cui hodie in tuum honorem benediximus, nobis in memoriam redigat, quoties ante eam transibimus, amorem tuum infinitum et officia quibus nos Te prosequi debemus, ita ut studium maioris gloriae tuae numquam in cordibus nostris intepescat, sed novis semper flammis alatur et crescat ad illum diem plane beatissimum, quo in sanctissimo tuo famulatu vita consumpta, ex tua infinita misericordia ad Te perpetuo fruendum veniamus. Amen.

Piissima haec comprecatio habita est in pervigilio diei festi SS. Cordis, eo quod Curia omittere non potuit, quin postero die interesset pompae supplicationique, quam inter domestica septa ex Collegii templo in cavaedium et ex cavaedio in templum milites qui adhuc valetudinarii in Collegio degebant honori eiusdem ss. Cordis instituebant, praeferente divinam Hostiam E^mo. Card. Antonio Vico.

21 *iul.* — Hospitio recipimus R. P. Claudium Chanteur, qui negotia Missionis Syriae et Armeniae, cui praeest, cum Patre Nostro tractat.

24 *iul.* — Cum celebraretur dies festus nominis Patris Nostri Wlodimiri Ledóchowski, praeter consuetam faustissima quaeque illi ominandi rationem, parvum quoque Deiparae signum, quae Lapurdi se spectabilem praebuit, in memoriam Patris Nostri ad atrium Curiae collocatum est, et epistolium *autographum* Summi Pontificiis allatum, quod hic referimus.

Associandoci di cuore ai figli della Compagnia di Gesù che si preparano a celebrare con gioia la festa onomastica del loro veneratissimo Padre e Preposito Generale, impartiamo al diletto P. Wlodimiro Ledóchowski S. I. la benedizione apostolica coll'augurio che sia conservato per molti anni al governo della Famiglia Ignaziana; e, compiacendoci di sapere che la sua dimora in Roma è ora affidata alla particolare custodia e tutela della Beata Vergine di Lourdes, che in un giorno sacro a Lei lo poneva a capo della benemerita Compagnia di Gesù, concediamo trecento giorni di indulgenza a tutti i fedeli che reciteranno una « Ave Maria » innanzi alla statua della stessa Vergine Immacolata che ne custodisce la dimora.

Dal Vaticano, 23 luglio 1919.

BENEDICTUS PP. XV.

Idem latine redditum:

Dum Nos perlibenter cum filiis Societatis Iesu consociamur, qui omnibus laetitiis diem festum nominis Patris ac Praepositi Generalis, ipsis maxime venerandi, sunt celebraturi, dilecto P. Wlodimiro Ledóchowski apostolicam impertimus benedictionem, illud apprecati, ut ad multos annos moderandae Ignatianae Familiae praesit; cum autem iucundissime accepissemus eius Romae commorationem nunc esse in fide et clientela Beatae Virginis Lapurdensis, cuius non sine numine ipse bene merenti Societati Iesu praepositus est die eidem Virgini sacro, indulgentiam trecentorum dierum largimur omnibus christifidelibus, qui semel angelicam salutationem recitaverint coram ipsius Virginis signo, quod domum custodit.

Ex Aedibus Vaticanis, die 23 iulii 1919.

BENEDICTUS PP. XV.

4 *aug.* — Itur rusticatum in Tusculanum, liberata Villa Vetere (Villa Vecchia, Frascati) a militibus.

29 *aug.* — R. P. Stanislaus Sopuch, Praepositus Provinciae Poloniae designatus, advenit, a Patre Nostro rationem novi muneris et novas Provinciae amplificatae conditiones docendus.

4 *sept.* — Adiutoribus Secretarii accessit P. Stanislaus Siemienski e Provincia Poloniae.

12 *sept.* — P. Eduardus Schröder, Socius Procuratoris Generalis, electus a S. Congregatione de Propaganda Fide Visitator Trappistarum, virorum ac monialium, in Missione *Natal* Africae Meridionalis, hodie Roma proficiscitur Ulisipponem versus, ubi navigium conscendet in extremam Africam soluturus.

18 *sept.* — Vespere Curia tota simul Exercitiis Spiritualibus initium facit, quo tempore ab expediendis negotiis abstinet.

30 *sept.* — Omnes, rure relicto, Romam redimus.

1 *oct.* — Cum Pater Noster statuisset pristinam consuetudinem restituere mittendi in omnes Societatis Provincias Visitatores (1), primos quos ad id muneris designavit Romam accivit, ut coram melius quam per solum litterarum commercium rationem ac normam tanti operis ipsi perciperent et ceteris, qui sequentur, exemplo et documento forent. Ex his hodie advenerunt P. Norbertus de Boynes (Prov. Franc.) et P. Gulielmus Power (Prov. Neo-Aurel.); postero autem die P. Aemilius Thibaut (Prov. Belg.).

5 *oct.* — R. P. Stanislaus Sopuch Professorum vota in templo SS. Nominis nuncupat et Praepositus Provinciae Poloniae constituitur.

7 *oct.* — Iungitur Visitatoribus R. P. Petrus Boetto (Prov. Taur.).

8 *oct.* — Integer habetur Visitatorum numerus, quorum nomina et officia praestat hic subtexere:

R. P. Franciscus a Paula Nalbone (Assist. Ital.), Visitator Prov. Romanae.
„ „ Carolus Miccinelli (Praep. Prov. Rom.), Visitator Prov. Neapolitanae.
„ „ Gulielmus Power, Visitator Prov. Belgicae.
„ „ Aemilius Thibaut (Sup. Resid. Bruxellensis), Visitator Prov. Franciae.
„ „ Petrus Boetto (Praep. Prov. Taur.), Visitator Prov. Aragoniae.
„ „ Norbertus de Boynes (Sup. Coll. Cenomanensis), Visitator Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

(1) Cf. *Acta Rom.* III (1918) 78 sqq.

Horum curam ipse Pater Noster agit, quos hodie et complures continenter dies in aulam consultationum una simul collectos viva voce ad grave munus ipsis commissum informat. Tres in eum finem instructiones concinnavit : primam, omnibus communem, quam R. P. Everardus Mercurianus iam condiderat et P. Claudius Aquaviva paulo post recognovit, nunc vero Pater Noster novis curis retractavit atque auxit; alteram, praecipua rerum capita complectentem, quibus omnes pariter Visitatores utantur, spectata potissimum praesenti Societatis conditione; tertiam, propriam Provinciarum, ad quas quisque mittitur.

Postero die PP. Visitatores cum Praeposito Generali Summum Pontificem adivere, qui peculiari omnino sibique consueta erga hanc minimam Societatem Iesu benevolentia usus, eos paterne excepit et his verbis allocutus est sapientia et amore plenis : probe intelligerent, institutum maiorum, qui Visitatores esse in Societate voluerunt, prudentissimum a se et ab optimo quoque viro aestimari, illud esse Provinciis perutile eiusque instaurationem opportune fieri statim post absolutum bellum. Denique suis dignatus Visitatores consiliis, Beatissimus Pater iis ac Provinciis peramanter benedixit. Quanta vero sollicitudine rem suscepisset, alio quoque argumento ostendit, quippe qui a Patre Nostro, ipsum identidem per annum conveniente haud semel visitationem fructum sponte sciscitaretur.

— Hodie P. Otto Werner (Prov. Austriae) inter Substitutos Secretarii adscitus est, suffecturus P. Ioannem Baptistam Mundwiller propediem in Germaniam rediturus.

13 *oct.* — Alius novus Substitutus Secretarii renuntiatur P. Nicephorus del Páramo (Prov. Leg.).

18 *oct.* — Advenit P. Ernestus Thill (Prov. Germ.), qui in Consilio recognoscendo iuri nostro praeposito suffectus est P. Fortunato Giudice.

24 *oct.* — R. P. Augustus Bulot, Superior Collegii Massiliensis (Prov. Lugd.), Romam ad aliquot dies a Patre Nostro vocatus ab eoque eruditus, creatur Inspector studiorum superiorum pro Collegiis Assistentiae Franciae, Provinciae Belgicae et Neerlandicae. Huius novi muneris quae sint partes, videsis in *Actis Rom.* III (1919). 144 sqq.

25 *oct.* — In Curiam nostram cooptatur P. Ioannes B. Rabeneck (Prov. Germ.) et Revisoribus Generalibus accensetur.

27 *oct.* — Venit Praepositus Provinciae Franciae, R. P. Romualdus Devillers ad negotia tractanda.

18 *nov.* — Hodie adventu P. Antonii Perez Goyena (Prov. Cast.) Collegium Revisorum Generalium constituitur apud Praepositum generalem, ut mos erat in antiqua Societate. Tres Patres ad illud pertinent, nimirum Ioannes B. Rabeneck, Carolus Gonthier, Antonius Perez Goyena. Munus exercent suum coniuncte seu, ut dicunt, *collegialiter*; Societatis Assistentias inter se ita diviserunt, ut uni Gallia et America, alteri Germania et Anglia, tertio Hispania et Italia obtigerint; unus quoque ex his Collegii a secretis est. Eorum censurae subiiciuntur Nostrorum libri, ephemerides, theses aliaque id genus; praeterea Consilium pro studiis ordinandis iidem constituunt cui quartus accensetur P. Dominicus Palermo Lazzarini in Universitate Gregoriana lector cum titulo Revisoris Generalis.

19 *nov.* — R. P. Rudolphus van Oppenraaij, Assistens Germaniae, proficiscitur in Ceco-Slovachiam illa Collegia ac Residentias visitaturus.

27 *nov.* — Custos tabularii nostri fit P. Ioannes Goetstouwers (Prov. Belg), nuper in Curiam advectus.

29 *nov.* — Pater Noster in Collegium Tusculanum (Mondragone, Frascati) concessit, ut Exercitiis Spiritualibus sese reciperet. Cum enim non potuisset una cum sua Curia iis operam dare mense septembri, eo quod praeparare deberet Visitatorum instructiones, quos statim post kalendas octobres exspectabat, eadem distulit in dies novendiales Deiparae sine labe conceptae.

20 *dec.* — Rediit ex Bohemia R. P. Rudolphus van Oppenraaij.

— Excipimus R. P. Ioannem Kujundžić Juguslaviae Vice-Praepositum.

22 *dec.* — Nobiscum breviter commoratur Praepositus Provinciae Venetae, R. P. Iosephus Marini, in Albaniam perrecturus ad illam Missionem post asperas belli vices visitandam.

b). — Catalogus Sociorum et officiorum Curiae Societatis Iesu ineunte anno 1920.

A. R. P. N.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITUS GENERALIS

A DIE 11 FEBRUARII 1915.

(Via S. Nicola da Tolentino 8 — Roma 30).

P. Franciscus de Paula Nalbone, *Assist. Ital.*, Prov. Sic. *Praef. vai., Conf. dom.*
P. Rudolphus van Oppenraaij, *Assist. Germ., Conf. dom.* » Neerl.
P. Eduardus Fine, *Assist. Gall., Admon., Conf. dom.* » Lugd.
P. Iosephus Barrachina, *Assist. Hisp., Praef. spir., Conf. dom.* » Arag.
P. Hermannus Walmesley, *Assist. Angl., Conf. dom.* » Angl.
P. Iosephus Hanselman, *Assist. Amer., Conf. dom.* » Mar.-N. E.
P. Petrus Tacchi Venturi, *Secr. Soc., Script. hist. Soc.* » Rom.
P. Alfredus Maertens, *Proc. Gen., Conf. dom.* » Belg.
P. Paulus Zunino, *Min., Proc., Praef. sac. dom.* » Taur.
P. Beccari Camillus, *Postul. Gen. causar. NN. Ven. et Beat. (in Univ. Greg.).* » Rom.
P. Besson Iulius, *Parat revis. Instit.* » Tolos.
P. Cassiani Ingoni Iulianus, *Subst. Secr., Expl. med. FF. CC. per vic.* » Ven.
P. de Champs de S.t Léger Petrus, *Subst. Secr.* » Franc.
P. Ferreres Ioannes B., *Parat revis. Instit.* » Arag.
P. Galdos Anicetus, *Parat regesta.* » Cast.
P. Gerste Achilles, *Adiut. Secr., Praef. lect. ad mens.* » Belg.
P. Goetstouwers Ioannes B., *Adiut. Secr. Soc.* » Belg.
P. Gonthier Carolus, *Rev. Gen. libr.* » Lugd.

P. Hernández Paulus *Parat regesta. Expl. med. FF. CC. per vic.* Prov. Arag.
P. Kleiser Alfonsus, *Adiut. Secr. Soc.* (*Exaten. bij Baexem, Holland, L.*). » Germ.
P. Mac Mahon Gulielmus, *Subst. Secr., Praef. bibl.* » Angl.
P. Marchetti Octavius, *V. Postul. Gen. causar. NN. Ven. et Beat., adhort. dom.* (*in Univ. Greg.*). » Rom.
P. Palermo Lazzarini Dominicus M., Rev. Gen. lib. (in Univ. Greg.) » Rom.
P. del Páramo Nicephorus, Subst. Secr. » Leg.
P. Rabeneck Ioannes B., *Rev. Gen. lib.* » Germ.
P. Schröder Eduardus, *Soc. Proc. Gen.* » Neerl.
P. Siemienski Stanislaus, *Adiut. Secr. Soc.* » Pol.
P. Thill Ernestus *Parat revis. Instit.* » Germ.
P. Waters Leopoldus, *Adiut. Secr. Soc.* (*Exaten*). » Neerl.
P. Werner Otto, *Subst. Secr.* » Austr.

COADIUTORES.

Baguñá Narcissus, *Aman., Ian II, Ad dom., Soc. exeunt.* Prov. Arag.
Banquells Ignatius, *Soc. I. A. R. P. N. Gen., Aman., Aedit., Vis. noct.* » Arag.
Beckmann Godefridus, *Soc. II. Adiut. Secr. Soc.* (*Exaten*). » Germ.
Del Vecchio Vincentius, *Aman., Infirm., Ad dom., Soc. exeunt.* » Rom.
Durelli Ioannes, *Adiut. Aed., Ad dom., Soc. exeunt.* » Ven.
Grau Theodorus, *Aman., Adiut. Praef. bibl., Vis. med. et exam., Ad dom., Soc. exeunt.* » Arag.
Herrero Aemilius, *Soc. II. A. R. P. N. Gen., Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* » Leg.
Huete Antonius, *Praef. tricl., Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* » Tolet.
Iannarelli Philippus, *Sart., Cust. vest. et lint., Tons., Vis. mat., Ad dom.* » Rom.
Lo Iacono Iosephus, *Empt., Coq., Cell.* » Sic.

Oteiza Esdras, *Aman., Adiut. infirm., Comp. mss. et libr., Ad dom., Soc. exeunt.* » Cast.
Prieto Iosephus, *Soc. Proc. Gen., Ad dom.* » Leg.
Przewlekly Franciscus, *Cust. pen., Adiut. coq. et cell., Ad dom., Soc. exeunt.* » Pol.
Weidinger Ioannes B., *Aman, Ian. I., Ad dom., Soc. exeunt.* » Ven.
Wenzel Iosephus, *Soc, I. Adiut. Secr. Soc. (Exaten.).* » Austr.

Sac. 26 — Coad. 13 — Univ. 39.

N. B. – A die 1 vel 2 augusti ad finem mensis septembris Curia Societatis extra Urbem degit, Rufinella, Frascati. Prov. di Roma. A die autem 2 ad 16 augusti, quibus diebus ipsa vacationes maiores agit, et a die 18 septembris ad 27 eiusdem mensis, quo tempore Exercitiis spiritualibus operam dat, *ordinarias consultationes suspendit et consueta negotia non expedit.*

Quicumque ex officio ad Patrem Nostrum scribit, utatur charta 26 cm. longa et 20 cm. lata (anglice 10 ½ et 8 unc). Perscribat autem latine nitidisque litteris; relicto dextrorsum convenienti margine; epistolam demum, tabellariorum expensis *plene* solutis, tenaci committat involucro.

B). — CAUSAE ET CULTUS SANCTORUM SOCIETATIS.

a). — CAUSAE.

Causae Beatorum.

B. Andreas Bobola. — Constans in Polonia ab avis ad nos usque transmissa narratio fert, B. Andream Bobola, cum sacerdoti cuidam e Patribus Praedicatorum anno 1819 se spectabilem praeberet, praedixisse: fore ut, cum ad confinia urbis Pinsk atrox omnium Europae nationum bellum flagraret, Polonia, libertate recuperata, ipsum Sanctum ac Patronum invocaret. Quandoquidem vero iam bis ad illud oppidum maximi nostrorum temporum belli pugna saevissima pugnata est, de sacro Andreae Bobola corpore eiusque in dies magis magisque crescente cultu ac studio obtinendi illi Sanctorum honores, pauca referre iuvat.

Ne vicissitudines inter atque insectationes Poloni spem servandae patriae in caelesti patrono collocatam amitterent, eius memoriam numquam non coluerunt, ita ut pietatis causa

quater decursu ducentorum sexaginta annorum sepulcrum recluderint, qua occasione, toties corpus incorruptum est inventum. Post septuaginta annos a gloriosa Martyris morte, quae die 16 maii 1657 accidit, aperto corpus ex oppido Pinsk Polociam (Polock) in templum Societatis Iesu translatum est, quod deinde Patribus anno 1820 ex Russia expulsis et occupato a schismaticis templo, in sacram PP. Praedicatorum aedem depositum fuit ibique adhuc remanet.

Magnam strenuo huic fidei assertori gloriam annus 1853 attulit, cum Pius IX Andream Bobola in Beatorum numerum retulit. Ea occasione tumulus denuo apertus est et omnium oculis patuit corpus omnino incorruptum.

Delapsis quadraginta circiter annis, Episcopus auxiliaris Mohiloviensis, RR. Albinus Symon, sacrum cadaver recognovit, quod intactum invenit ac novis sacerdotalibus vestibus induit

Polonia denique reviviscente, duos ad sepulcrum suum praecipuos invitat Bobola viros, Antistitem amplissimae dioecesis Mohiloviensis, RR. Eduardum de Ropp, et Rectorem Collegii Chyroviensis, de exilio Sibiriae, quo eum Russi per summum nefas coniecerant, faustissime deductum. Posterorum memoria dignus fuit hic dies 17 novembris anni 1917. Archiepiscopus enim, Patre adiuvante, aliis iterum et perpulcris vestibus martyrem ornat, corpusque, detractis tribus costis, in nova arca eaque pulcherrima, quae illud per vitra spectabile praeberet, reposuit. Et sane cernere erat vultum, manus, pedes esse colore pullo ; nasum obtruncatum ; cavum oculi dextri vacuum et magnum ; e labris illud quod superius est vix distinctum, quod vero alteri subest incorruptum, inferiores dentes integros ; genas leves, sed frontem et mentum rugosa ; deesse aurem dexteram ; pileolum capillos contegere ; manus dexterae cutem et carnem optime servatas, laevam autem eiusque digitos cutem praeseferre aliquantum corrosam ; nervos bene extantes ; posteriorem costarum partem discissam. Corpus valde parvum est, cum centimetra circiter centum et quinquaginta non superet, neque dici potest tam floridum, quam erat primis quinquaginta annis ab obitu. Attamen unus e sacerdotibus qui illud vetustis exuebat pannis asseruit, eius cutem esse colore flavo, seque dum humeros teneret, sensisse tactu carnem mollem non secus ac in homine vivo. Supra pectus

et costas nihil carnis est, quippe quae taedis adusta et flagris fuisset discerpta. Licet sit dextra, desunt tamen ei brachium, quod RR. DD. Episcopus Lubienski anno 1857 ad R. P. Petrum Beckx, olim ipsi ministrum a confessionibus, misit, in templo Societatis Romae adservandum, et unus digitus, quem idem Praesul Summo Pontifici Pio IX dedit.

Sacris exuviis de integro, ut narratum est, adornatis et loculo in templo conditis, dies festus ac splendida pompa a christifidelibus summa pietate ac laetitia aguntur. E remotissimis enim Poloniae finibus triginta sacerdotes magnas populi catervas ad caelitis Patroni aram duxerunt, eius corpus veneraturi, quod notas crudelissimae necis pro Christo et Ecclesia fortiter toleratae cunctis clare incorrupto in corpore patefacit.

Mirum quantum haec auxerint cultum erga B. Andream. Kijowiae (Kijew) illico eius imagines typis exprimuntur et, addito brevi vitae commentario, in vulgus late sparguntur. Varsaviae, in urbe Poloniae principe, sollemnia in triduum eius honori celebrantur. Quidquid ex vetere sepulcro asportare licuit, complurium populorum pietati prudenter conceditur. Rector Chyrowiensis a RR. Praesule Eduardo de Ropp accepit pro Patribus Societatis unam e tribus costis, nuper ab eodem Episcopo e corpore ablatas, et Cracoviam secum tulit in nostro templo S. Barbarae collocandam. Res magnifice apparateque peragitur. Praemissis novendialibus, die 28 maii confluunt ad Residentiam ingens civium multitudo omnesque urbis consociationes ac sodalitates. Quatuor Patres venerandam costam, gestatorio in solio alte prostantem, e domo in templum deferunt ; pone eos incedit primus Episcopus Cracoviensis, dein alii duo Antistites, Tarnoviensis videlicet et auxiliaris Cracoviensis. Ad sacrae aedis fores tres Moderatores ordinum religiosorum, scilicet S. Dominici, Missionariorum et Conventualium, quibus quartus iungitur cathedralis cracoviensis legatus, e Patrum Societatis manibus reliquias excipiunt et in altari B. Andreae, pretiosissime ornato, deponunt. Gratiis actis Deo Omnipotenti pro recuperata patriae libertate hymnoque ambrosiano decantato, populo benedicitur.

Domus probationis 's Heerenbergensis (Prov. Germ.) veterem arcam habuit, quae sacrum corpus multos annos custodierat ;

linteum item, hac illac flavis conspersum maculis, in quo illud involutum iacuit, Provinciae Germaniae tributum fuit.

Ornamenta sacerdotalia, quibus Martyr amictus antea fuerat, Pelociam in templum Deiparae a SSmo. Rosario convecta sunt, ut fidelibus, religionis causa, minutatim distribuerentur.

Ut a Deo impetrentur citius Beato nostro Sanctorum in terris honores, in omnibus Provinciae Poloniae templis quotannis supplicationes triduo fient. Praeterea eadem Provincia sodalem Romam misit, qui documenta pararet ad novam Bobolae vitam exarandam.

Causae Venerabilium.

Ven. P. Claudii de la Colombière. — Eligitur mense septembri novus Vice-Postulator, P. Iosephus Zelle, Parodii degens (Paray-le Monial).

Ven. P. Iuliani Maunoir. — Mense aprili expleta est altera scriptorum censura, qua prima confirmatur et ea refutantur, quae obiecta fuerant. Hoc iudicium sequenti anno probandum subiicietur Eminentissimis Patribus Cardinalibus.

Ven. P. Pauli Cappelloni. — Iubetur novus Vice-Postulator P. Antonius De Francesco, qui mense iulio accipit litteras remissoriales ad conficiendum processum apostolicum continuativum *super virtutibus et miraculis in specie.* Mense decembri prima eius sessio habita est.

Ven. P. Roberti Bellarmini. — Ad solvendam quaestionem de modo procedendi, cum in ipsa S. Rituum Congregatione alii opinarentur denuo agitandam esse disceptationem de virtutibus in gradu heroico in Congregatione praeparatoria, alii edendum esse a Summo Pontifice sine alia disputatione decretum de virtutibus, ipse Romanus Pontifex hoc Rescriptum autographum ad Em. Card. SS. Rituum Congregationis Praefectum misit : « In Congregatione ordinaria, solis Cardinalibus et Praelatis officialibus praesentibus, Promotor Fidei faciat relationem obiectivam de statu causae relate ad virtutes Ven. Bellarmini, et praedicti Cardinales et Praelati rogantur responsum dare sequenti dubio : « An, attenta relatione R^mi^ Promotoris Fidei circa causam de virtutibus Ven. Roberti Bellarmini, ita virtutes ipsae sufficienter discussae appareant, ut tuto procedi possit

ad ulteriora ad effectum Beatificationis ». Procurator Fidei relationem praedictam, ut iussus fuerat, concinnavit et prelo commisit. Congregatio vero ordinaria nondum coacta est. Rogandus enixe Deus ut, amotis quibuslibet impedimentis, anno sequenti tandem cogi possit.

Causae Martyrum.

MM. Canadensium. — Mittuntur ad novum Vice-Postulatorem, P. Theophilum Hudon, litterae remissoriales, ut processum apostolicum ordinet *super Martyrio et causa martyrii.* Mense septembri inchoatum est.

MM. Elicurenses in America Meridionali. — Post novem fere annos finis impositus est vertendo exscribendoque processui informativo, qui Advocato traditur, ut exaretur *Positio.*

Causae Servorum Dei.

S. D. Bernardi de Hoyos. — Mense octobri perfectus est processus apostolicus continuativus *super virtutibus et miraculis in specie* : brevi Romam mittetur.

S. D. Francisci M. Galluzzi. — Habitae sunt aliae viginti quinque sessiones processus informativi romani in aula Postulationis Generalis Societatis Iesu.

S. D. Petri I. de Clorivière. — Post solutas difficultates, quae licet extraneae fuerint causae, obstabant nihilominus ne haec institueretur, apertus est et exscribi coeptus processus informativus. Deligitur Vice-Postulator P. Marcellus Baron, qui Lutetia Parisiorum (Paris) modo dat operam parando duplici processui, nimirum *super non cultu* et de scriptorum inquisitione.

b). — CULTUS.

S. Ioannis Berchmans. — Haud communia praeparantur religionis et laetitiae signa, in Belgio praesertim ac Romae, honori S. Ioannis Berchmans, cuius ab obitu trecentesima lux erit 13 augusti anni 1921. E rebus bene multis has interim iuvat decerpere.

PP. Bollandistae iam composuere et in lucem dabunt *Analecta de S. Ioanne Berchmans* — *Analecta de corde S. Ioannis Berchmans*, quae complectuntur tria monumentorum genera,

scilicet : primo, *Collectanea de S. Ioanne Berchmans* a Patre Bauters, caelitis nostri in tirocinio Magistro, ad P. Virgilium Cepari missa; secundo, nonnullas de sancti iuvenis morte narrationes, quarum aliquae numquam editae fuerunt ; tertio, documenta de corde Ioannis, quod Pater Van Doorn Roma Lovanium attulit.

P. Alphonsus M. Stradelli vitae commentariolos scripsit multis ornatos imaginibus, ut in vulgus facillime spargerentur.

B. Petri Canisii. — Neomagi (Nijmegen, Prov. Neerl.) media aestate cives circiter mille et quingenti in aulam urbis maximam ad diem festum agendum convenerunt, ut simul consilia caperent, qua ratione celebrandus videretur dies natalis concivis sui, B. Petri Canisii, post ambitum quatuor saeculorum rediens octavo idus maias 1921. Mens est, statuam erigere civi sanctissimo atque eruditissimo in urbis platea cui, non secus ac viae qua ad eam itur, iam nomen est *Canisius*. Oratores duo, alter Dominicanus, Franciscanus alter, ad confertam illam concionem verba facientes, multa in laudem B. Petri congesserunt, et cum ad Societatem Iesu oratione digrederentur, quae de iuventute ac populo neomagensi bene merita ab ipsis dicebatur, subito exorta sunt ovantium acclamatio et plausus.

II. — DE SINGULIS PROVINCIIS.

A). — PROVINCIARUM ADMINISTRATIO.

a). — *Nominationes Superiorum maiorum.*

Administrationem suscipiunt :

11 *ian.* — R. P. Augustus Coemans Provinciae Belgicae Praepositus ;

6 *feb.* — R. P. Ioannes Cañete Provinciae Toletanae Praepositus;

11 *apr.* — R. P. Candidus Mendes Provinciae Lusitanae Praepositus ;

4 *maii.* — R. P. Iosephus Vergara Peruviae et Boliviae Superior quae sunt Provinciae Toletanae conspicuae partes;

12 *oct.* — R. P. Stanislaus Sopuch, Provinciae Poloniae Praepositus;

24 *oct.* — R. P. Ioannes B. Natalini Provinciae Romanae Vice-Praepositus, renunciato Visitatore Provinciae Neapolitanae Praeposito romano R. P. Carolo Miccinelli ;

4 *nov.* — R. P. Antonius Argáno Provinciae Taurinensis Vice-Praepositus, cum huius Provinciae Praepositus, R. P. Petrus Boetto, ex Italia in Hispaniam profectus sit Aragonensem Provinciam visitaturus ;

3 *dec.* — R. P. Antonius Pinto Brasiliae Septentrionali Superior, quae pars est ampla Provinciae Lusitanae ;

8 *dec.* — R. P. Carolus Leifert Provinciae Austriae Praepositus ;

— - R. P. Ioannes Kujundžić Vice-Provinciae Iugoslaviae Vice-Praepositus ;

— - R. P. Leopoldus Skareck Vice-Provinciae Cecoslovachiae Vice-Praepositus.

b). — Novae Provinciae vel mutati Provinciarum fines.

Novum Mexicum et Colorado, quae Foederatae Civitates hactenus titulo Missionis a Provincia Neapolitana dependebant, die 15 augusti ab hac dividuntur et partim Missourianae, partim Neo Aurelianensi Provinciae adscribuntur (1). Quapropter Missouriana haec accepit domicilia: Collegium Denverianum et Residentias Connexensem, Delnortensem, Denverianam, Populanam, SS. Trinitatis ; Patres autem triginta duos, totidem Scholasticos, Coadiutores temporales quatuordecim. Neo Aurelianensis vero obtinuit Residentias duas, Albuquerquensem et Elpasensem, Patres viginti tres, Scholasticos undecim, Coadiutores temporales octo.

Die 8 decembris constituitur Vice-Provincia Cecoslovachiae. Octo habet domicilia, scilicet sex separata a Provincia Austriae, quae sunt : Domus probationis Velehradiensis, Collegium Mariascheinense, Collegium inchoatum Pragense et Residentiae Hostynensis, Pragensis, Reginae Hradecensis ; duo vero ei obtigerunt ex Provincia Hungariae, nimirum Domus probationis Tyrnaviensis et Collegium Posoniense.

Eodem die decretum editur, quo Missio Croatiae, a Provincia Austriae dudum seiuncta, rationem Vice-Provinciae assequitur, indito nomine Iugoslaviae, simulque ei adiicitur Re-

(1) Cf. *Acta Rom.* III (1919) 119 sqq.

sidentia Labacensis (Ljubljana) in finibus Carniolae, quae hactenus ad Provinciam Austriacam pertinebat.

c). — *Domus novae aut instauratae.*

Romae Summus Pontifex, grati animi causa erga Athenaeum, in quo studia theologica adolescens peregit, solum ad novas aedes Universitatis Gregorianae excitandas emi voluit nomine Sanctae Sedis.

Ibidem antiquae Domus professae ad SS. Nominis Iesu, quae fuit Praepositorum Generalium sedes, parva pars templo proxima nobis reddita est. Ea constat tredecim cubiculis praeter aulam, qua Patres pro triclinio utuntur. Brevi antiquum atrium, quo ex aede in Domum Professam patebat aditus, adiicietur una cum contiguo sacello Congregationis Nobilium, quod nobis carissimum et veluti domesticae laetitiae et historiae monumentum est, quippe in eo Pius VII f. r. legit ac promulgavit Apostolicas Litteras *Sollicitudo omnium ecclesiarum*, quibus Societatem in universo mundo restituit.

Fundus quem Institutum Biblicum dudum emit Hierosolymis multo maior est, quam qui soli domui aedificandae par sit, et in ea urbis regione mox comprehendetur, quae crescente urbe praecipua erit. Nam Anglorum consilium est novam urbem condere, quae veteri ad occiduam partem adiaceat et apta ratione respondeat, ita ut omnes novae viae plateam, quae media in urbe patebit, recta petant. Latus porro quoddam fundi nostri hanc ipsam plateam terminat. In praesentia Reipublicae rectores non permittunt, ut aedes construantur, neque vero prudentis sit id nunc tentare. Interea Hierosolymis degit Pater, qui negotium nostrum procurat.

Medio octobri, cum ubique in Italia publica gymnasia suas instaurant praelectiones, *Panormi* (Palermo, Prov. Sic.) inchoatur Collegium « Gonzaga ». Primi qui adlecti sunt adolescentes, fuerunt quadraginta unus e praecipuis plerumque opulentae urbis familiis, quae Societatis Collegium summa laetitia et gratulatione salutavit, et iam optat habere templum aedibus Patrum contiguum.

Augustae Taurinorum (Torino, Prov. Taur.) ampla et pulcra Domus Exercitiorum, cuius fundamentum iactum est die fau-

stissimo centenariae commemorationis Societatis restitutae (1), nunc tandem operibus constructionis plane absolutis, inauguratur (3 maii 1919). Ea miro sancti Ioseph patrocinio a militibus immunis servata est belli tempore ; omnia vero ita ordinata habet, ut percommode inservire possit excipiendis tum opificibus tum sacerdotibus. Ex his porro sex ordines illico auctoribus Episcopis, exculti sunt qui militaria signa sequi debuerant.

Goritiae (Gorizia, Prov. Ven.) domicilium quod hactenus Residentia erat, Collegio Foroiuliensi ad rusticandum autumnali tempore destinata, die sacro memoriae s. Stanislai Kostka mutatum est in Domum Probationis, necessariis accommodationibus peractis. Novitios scholasticos viginti unum et Coadiutores temporales decem excepit.

Aquisgrani (Aachen, Prov. Germ.) nova domus empta est et habitari coepta a Patribus, quae ex Statione in veram Residentiam coaluit.

Locus est ad Rhenum in regione confluentina (Koblenz), qui *Waldesruh* (bei Bendorf, Prov. Germ.) appellatur, partim silvis consitus, partim hortis campisque ferax, cum domo amplius sexaginta cubiculis instructa. Hanc cum Socii venalem invenissent, emerunt ut esset domus Exercitiorum ; quorum causa statim ab ineunte novembri iam quinquies aliquot sacerdotes, militia defuncti, ludimagistri vero semel et pariter semel iuvenes studiosi in eam secesserunt.

RR. DD. Adulphus Bertram, Princeps Episcopus Vratislaviensis, annuente civili magistratu, domum ac templum S. Clementis *Berolini* sita (Berlin, Prov. Germ.) Societati tradidit. Hoc modo Nostri, relicta Statione. Residentiam instituerunt in ipsa urbe, quae Borussiae caput est. Alibi quoque novis Residentiis initium fit, nimirum Bonnae (Bonn), Coloniae (Köln), Confluentibus (Koblenz), Francofurti (Frankfurt a. M.). Treviris (Trier).

Offertur Provinciae Germaniae Collegium Hubertinum in oppido *Godesberg* prope Bonnam, quod ad paroeciam pertinet ; est unica ibidem schola, quinque classes habet cum iure publico instituendi studiorum pericula. (2)

---

(1) Cf. *Acta Rom* I (1914) 80 sqq.

(2) Nova domicilia Provinciae Poloniae recensuimus superius, p. 86.

Cum Patres Provinciae Tolosanae ex urbe *Victoria* (Vitoria, España), quo gallicae ab Ecclesia separationis tempore profugerant, nunc in patriam redirent, tam magnum Societatis desiderium tamque utilia opera ad aeternam populi salutem reliquerunt, ut cives discessum illum graviter moererent, neque recrearentur, nisi cum Patres Provinciae Castellanae Sodalium abeuntium locum ac labores susceperunt. Sic Victoriensis Residentia huic Provinciae accessit.

Regio decreto conceditur Residentiae *Palmensi* (Palma, Prov. Arag.) in insulis Balearibus pars magna antiqui Collegii nostri « Montesión », clarissimi memoria ac sanctimonia Alphonsi Rodericii et Petri Claver.

In urbe *Chillan* (Prov. Arg. Chil.) emitur domus quae inserviat Scholae Apostolicae et Domui Probationis : scribunt iam praesto esse aliquot candidatos.

Ad *Comillas* (Comillas, Prov. Leg.) emitur fundus Collegio maximo condendo.

Item *Salmanticae* (Salamanca, Prov. Leg.) ad construendam Domum Probationis.

Flumine Nigro (Rio Preto — Brasil, Prov. Lus.) Statio inchoatur, quorum Patres sacras ad populos vicinos expeditiones habeant.

Fundus Domui Probationis *Poughkeepsiensi* (Poughkeepsie, Prov. Maryl.-N. E.) comparatur, ut in eo aedificetur Domus valetudinaria totius Provinciae.

B). — NARRATA A PROVINCIIS AC DOMIBUS.

a). — *A Provinciis.*

Ut Scholastici Belgae omnium classium, a Novitiis usque ad ipsos Patres tertiae Probationis, ostenderent quantam Missionum exterarum Provinciae suae curam susciperent et quam magno studio ferverent illuminandi ethnicos luce verae fidei, novum annum non aliter Sodalibus in Missione degentibus felicem ominati sunt, quam offerendo pro ipsis praedivitem cumulum Sacrorum, Synaxium, rosariorum marialium, mortificationum et id genus aliarum rerum.

Memorandum accepimus nuncium, e fere ducentis Scholasticis Provinciae *Germaniae*, qui belli tempore militiam profiteri debuerunt, ne unus quidem vocationem ad Societatem deseruisse, sed omnes vix datis induciis ac pace composita, in domum religiosam et ad studia rediisse.

Borussiae rectores, rogante Domino Haenische, socialistarum assecla eodemque civili rerum religiosarum curatore, leges abrogant contra Ecclesiam quondam latas, quas reputarent contrarias decretis articulorum 111 et 124 novae legislationis. Abrogatio cum omnibus provinciarum praetoribus communicata est pridie kalendas ianuarias 1920, qua fit, ut Societas quoque Iesu domos ubique in Borussia possit excitare. Tota porro *Germania*, Nostri prudenter ac paulatim donata libertate utuntur, et quae antea Stationes erant, ubi potius delitescebant, quam socialem vitam degebant, eas nunc in Residentias bene ampleque constitutas mutant, quas antea recensuimus.

RR. DD. Bonaventura Cerretti, administer Cardinalis a Secretis Status pro negotiis extraordinariis, cuidam e Nostris testatus est, Sanctam Sedem laude singulari reputasse dignos Sodales Provinciae *Hungariae*, qui tempore civilium tumultuum optime se gessissent.

Dominus Knyper, clarus civilis Universitatis Amstelodamensis (Amsterdam, *Prov. Neerl.*) lector, declaravit se nostros Scholasticos in numero auditorum maxime praestantium habere.

Magna delectatione ac fructu Exercitia Spiritualia Fratribus Coadiutoribus Provinciae *Poloniae* una simul collectis, ceteris exclusis, tradi coepta sunt.

Ex quo pars aliqua Sinarum adscripta est Provinciae *Castellanae* et *Legionensi*, ingens praecipue inter Scholasticos ortum est Missionum desiderium, quod iam in ipso tirocinio hauritur et fervorem adipiscendi solidas virtutes servat ac magnopere fovet. Tantum illud est, ut diebus maioris vacationis hebomadariae videantur in sacello per vices toto die pastorem animarum nostrarum Christum, Sacramento tectum, pro Missionibus et ethnicorum salutem diutius exorare.

De Sodalium in Rempublicam *Mexicanam* reditu haec habentur: anno 1918 sex Patres iam ingressos esse, e quibus unum pie decessisse in Missione Tarahumarae, alium cito a satellitibus

detectum esse et iterum exilio mulctatum : sequenti anno Nostrorum multo maiorem manum in fines mexicanos penetrasse et, quae Dei gratia esset, satis tranquille libereque ibi degere, itinera capere, explanare Exercitia Spiritualia, habere sacras ad populum expeditiones, conciones, poenitentiae tribunal, quavis in urbe ; pro certo quoque credi Reipublicae rectores impedituros non esse, quominus Collegia instaurentur ; omnes autem Episcopos Societatis domum aliquam suis dioecesibus deposcere et populum operam Societatis avidissime exspectare. Horum omnium desideria fovere profecto non desinit praesentissimus fructus, quem *Consociatio Iuventutis Catholicae*, ubique fere diffusa et per Nostros recta, affert. Spes praeterea est fore, ut mense martio restituatur *Nuntius* SS. *Cordis Iesu et Apostolatus Orationis*. Attamen nulli adhuc sacerdoti aut religioso viro a Consulibus Mexicanis tessera liberi commeatus, ut in patriam revertantur, concedi licet.

Quidam e Nostris in *Anglia* cum lectores philosophiae et theologiae ex utroque clero ad habenda comitia Oxonium (Oxford) invitasset, fere triginta e Collegiis et Seminariis convenerunt. Res adeo feliciter cessit, ut ea delectati Episcopi decreverint, conventum ad studia superiora moderanda perennem futurum esse.

Ut alat suos Scholasticos, qui in dies numero augentur, Provincia Marylandiae-N. E. felicissime instituit eorum consociationem, qui pecuniam in hunc finem erogare vellent, quod idem fecit, annuentibus Episcopis, Provincia Missouriana. Primus qui huic foederi accessit fuit RR. Praesul Detroitensis ; sacri vero Antistites Crossensis et Milwaukiensis polliciti sunt, se quoque operam suam praestituros esse.

b). — *A domibus.*

Mense octobri huius anni 1919 Romam redire licuit Patribus lectoribus Instituti Biblici, qui, vel quia patria Germani alibi exsulare debuerunt vel quia natione Galli stipendia mereri coacti sunt, procul ab Urbe degebant: e Gallis tamen unus adhuc inter milites versatur, quibus procurat sacra. Cum itaque omnes iam adessent, die sexto novembris, qui SS. Cordi Iesu sacer erat, utpote primae hebdomadis sextus, hymnus in gratiarum actionem sollemniter decantatus est et gratum convivium

adornatum cui accubuerunt quoque Pater Noster et Assistens Italiae. Ita Collegium suis iterum fruitur lectoribus, quorum non ultima laus est fraterna caritas. Sane domi habentur Itali, Austriaci, Belgae, Germani, Neerlandi, Galli, Hispani, Lusitani, Hiberni, Americani, et nihilominus eadem omnes laetitia afficit, idem amor ; nec amicitiae, seu partium studia habentur neque simultates ob immania praelia quae hactenus eorum patrias misere disciderunt, sed cor unum et anima una. Ii qui in exilio erant (fas sit hoc uti verbo pro iis qui ex Urbe et suo Collegio bellica vi egredi debuerunt) pro tempore et facultate prosecuti sunt rei biblicae provehendae consulere et Societatis ministeriis nonnullam operam dare Qui in Helvetiam confugerat plurimos sermones biblicos habuit ad selectas multis in urbibus conciones ; haud raro etiam brevia studiorum curricula instituit octo vel decem praelectionibus, ad quas audiendas sacerdotes confluebant, quos inter alii e clero graviores presbyteri alii ex dissitis oppidis erant. Quae vero docuit ea typis quoque mandavit vernacula lingua, ut popularia fierent et latius spargerentur. Idem Pater saepe Exercitia Spiritualia explanavit praesertim sacerdotibus, et non parum catholicam iuventutem Tigurii (Zürich) iuvit, ut coetus atque consociatio iniretur, advocatis Societatis Patribus. Qui Monachium concesserant in studium incumbebant assidue. Fuit qui volumen periodicum *Stimmen der Zeit* aliquandiu moderaretur et opuscula concinnaret; fuit alius qui uni disciplinae, quam in Instituto docet, investigandae amplificandaeque ita se dedit, ut scripta lucubraret eruditissima, quae Romam deinde secum afferret, et in lucem quam primum ederet.

Triennio postquam Domus tertiae Probationis *Florentinae* (Firenze, Prov. Rom.) Patres non exceperat, eo quod Scholastici ad arma vocati fuerant, rursus eos obtinuit die Deiparae Lapurdensi sacro. Patres aderant tertiani viginti unus, quibus tres alii mox sese adiunxerunt, fere omnes e militia reduces. Ne tamen probatio, sero incepta, nimis brevis esset ad Instituti studium solide perficiendum et ad spiritus quietem ac renovationem consequendam, omissa sunt sacra per quadragessimam ministeria eo facilius, quod iis in militia plus minus Patres indulserant, ac demum finis probationi impositus est aliquanto post tempus consuetum i. e. die octavo septembri.

Cursus Magisterii in facultate theologica Universitatis Gregorianae, *Romae* hoc anno initus, decem et novem auditores habet, nimirum novem ordinarios, quorum quinque e Societate Iesu, duo e Missionariis a La Salette, unus e Collegio Polonorum, unus extra Collegia ; decem extraordinarios, scilicet unus e Collegio Germanico-Hungarico, unus e Carmelitis discalceatis, sex e Seminario Gallico, unus e Seminario Belgico, unus S. Ludovici Francorum.

Cum pia quaedam matrona aes contulisset ad aulam studiorum post scholas *Mutycae* (Modica, Prov. Sic.) gratuito constituendam, haec omnium bonorum plausu initium habuit pro alumnis gymnasii, lycei et institutionum technicarum, qui omnes illam frequentes celebrant.

In Residentiam *Tergestinam* (Trieste) quae, a Patribus Austriacis condita ad hoc usque tempus ad eosdem spectabat, ex desiderio Sanctae Sedis aliqui Patres Itali Provinciae Venetae mittuntur, qui eius curam suscipiant.

Novitii *Belgae*, qui suas sedes Arlunensem (Arlon) et Trunciniensem (Tronchiennes) relinquere belli causa coacti sunt, ad illas redierunt, alii ex Domo Probationis 's Heeren Elderen Provinciae Tolosanae, alii e domo Exercitiorum Alkensi. Scholastici vero Iuniores e Collegio Namurcensi (Namur) ab hostibus primum expulsi, deinde sponte migrantes ut locum darent succrescentibus Collegii alumnis, sedem fixerunt Truncinii, quam in urbem e Collegio Marneffensi (Marneffe, Prov. Franc.) reversi sunt Patres quoque tertiae Probationis.

Die 23 aprilis Em. Card. Vallisoletanus Nostris restituit ossa veneranda P. Martini Gutierrez, quae servabantur in sacello paroeciae Vallisoletanae S. Michaelis, sacris lipsanis custodiendis destinato. Mox in Domum Probationis *Carrionensem* (Carrion, Prov. Leg.) translata, ibidem reverenter recondita sunt.

RR. DD. Episcopus Palentinus (Palencia) e sacello antiquae Domus Probationis Villagarciensis (Villagarcia) dedit efferendum in Collegium Vallisoletanum (Valladolid, Prov. Leg.) die 20 septembris corpus P. Balthassaris Alvarez. Patres bene multi, instructo agmine, illud magna pietata comitati sunt. Ipsum una cum exuviis P. Martini Gutierrez in Domum Probationis Carrionensem devectum est.

c). — Insectationes.

Die 4 februarii *Lincii* (Linz, Prov. Austr.) populares tumultus orti sunt factiosorum hominum studio, qui, fame quae in urbe erat causam praebente, in publicum ordinem civiumque pacem impetum facere meditabantur. Turba primum multas negotiatorum tabernas praedantur ; dein sub noctem hora circiter septima cum dimidio, Collegium nostrum obsident et ut admittantur contendunt. Negato ingressu, ianuam quae ad aedificii latus est, debiliorem rati ictibus decutiunt et viam in aedibus sternunt irruentibus centum quinquaginta populatoribus, viris, iuvenibus, feminis, qui usque ad mediam fere noctem domo discurrunt. Imam Collegii partem omnino vastant, clausa ostia perrumpunt ; culinam, triclinium, cellas spoliant : e sacristia quoque linteamina cultui destinata furantur. Mox petunt cubiculum P. Ministri, qui simul Procuratorem agebat, illudque dum funditus diripiunt, arcam detegunt; sed postquam duas horas asciis et dolabris adlaborarunt ut eam aperirent, ipsos spes fefellit non invento pecuniae acervo, quem sibi somniarant. Sub mediam tandem noctem, ut centurio cum manu militum advenerunt tormentum bellicum secum trahentes displodendis ferreis fragmentis confertum, vastatio domus cessavit. Damnum illatum aequat fere sexaginta millia coronarum. Templum, sacella, aedes omnes et cubicula Patrum, excepto conclavi P. Ministri, servata sunt. Seminarium quoque incolume permansit, eo quod plebs ab alumnis rogata, ut ab incepta direptione sese cohiberet, puerorum vocibus victa, locum violare non est ausa. Nemo Sodalium aut discipulorum quidquam passus est, sed tantum Fratri ianitori. gladio ad pectus admoto, praedatores minitati sunt, se eum confossuros esse, nisi illico claves arcae nummariae ipsis daret. Quas se habere cum ille tranquillus negaret, a vi inferenda abstinuerunt. Primo mane amici, re intellecta, commeatum portarunt, ita ut consueta horarum partitio vix ad horam interrupta fuerit.

Collegium quoque Maximum *Oenipontanum* (Innsbruck, Prov. Austr.) et ei proximum Convictum *Canisianum* vulgus, tum fame male suadente tum etiam turbatoribus instigantibus, die quinto decembris eiusdem huius anni 1919 aggreditur. Antea tamen per urbem tumultuose vagatum, tabernariorum facultates

per vim et nefas diripuit ; postea religiosorum domos impetit, et in nostras irrumpit, cum alumni absunt, scholasticas praelectiones in Universitate audientes. Pretiosis vitris vario colore depictis infractis, eo se confuse praecipitant ubi asservabatur rerum edulium copia, et omnia secum asportant. Collegium iacturam fecit centum millibus coronarum aestimatam ; Convictus quoque simile detrimentum cepit. Convictores tamen illatas sibi iniurias christiana liberalitate rependerunt. Comparata enim sibi pecunia partim ex alumnorum collationibus partim a Collegio, a Convictu, a civibus ditioribus, opibusque habitis a Magistratu tirolensi et a praesidio italico, die festo instante Natalis Domini, mensa lauta trecentos pueros puellasque, summe egentes recrearunt. Ipsi enim iuvenes, post brevem parvulis convivis adhortationem, ferculum ex farina confectum, poma et praeterea dimidiam partem librae oryzae unicuique domum ferendam distribuerunt.

Convictus *Szatmarinensis* (Szatmár-Németi, Prov. Hung.) etiam postquam Hungaria a continuis cladibus respiravit, temporum diritatem maiorem prae ceteris expertus est. Postquam enim modo a legionariis, modo a valetudinariis militibus, modo a perduellium proletariorum communitate occupatus fuit, nunc a Rumenis tenetur, qui Patres veluti obsident, dispositis domi et in templo custodiis.

Capto a Cecoslovachis oppido *Karwino* (Karwina, Prov. Pol.) die 23 ianuarii, Patres Fratresque Residentiae una cum praestantioribus civibus in exilium et carcerem adducuntur, ubi tres hebdomadas detenti probra doloresque multos patientissime tolerarunt. Die decimo tertio februarii libertate donati, summo cum gaudio ab oppidanis suis rursus excipiuntur.

C). — MINISTERIA.

a). — *SS. Cor Iesu.*

Romae, die 23 februarii in templo maximo SS. Nominis Iesu constituitur ac splendido apparatu celebratur sedes Operis Consecrationis familiarum ad mentem Summi Pontificis, qui rem summe gratulatus litteras suo nomine mittendas curavit (Cf. *Acta Rom.*, III (1919) 30 sqq). Ingens aedes plena erat

confertissimo populo, qui magna pietate *Horam sanctam*, quam dicimus, peregit coram SS. Sacramento sublime elato in ara, moderatore Nuntii SS .Cordis multitudinem fervidis colloquiis, ut in preces et adorationem procumberet identidem adhortante. Agmen deinde fidelium supplicantium instructum est a viris patriciis et conspicuis, dum velum auro contextum extendebant supra SS. Eucharistiam Nobiles Excubitores Pontificis. Decretum quoque fuit, novum sacellum esse adornandum, ubi imago ss. Cordis proprio veluti in solio collocaretur.

Die 22 iunii Summus Pontifex Benedictus XV in aula Consistorii aedium Vaticanarum benevolentissime excepit legationem italicarum adiutricum Operis Consecrationis familiarum SS. Cordi Iesu, quas ad Beatissimi Patris pedes adduxit unus e nostris sacerdotibus, qui Opus tota Italia moderatur. Erant amplius sexcentae, aliae e paroeciis, ac templis urbanis, aliae e virginum religiosarum domibus. Hanc occasionem nactus, Pastor ac Pater supremus Christifidelium allocutionem sane gravissimam habuit, qua, vindicato opere Societati Nostrae, finem ac naturam istius Consecrationis late explanavit, sua ipse consilia de eadem late instanterque provehenda palam faciens. Eam retulimus in *Actis Rom.*, III (1919) 117 sqq.

Apostolatus virorum in *Germania*, quod opus non sine Patrum sollerti industria paucos ante annos institutum socios obligat ad sacram Communionem semel in mense sumendam pro Missionibus exteris, *Apostolatui Orationis* adscriptum est, cui proinde contulit ducenta millia hominum. Res in dies crescit, et mirum in modum auget sacrae Synaxis frequentiam.

Cum RR. DD. Adamus Stephanus Sapieha, Episcopus Cracoviensis (Kraków, *Prov. Pol.*) Romam venisset, a Summo Pontifice impetravit, ut totum negotium de consecrandis familiis SS. Cordi Iesu in universa Polonia Apostolatui Orationis, uti proprium munus, non secus ac idem Pontifex pro Italia iusserat faciendum, attribueretur. Ideo Societatis Patres, qui Apostolatum illum moderantur et Nuntium SS. Cordis in lucem edunt, impense in novum quoque opus incumbunt et iam viginti millia familiarum hoc ritu dedicarunt.

Piorum coetum, quem vocant *Opus sacratissimi Cordis Iesu*, iam belli tempore inceptum et ad nos usque continuatum, Patres *Lugdunenses* primi foverunt ac moderati sunt. Is hunc

finem sibi praestituit, ut inter milites cultum et amorem Domini Nostri Iesu Christi propaget. Imaginum et insignium SS. Cordis, quae milites gestarent, distribuit amplius ter decies centena millia. Fuerunt qui ferventi pietate moti sponderent scriptoque confirmarent, se singulis mensibus ad Eucharisticam mensam accessuros esse, ut Cor Iesu ita honorarent. Centum undeoctoginta millia bellatorum petierunt, ut ad suas familias magna SS. Cordis effigies mitteretur, domesticis parietibus suspendenda ac singulari cultu donanda. Septingenta octoginta altaria parva, quae facile quisque secum portare potest, sacerdotibus qui erant a sacris militum gratuito data sunt, et per quinque ipsos annos mille quingentis presbyteris, sive erant milites gregarii sive sacra exercitus procurabant, omnia litando necessaria constanter suppeditata. Bello absoluto, eadem facere prosequitur iis in regionibus, quas armorum furor depopulatus est.

Cum moderator generalis delegatus Apostolatus Orationis, qua epistolis, qua editis lucrubrationibus, qua colloquiis, omnes *Galliae* Episcopos incitasset ad publicum apparatum diei festi SS. Cordis Iesu, sollemnius instituendum, voti compos factus hoc tulit responsum :

VŒU DES CARDINAUX, ARCHÉVÊQUES ET ÉVÊQUES DE FRANCE

POUR LA CÉLÉBRATION SOLENNELLE DE LA FÊTE DU SACRÉ-CŒUR.

Afin de répondre plus complétement à la demande formulée par Notre Seigneur à Paray-le-Monial en ces termes: « Que le premier vendredi après l'octave du Saint Sacrement soit dédié à une fête particulière pour honorer mon Cœur en communiant ce jour là et en lui faisant réparation d'honneur par une amende honorable pour réparer les indignités qu'il a reçues pendant le temps qu'il a été exposé sur les autels ».

Afin d'obtenir la régénération chrétienne de Notre Patrie, Nous Cardinaux, Archevêques et Evêques de France, Nous nous engageons par vœu en Notre nom et au nom de Nos successeurs à faire célébrer solennellement chaque année, à perpétuité, dans toutes les églises et chapelles de Nos diocèses, la fête du Sacré-Cœur de Jésus, au jour qu'il a lui même indiqué, c'est-à-dire le vendredi après l'octave du Saint Sacrement...

Le programme de cette fête comprendra:

Pour les églises cathédrales, le matin, une grand' messe, qui pourra être la messe de communion; le soir, une cérémonie avec sermon, procession,

pendant laquelle on chantera les Litanies du Sacré-Cœur de Jésus, Amende honorable, Consécration au Sacré Coeur et Salut.

Pour les églises paroissiales et les chapelles, le matin une messe de communion aussi solennelle que possible; le soir cérémonie avec allocution, procession pendant laquelle on chantera les Litanies du Sacré Coeur, Amende honorable, Consécration au Sacré-Cœur et Salut.

Ce vœu sera lu dans toutes les églises et chapelles de Nos diocèses et on renouvellera chaque année cette lecture à l'approche de la fête.

(*L'Action Eucharistique*).

Valentiae in Hispania (Prov. Arag.) usus *Communionis reparatricis* valde amplificatur inter omnes militum ordines, multis distinctos eucharisticis coetibus, quos *choros* appellant. Uni ex his coetibus praeest supremus militum praefectus.

Cum Em. Cardinalis Quebecensis (*Quebec*, Prov. Canad.) anno superiore monumento SS. Cordis Iesu in publica urbis via a civibus nostrae paroeciae suis impensis erecto benedixisset, familiae eiusdem paroeciae mense iunio huius anni ante illud provolutae sese ipsi Cordi Iesu denuo consecrarunt. Boni incolae curant ut statua tota nocte electrico coruscet lumine, quo viatores ad Iesum adorandum invitentur.

Duplex Nuntius SS. Cordis Iesu in *Canadensibus* Civitatibus, alter gallica alter anglica lingua exaratus, nonaginta millibus exemplarium editur. Sedibus Apostolatus Orationis, quae duo millia centum sexaginta octo numerantur, adscitae sunt hoc anno quadrigentae quinquaginta quinque *scholae rurales.*

Nonnulla notatu digna, ab Apostolatu Orationis confecta toto tempore, quo bellum europaeum exarsit, scilicet ab anno 1914 ad ultimum usque diem 1919, accepimus. Conditae sunt amplius quinque millia novarum sedium (centre), ita ut omnes sedes creverint ad septuaginta quinque millia. Octo novi Nuntii editi sunt : danius *Aarhusii* (in Dania) vascus (Biscai'Ko) Bilbai in Hispania, vascus (Guipozcoa'Ko) Bilbai in Hispania, concanimus *Karachi* in India, hispanus *Bonis Auris* (Buenos Ayres) in Argentina, konkanus *Mangalore* in India, arabus *Berythi* in Syria, hispanus *Granadae* in Nicaragua. His accessionibus, Nuntii omnes numerantur quadraginta unus, triginta quinque linguis differentibus conscripti ; subnotatorum decies centena millia habentur, lectorum vero, cum multi non viritim, sed communiter librum emant, amplius centies centena millia.

Familiarum qui superiore quinquennio in Gallia sese devoverunt ss. Cordi Iesu sunt decies centena millia et quingenta millia, in Italia octingenta millia, in Belgio trecenta millia. Ex aliis nationibus nondum numerus certus et absolutus habetur.

b). — *Sodalitates Marianae.*

Cum Congregatio mariana iuvenum studiosorum *Cheriensis* (Chieri, Prov. Taur.) annum vigesimum quintum ex quo condita est, celebrare vellet, mira moderatorum ac iuvenum consensione sollemnia in triduum praeparata et indicta sunt, quae veram pietatem foverent cum sodalium cheriensium tum aliorum, qui voluerunt partem habere tantae laetitiae. Trecenti enim selecti iuvenes adfuerunt, partim ex Congregatione cheriensi, partim legati ex aliis urbibus Subalpinae ditionis, Liguriae, Insubriae, Aemiliae, ne de iis permultis dicam, qui ex tota Italia per litteras invitationi subscripserunt. Primus dies, qui fuit 15 augusti, Deiparae in caelum receptae sacer, in ipsa Beatissima Virgine honoranda insumptus est, mane in templo et vespere in academia. Altero die post sollemnes marianae religionis ritus, dissertationes habitae sunt de operibus Sodalitatum et, Rectore Collegii Cuneensis consilium ferente, decretum est, primum, ut in Subalpinis atque in Liguria foedus iniretur seu consociatio omnium Sodalitatum B. Mariae Virginis, quae suos haberet conventus statutis quibusdam temporibus; deinde, ut singulae Congregationes socios effingerent aptos, qui sacra christianae societatis praelia praeliarentur. Tertius dies honori SS. Eucharistiae praecipuae dedicatus est. In praesentiarum Congregationis cheriensis sodales numerantur centum octoginta, e quibus nonaginta sex pro centenis eam frequentant et cursui rite instituto catecheseos, quam Nostri et aliquot maiores natu iuvenes docent, intersunt. Ad quadraginta quotidie divina Eucharistia reficiuntur, omnes vero singulis mensibus ; viginti autem quotidie Sacro inserviunt.

Sodales Congregationis marianae inter alumnos Scholae Religionis Convictus *Patavini* (Padova, Prov. Ven.) antequam ad bellum proficiscerentur, sese Deiparae singulari formula in nostro sacello devoverant simulque petierant, ut bona Mater omnes ad unum servare incolumes vellet. Cum autem militia

iam defuncti, nemo ex iis defuisset, iterum omnes simul ante eandem Virginis imaginem convenerunt et, die festo magna cum pompa in eius honorem celebrato, tot ex argento expressa corda ad altare suspenderunt, quot erant iuvenes.

Venetiis, kalendis iuniis, omnes Sodalitates Deiparae Virginis in nostrum templum convenerunt, ut sui devotionem ex concepta formula sollemniter instaurarent. Multitudo spectaculo accurrerunt, ipseque Em. Card. Patriarcha cum verba faceret ad confertissimam iuventutem, a lacrimis se temperare non potuit ; cumque cerneret ingentem illius comprecationis fructum et permagnam ad Eucharistiam frequentiam, enixe rogavit, ut proxime instante die festo S. Aloisii Gonzagae idem ritus instauraretur.

Sodales mariani in *Austria* magis necessarii patriae nunc visi sunt, cum alumni scholae mediae non amplius teneantur lege scholastica obtemperandi iuribus religionis. Illi enim exemplo et adhortatione condiscipulos movent ad praescriptum Dei cultum certis diebus latius ac sponte profitendun, quod ut obtentu facilius sit, ipsi sua industria multum sacerdotem adiuvant.

Florianopoli (Florianopolis — Brasil., Prov. Germ.) constituta est Congregatio pro civibus nobilioribus, eique nomen dederunt ipse Provinciae Praeses cum viris conspicuis.

In *Katvicensi* Collegio (Katwijk, Prov. Neerl.) marianus coetus maior quendam diem festum cum ageret, sibi consociatos praesentesque habuit ducentos ex antiquis sodalibus, quos inter unus Regni administer duoque alii, qui perhonorifice eodem magistratu defuncti erant. Licet res simplici ritu confecta sit, alacri tamen animo illi viri Deiparae Virgini ac Societati Iesu gratulationem habuerunt, quarum cura ac praesidio munera omnia christianae institutionis, doctrinae atque humanitatis eo in Collegio habuissent.

Cum *Iacobopoli* (Santiago — Chile, Prov. Arg.-Chil.) instituendae essent scholae nocturnae pro opificibus et Patronatus, ut aiunt, dominicalis pro aliis pueris, cura illorum commissa est adscriptis Congregationi marianae, qui scholas nostras externi frequentant, istorum vero Sodalibus convictoribus ; omnes tamen in demandata sibi provincia a Sodalitatum moderatoribus reguntur.

In Domus professae *Valentinae* (Valencia, Prov. Arag.) Congregationem, quae a Deipara et S. Francisco Borgia nomen

habet, adscitus est summus militiae per eas regiones praefectus. Aderant pientissimo ritui duces exercitus, legati regiae Universitatis, Collegiorum, aliae Sodalitates marianae, turma militum, qui post suum praefectum sacramento Eucharistiae refecti sunt.

Sodalitas mariana in *Matritensi* Domo professa (Madrid, Prov. Tolos.) a B. Virgine de Columna et S. Francisco Borgia appellata, sociorum nobilitate ac numero eximie aucta est. Huic enim, adstante Nuntio Pontificio, nomen dederunt Infantes Regii Carolus M. de Caserta et Ferdinandus Princeps Bavariae, qui insignia Congregationis palam gestarunt ; post ipsos autem nova virorum accessio facta est.

Glasguae (Glasgow — Scotland, Prov. Angl.) nostrum Sodalitium marianum iuvenum studiosorum a magistratu legitime probatur, ita ut ius acquirat habendi dissertationes in aula publicae Universitatis.

In Provincia *Missouriana* a Praeposito consilium cogitur quatuor Patrum, qui inquirant, quae sint conditiones Sodalitatum et qua ratione hae hac nostra aetate in dies magis promoveri possint, ut fructus solidos uberesque afferant.

c). — *Exercitia Spiritualia.*

Florentiae (Firenze, Prov. Rom.) Nostri illud praeter cetera hoc anno existimationis pignus acceperunt ab Em. Card. Archiepiscopo Alphonso Maria Mistrangelo eiusque Vicario Generali, qui Patres summa semper benevolentia prosequuntur, ut omnes Archidioeceseos sacerdotes e castris revertentes Societatis sacris secessionibus iuvandos committerent. Idem accidit in vicinia, nempe in archidioecesi Lucanensi (Lucca) et in dioecesibus Fesulana (Fiesole), Pistoriensi (Pistoia) et Soanensi (Sovana).

Pars aedium Domus Probationis *Neapolitanae* sat ampla in Domum Exercitiorum vertitur usui praesertim sacerdotibus, qui ingenti desiderio operam nostram cupiunt; eorum mille et quinquaginta hoc ipso anno in quadraginta tres conventus distributi ibi Exercitia peregerunt. Iidem a Patribus excitati amplius duo millia libellarum ad stipem Petrinam (obolo di S. Pietro) libenter contulerunt.

Ut decreto de clericis a militia redeuntibus, a S. C. Consistoriali die 25 mensis martii 1918 dato, obtemperaret Em. Card.

Lualdi, Archiepiscopus Panormitanus, domum pro sacerdotibus reducibus sua in urbe designavit ubi S. Ignatii ascesin traderent Patres e Provincia *Sicula*. Quod cum cognovissent alii insulae Episcopi, complures suos quoque sacerdotes, qui stipendia meruerant, illuc eiusdem rei causa miserunt. Patres bini, quorum alter sacras commentationes explicabat et rem totam regebat, alter socius muneris erat, quatuor decies sacrum secessum sunt moderati; sacerdotes vero adfuerunt quingenti viginti sex. Fructus sane permagnus fuit, quem vehementer gratulati ecclesiastici praesides, minime abstinuerunt, quominus in dioecesana ephemeride operam Patrum dilaudarent. (Cf. *Foglio ecclesiastico Panormitano, ufficiale per gli atti arcivescovili*, XIV [30 nov. 1919) 87 sgg].

Nonnulli venetae regionis Episcopi Convictum *Patavinum* (Padova, Prov. Ven.) rogarunt, ut suas in aedes exciperent sacerdotes praesertim militia defunctos, eos Exercitiis Spiritualibus informandi gratia per octo continenter dies. Libenter concessum est, et Sacerdotes ita uno anno collecti amplius mille recensentur.

Patres *Belgae* quadragies hoc ministerium in omnibus dioecesibus potius regni ecclesiasticis viris adhiberunt ; septies autem per octo continenter dies, quod ibi hactenus inusitatum erat. Res optimo consilio incepit. Cum enim quidam e Nostris in academia nostrorum theologorum anno 1916 disseruisset de informandis ad perfectam vitae sanctimoniam sacerdotibus per octo ipsos dies ope Exercitiorum, fuit qui vellet illico rem prudenter tentare. Praeter rei novitatem, perdifficile videbatur eam consuetudinem inducere, ubi serpebant multorum in nostram rationem ac methodum praeiudicatae opiniones. Contra, si maius ac longius libri S. Parentis experimentum ab eternis sacerdotibus sumeretur, fieri non poterat, quin adversa omnia studia illico evanescerent. Et re quidem vera primi ducenti octoginta duo sacerdotes, quotquot fuerunt sequenti triennio qui productum in tempus sese exercuerunt, capti tanta luce ac notitia Exercitiorum S. Ignatii tantoque fructu cumulati, ipsi sibi plane satisfactum fuisse praedicarunt, et nonnulli Episcopi coeperunt sacerdotes suos ad octo dies ita ductu Patrum Societatis transigendos invitare.

In domum Exercitiorum 's *Heerenbergensi* (s Heerenberg, Prov. Germ.) cum Domo probationis coniuncta, quae sita est in Hollandia, e gymnasiis Francofurtensibus (Frankfurt). centum

et undecim alumni, superatis multis itineris difficultatibus se contulerunt ad Exercitia facienda, quae complures quoque viri ibidem iterare gavisi sunt.

Vughti (Vught, Prov. Neerl.) Superior domus Exercitiorum litteras a novo Episcopo accepit, in quibus postquam gratum suum animum erga Patres Societatis pandit ob accepta ab illis olim beneficia, profitetur se credere, hoc armorum genus, quod Societas proprium habet, esse unum e praecipuis aeternae salutis instrumentum illudque se ubique commendaturum esse. Hoc anno fuerunt ibi exculti tria millia nongenti septuaginta quinque homines, partim iuvenes partim adulti ; quos inter adfuit qui, sacerdotali vita cum mundanis moribus a multis iam annis commutata, tandem ab Episcopo enixe rogatus dies decem sacro in secessu posuit, unde ad meliorem frugem reversus est. In alias duas domos huic ministerio in Neerlandia destinatas circiter sex millia hominum concessere, spiritus perficiendi gratia, Patribus e Societate magistris.

Praeclarum in *Gallia* de ignatianis commentationibus monumentum extitit. Cum enim Episcopi iuberentur curare, ut sacerdotes e militia reduces illis per octo dies operam darent, permulti non aliis eos attribuendos esse censuere quam Patribus Societatis Iesu, ita ut amplius octo millia levitarum, divisa ordinibus ducentis, Nostri fecerint. Illud autem in gravi labore solatium attulit singulare, quod plurimi occasionem feliciter nacti sunt cognoscendi librum S. Parentis eiusque caelestia documenta penitus degustandi, sapientiae plena, quam antea non putarant in illis posse inveniri. Complures propterea statutum habuerunt, de integro in annos sequentes hunc solidae sanctimoniae thesaurum fodere et qui convenerant coacti, post unum alterumve diem se ita mutatos sensere, ut peculiari gaudio se divinae gratiae regendos deinde permitterent.

Per aestatem hac arte Patres *Legionenses* imbuerunt duo millia centum septuaginta sacerdotes, scilicet presbyteros omnium dioecesium quae intra Provinciae fines sita sunt, duabus dumtaxat exceptis.

d). — *Apologetica et catechesis.*

Bergomi (Bergamo, Prov. Ven) ut quidam iuventutis coetus, cui nomen « Club Alpe » ad recta religionis principia, a

quibus aliquantum deflexerat, revocetur, instituitur a Nostris cathedra apologetices.

Mutinae (Modena, Prov. Ven.), praeter apologeticam, series etiam praelectionum incepta est in aedibus RR. DD. Archiepiscopi ad iuformandos comparandosque idoneos catecheseos magistros; novo Patrum operi Praesul ac populus communi gratulatione acclamarunt.

Amstelodami (Amsterdam, Prov. Neerl.) eadem disciplina a Patribus Collegii S. Ignatii traditur acatholicis, qui circiter octoginta ex honestioribus familiis eam audiunt. Socii pariter auditoribus Universitatis popularis operam suam libenter navant.

Rotterodami (Rotterdam, Prov. Neerl.) quidam Pater e nostro Collegio Vetusbuscensi bis in mese ad trecentos protestantes, viros maximam partem cultos, de doctrina catholica disserit multa cum spe fore, ut multi ad veram fidem redeant. Mirum cuique erit, sacerdotem catholicum eumque Societatis Iesu sodalem, in arce liberalismi protestantici argumenta eiusmodi palam tractare non sine magna civium laude.

Florianopoli (Florianopoli — Brasil. Prov. Germ.) similes scholae ad omnes cives in Collegii theatro habentur singulis mensibus, quae imaginibus in lucidam carbasum proiectis intermittuntur et illustrantur.

Bahiae quoque (Bahia — Brasil. Prov. Lus.) in musaeo quod S. Vincentii a Paulo nomen habet, idem fit a nostro sacerdote unoquoque mense tanta populi voluptate, ut quidquid eruditorum hominum est in urbe ad illum audiendum accurrat.

Granadae (Granada — Nicaragua, Prov. Mex,) ordo institutionum apologeticarum a Nostris initur tum in Collegio publico tum in schola nocturna opificum; catechesim vero septem in sedibus, singulis hebdomadis, pueri docentur, qui e viis ac plateis suburbiorum colliguntur pulsu tintinnabuli.

Viginti ex alumnis Collegii S. Mariae in urbe *Monte Regali* (Montreal, Prov. Canad.), magnum religionis studium profitentes, diebus dominicis rudimenta doctrinae christianae tradunt pueris coloniae Sinensis.

e). — Opera misericordiae.

Centum et viginti adolescentes vindobonenses (Vienna) summa commiseratione ac liberalitate una cum quatuor ma-

gistris excepti vacationes maiores in aedibus Collegii *kalksburgensis* (Kalksburg, Prov. Austr.) duxerunt.

Rogatus a Legato Apostolico Rector Collegii *Linciensis* (Linz, Prov. Austr.) quinquaginta iuvenes studiosos vindobonenses per ferias aestivas et autumnales hospitaliter suas in aedes recepit, victum suppeditante quadam Americanorum consociatione. Neque tamen vires tantum corporis miselli recrearunt, verum etiam animum, peractis in triduum magno cum fructu Exercitiis Spiritualibus.

Neque oblivione praetereundum, licet non ad hunc, sed ad annos superiores pertineat, Scholasticos nostros *Oenipontanos* (Innsbuck, Prov. Austr.), tempore quo omnes bello detinebantur, trecenta sepulcra effodisse, cum deessent vespillones, qui id muneris factitarent.

Katvici (Katwijk, Prov. Neerl.) Patres voluissent inter suos alumnos cooptare quoque pueros austriacos, patria extorres ; sed cum omnia domi ita plena haberent, ut multas vel suorum popularium petitiones missas facere cogerentur, suis ipsi optatis satisfacere nequiverunt ; ne tamen omni se consolatione subveniendi infelicissimis adolescentulis abdicarent, unum ex his admittunt, ceteros autem in templo colligunt et quotidiana religionis cura prosequuntur. Persimile aliquid fecerunt Patres *Hagae Comitis* ('s Gravenhage, Prov. Neer).

Cum iam inde a belli initio magis ac magis numerus pauperum panem petentium ad ianuam Collegii *Neo Sandecensis* (Nowy Sacz, Prov. Pol.) augeretur, Nostri rem ita ordinarunt, ut efficaci quadam ratione, quantum fieri posset, illos adiuvarent. Quotidie igitur magna quadam cortina iusculum cum leguminibus domi nostrae decoctum in domum pauperum, haud ita procul sitam, per duos famulos, comitantibus duobus Scholasticis, deferebatur. Ibi ducenti pauperes tesseram coenatoriam manu tenentes iam diu prandium avide expectabant, cum haud pauci ieiuni ad horam usque primam post meridiem essent. Unicuique pro numero in tessera notato Scholastici iusculum ac panem dividebant, quae animo gratissimo turba inops accipiebat, Patres appellans veros patronos. Cum nihilominus eorum multitudo in dies cresceret, auspice Rectore Collegii, Consilium ad auxilium reperiendum institutum est a proceribus, quos inter eminebant R.^{mus} Decanus et praeses

urbis. Unus e Nostris, qui operis a secretis electus est, ad pagos et singulas domos itabat, stipem collecturus. Porro non pauca alimenta parochi ex vicinia mittebant, ita ut designata in domo, ministrantibus monialibus Servulis B. Mariae Virginis vulgo dictis, quotidie trecenta et quadraginta tenuia quidem, sed bona fercula gratuito apponebantur. Eorum tamen indigentia, qui propter belli calamitates in paupertatem ex honesto loco inciderant et familiae nomen ac decus veriti neque mendicare neque cum plebe coenare audebant, clam submissa pecunia aliisque rebus sublevata fuit. In eadem, quam diximus, pauperum domo sexaginta fere ex miserrimis ac maxime derelictis hominibus tecto excipiebantur; ibique sacellum apparatum est, quo eiusmodi inquilini cum non parva puerorum manu, quos e triviis diligentia Nostrorum deduxerat, convenirent quotidie ad conscientiam discutiendam precesque vespertinas recitandas, uno e Scholasticis formulas elata voce et membratim praelegente. Adhortatio etiam et doctrinae christianae praecepta diebus dominicis habebantur ad centum et quinquaginta pueros, quibus praeter consuetam mensam ientaculum quoque aliquandiu appositum est.

In urbe *Montis Regalis* (Montréal, Prov. Canad.) alumni Collegii S. Mariae, qui sunt ad sexcentos, caritate maxime laudantur. Hoc enim anno ea, quam dicunt, Conferentia S. Vincentii a Paulo, mille ducentas quinquaginta libellas dedit, inter pauperes familias distribuendas. Cum etiam ad opus Sanctae Infantiae, ad stipem Petrinam pro Summo Pontifice, ad subsidium providendum Collegio nostro Edmontensi (Edmonton) animum applicassent, his simul cunctis duo millia quingentas libellas contulerunt.

f). — Libelli periodici aliaque opuscula.

Periodici libelli *Le Missioni d. C. d. G.* in Provincia *Veneta* subnotatores altero huius anni 1919 semestri ad ducentos singulis mensibus crescebant, ita ut necesse fuerit ad proximas kalendas ianuarias exempla ex novem millibus septingentis ad tredecim millia augere; et licet ex hac non exigua librum ementium copia nondum ea pecuniae vis percepta fuerit, quae solvendo officinatoribus sufficeret (tanti nunc valet charta). ni-

hilominus pretium subnotationis maius non fit, ne quid fructus animarum amittatur ex maxima opusculi emissione.

Alter autem periodicus libellus, cui titulus *Die Weltmissionen der katholische Kirche*, a Patribus *Germanis* pro populo editus mirum in modum spargitur ac legitur, adeo ut, exeunte anno, quingenta millia consociatorum numeret.

Ut parochi eiusque adiutores laici, praesertim Sodalitatum B. M. V. addicti, rationem docerentur praeparandi ea omnia quae habendis fructuose sacris ad populum expeditionibus congruunt, e Domo Probationis *'s Heerenbergensi* ('s Heerenberg, Prov. Germ.) in lucem prodire coepit nova ephemeris, quae inscribitur *Neues Leben, Blätter für Vorbereitung auf die Volksmissionen*, tribus constans opusculis, addita pagina pro pueris, titulum praeferente *Der Kleine Apostel.*

Patres Seminarii *Saraievensis* (Sarajevo, Vice-Prov. Iug.) ad fovendam religionem inter viros cultos initium faciunt scribendo novo periodico libello *Život*, qui iam fere duo millia emptorum habet.

Iuvenes sexcenti e Collegio Sanctae Mariae in urbe *Monte Regali* (Montréal, Prov. Can.) ad fidem catholicam propagandam pios et eruditos libellos in vulgus fundunt, quorum hoc anno tria millia distribuerunt.

In Provincia *Missouriana* legatio Patrum deputatorum ad instructionem concinnandam de modo docendi catechesim suum ipsa librum confecit, quinquaginta sex paginis exaratum, qui supplendae institutioni studiorum anno 1915 ad Provinciam datae accedet.

In eadem Provincia cum quidam e Nostris in suo libro nuper edito *Democratic Industry* principia sociologiae catholicae ad certam quandam viam ac rationem redegisset, ita a Cardinali Westmonasteriensi vidit opus laudari suum, ut nonnulli eruditorum coetus in Anglia illud sequendum assumerent.

Octo novos *Nuntios SS. Cordis Iesu* vide supra in *SS. Cor Iesu*, p. 186 seqq.

Complura Collegia, aliorum exemplum secuta, libellos sibi proprios identidem edere coeperunt, qui in alumnis visam institutionemque Collegii iucundius promoverent et coniunctioni etiam cum antiquis contubernalibus aut condiscipulis inservirent.

g). — Varia.

Placentiae (Piacenza, Prov. Ven.) Circulus incipit cura Nostrorum, in quo iuvenes studiosi militiae adscripti quotidie ad vesperam rosarium Deiparae simul recitant aliasque pias exercitationes persolvunt, ipsis accommodatas ; unaquaque hebdomada audiunt tum aliquem Patrem de religione conferentem, tum aliquem ex ipsis commilitonibus de studiis socialibus disputantem ; singulis mensibus sacro secessui intersunt, utentes aliquo e nostris sacerdotibus magistro pietatis, et praeterea solida hora SS. Eucharistiam pro altari expositam devoti adorant.

Cortraci (Courtrai, Prov. Belg.) actum est magnum festum in gratiarum actionem Dominae Nostrae Groninganae, cuius imago in templo Residentiae colitur, ad votum solvendum, quo cives, auctore P. Superiore, sese obstrinxerant, ut patrocinium Deiparae contra belli pericula assequerentur. Episcopus Brugensis sollemniis praeesse voluit, et non minus quam octo millia virorum maioremque mulierum partem cum ovante gaudio gratulari conspexit.

Dies sanctis Cyrillo et Methodio sacer octoginta millia peregrinantium in sacra nostra aede *Velehradiensi* (Velehrad, V. Prov. Ceco-Slov.) vidit, patronos gentis slavicae veneratura, e quibus fere septem millia Synaxim celebrarunt.

Parva *Aarhusiensis* Residentia in Dania (Aarhus, Prov. Germ.) studet ad veritatem adducere protestantes, quorum, non copiosam quidem, sed plane selectam manum romanae fidei hoc anno restituit.

Inter ministeria Patrum *Aquisgranensium* (Aachen, Prov. Germ.) potissimum quemdam locum sibi vindicat diligentia conservandi studiosae iuventuti fidem ac bonos mores. In eum finem coactus est e scholis mediis circulus, ubi academiae de religione ac scientiis animique honestae relaxationes distinctis in aulis habentur. Qui hactenus circulo nomen dederunt ad quadringentos numerantur.

Novae Residentiae *Coloniensis* (Köln, Prov. Germ.) praecipua munera ad viros excolendos destinantur. Nostri enim e. g. moderantur quatuor Sodalitates hominum et consociationem omnium iuvenum studiosorum scholae mediae, quibus omnibus

verba faciunt praesertim de apologia religionis ; singulis mensibus sacerdotes colligunt et pietate informant ; nosocomiorum curam agunt.

Quod iuvenum catholicorum foedus in Germaniae urbibus a Nostris constituitur lateque diffunditur, illud in Dania condiderunt optimo fructu Patres Collegii *Hafniensis* (Köbenhavn).

Quidam e Nostris *Ultraiectum* (Utrecht, Prov. Neerl.) a protestantibus invitatus, ut ad ipsos de Sanctorum cultu diceret, id libentissime praestitit coram nonaginta quinque proceribus in domo supremi viarum lineis ferreis stratarum curatoris.

Ipsis hebraeis Christum praedicarunt Patres *Cracoviensis* Residentiae (Kraków, Prov. Pol.), nec frustra. Sacrosancto enim Christianorum ritu abluti sunt uno anno amplius viginti, quos inter sex auditores iuris in Universitate, duo auditores philosophiae et unus medicinae ; ex iis qui artes profitentur duo machinali scientia clari, tres mercatores, duoque milites.

Opus, cui titulus est *L'Action populaire*, Remis (Rems, Prov. Camp.) inceptum, Lutetiae Parisiorum instauratur; quantam vero laetitiam Summo Pontifici attulerit, videsis in *Actis Rom.* III (1919) 29.

Lutetiae Parisiorum (Paris, Prov. Franc.) pietas ac religio ope quorundam alumnorum antiqui nostri Collegii S. Genovephae florescere incepit in ea schola, quam vocant Polytechnicum, ubi ab annis sexaginta fere iacebat. Res eo magis lugenda erat, quo praestantiores ingenio iuvenes eo conveniebant, superioribus institutionibus matheseos ac physices imbuendi. Nunc vero quidam e Patribus cum in multorum animos influere paulatim potuisset, effecit primum, ut in templo scholae vicino Sacra horis commodis diebus dominicis fierent, ad quae audienda omnes ab amicis invitarentur : deinde ut ad colloquia convenirent, quibus fidei dogmata illustrarent diligentiore studio ; ac demum ut semel in anno ignatianae secessioni triduo se permitterent, quod superiore anno centum quinquaginta quatuor praestiterunt tam diligenti tacitae cogitationis studio ut omnibus admirationi essent. Circiter centum et quinquaginta bis in mense Sacro assistunt, quod pro ipsis omnibus fit, ut divina reficiantur dape. Hanc sumunt singulis hebdomadis amplius centum, nonnulli frequentius etiam. Complures sunt, qui cum facultatem habeant exeundi primo mane ut equitandi

artem addiscant, tam opportune se expediant, ut domum redeuntes SS. Eucharistiam sumant. Multi quoque scholae insignibus induti, quod ipsis magno honori vertitur, ad Deum sacramento altaris contectum adorandum se conferunt in basilica Montis Martyrum, quandoque etiam noctu.

Nostrorum labores in americana Republica *Venezuela* (Prov. Cast.) multa dignatur laude Cardinalis a Secretis Status. Cf. *Acta Rom.* III (1919) 29 sq.

In templo Domus professae *Bilbaensis* (Bilbao, Prov. Cast.) anno superiore sacra Eucharistia fidelibus distributa est quadringentis quindecim millibus ac centum vicibus.

Ut praepararet populos suae Provinciae ad festum diem Deiparae Immaculatae rite celebrandum Praepositus Provincialis *Legionensis* decem et septem Patres uno tempore concionatum misit, praeter eos qui ad idem munus a Superioribus domorum destinati fuerant.

Cum esset restitutum Societatis templum in urbe *Saltillo* Reipublicae Mexicanae, Patres qui anno superiore in eam post exilium reversi erant consueta ministeria uberrime denuo inceperunt. Initium factum a renovanda civitate Exercitiis Spiritualibus. Per maiora quadragesimae ieiunia iis sunt exculti mille quingenti viri, e quibus nonnulli post annos triginta vel quadraginta ad sacramentum poenitentiae tum rursus accesserunt ; item mille ducentae matronae atque sexcentae famulae ; aliis quoque bene multis per annum ea tradita sunt, nec non ducentis quinquaginta viris, qui carcere detinebantur. Institutae praeterea tres marianae Sodalitates, Congregatio Bonae Mortis et Apostolatus Orationis. Undeseptuaginta millibus septingentis viginti quinque vicibus caeleste ferculum fidelibus datum est.

Cum Archiepiscopus Liverpolitanus inquireret, quoties singulis annis Eucharistica mensa unicuique catholicorum apponeretur in universa archidioecesi, constitit quater et decies eam viritim apparari ; in nostro vero templo *Prestoniensi* (Preston, Prov. Angl.) quater et vicies.

Quidam ex Angliae Patribus se totum dedit ad eos quaerendos, quorum ad sacerdotium vel ad vitam perfectam vocatio bello vel interrupta vel excitata fuit. Sexaginta iuvenibus eiusmodi obtinuit, ut Collegia vel Seminaria vel Domos Probatio-

nis ingrederentur; totidem alios, qui studia conficere antea debent, in domo Exercitiorum B. Edmundi Campiani singulari cura prosequitur. Idem Pater dux est *Equitum SS. Sacramenti*, quorum complura millia post decem fere annos ab inito sodalitio Angliam et Scotiam bono Christi odore complent.

In templo nostro Immaculatae Conceptionis *Montis Regalis* (Montréal Prov. Can.) quotidie sexcenta civium capita S. Synaxim frequentant; singulis vero quibusque Domini diebus ad tria millia.

Magnam ad Sacrum audiendum frequentiam *Dublini* (Dublin, Prov. Hib.) habetur in Residentiae templo, ubi profestis diebus duo millia, festis vero decem millia fidelium recensentur. Dum agebantur supplicationes novendiales in honorem Deiparae Lapurdensis (Lourdes), ab Episcopis tota Hibernia praescriptae, viginti quinque millia fuerunt, qui Sacra de altari libaverunt.

In *Honduras* Britannica Patres Missouriani scribunt, ibi stationes omnes florentes esse, sodalitates atque Apostolatus Orationis ubique crescere, neque ullum fere esse hominum, quem Nostri aliquando non invisant.

D) — COLLEGIA EXTERNORUM.

Parvum Societatis Seminarium quod dicitur Schola Apostolica *Monoecensis* (Monaco, Prov. Taur.), relicta pristina sede, post brèvem moram in aedibus Collegii Maximi Cheriensis, hoc anno propriam stabilemque domum nacta est Augustae Taurinorum (Torino) non sine singulari Em. Cardinalis Augustini Richelmy liberalitate, qui licet adfuerit emptor paratus integram summam solvere, maluit aedes ecclesiastico usui dicandas nobis cedere, imminuto viginti libellis pro singulis centenis venditionis pretio.

Antuerpiae (Anvers, Prov. Belg.) in Collegio Dominae Nostrae floret opus, quod dicunt *Pro Apostolis*. Scilicet centum quinquaginta alumni e scholis superioribus sponte accedunt ad epulum divinum sumendum semel in hebdomada, Christum ferventius oraturi pro iis qui in Missionibus operam suam ethnicis ad fidem adducendis impendunt.

Supremus minister omnibus in Belgio studiis praepositus facultatem fecit Collegio S. Aloisii *Leodiensi* (Liège, Prov. Belg.)

conferendi discipulis scholae technicae titulum *Ingenieur technicien E. T. Lg.* (École technique de Liége), diplomate apposite concinnato. Item Collegio *Antuerpiensi* (Anvers) facta est ab eodem potestas tribuendi gradum academicum licentiae tribus in disciplinis, nimirum *Licencié en sciences commerciales et consulaires, Licencié en sciences commerciales et financières, Licencié en sciences commerciales du dégré supérieur.* Fertur Belgarum Rex aliquando dixisse: Iesuitas in omni re primas ferre.

Velehradiense Collegium (Velehrad, Vice-Prov. Ceco-Slov.) titulo ac iure *Pontificium* appellatur.

Feldkirchii (Feldkirch, Prov. Germ.) in Collegio *Stella Matutina*, ex duobus convictibus, qui antea erant, unus confectus est, libentissimis omnibus. Licet magna fuerit rei frumentariae inopia, quam belli europaei calamitas in urbem eiusque viciniam induxerat, non solum Nostri, verum etiam discipuli alacres in suum quisque munus incumbunt.

Florianopolitano Collegio (Florianopolis — Brasil, Prov. Germ.) concordi suffragio Consilii Superioris studiis provehendis praepositi concessum est, ut posthac paribus iuribus frueretur, quibus Reipublicae gymnasia utuntur, quod decretum supremus Magistratus die 23 martii ratum habuit.

Magistratus Serbus decem iuvenes e Montenigro in nostrum Collegium *Travnicense* (Travnik, Vice-Prov. Jug.) misit, ut ibi ad theologiam praepararentur.

Pécs in Hungaria cum Quinquecclesiense Collegium omnia timere debuisset ex Serborum in eas hungarici regni provincias ad meridiem positas irruptione, contra, summa Dei providentia, factum est, ut integrum liberumque servaretur. Serbi enim benevolos erga Nostros sese praebuerunt, ita ut licuerit convictorum numerum augere, multis adolescentibus loci defectu omissis: attamen externi scholas nostras frequentantes decreverunt numero. Hoc unicum Collegium in teterrima rerum publicarum eversione stetit incolume Patribus Hungaris, qui ex eo contra patriae perduelles et Ecclesiae hostes felicissimo exitu dimicarunt, editis periodicis libellis.

S. Aloysii festo die magna pars praestantium civium Rectorem Collegii *Melipullani* (Puerto Montt, Prov. Arg.-Chil.) gratulandi causa convenerunt, quos inter legatio fuit duodeviginti virorum apprime catholicorum. Hi nihil gratius se Rectori

facturos esse censuerunt, quam ut ad perennem tanti festi memoriam societatem instituerent, quae tota quanta esset, in eo potissimum versaretur, ut iuvenes et pueros, qui propter inopiam nostris Scholis nomen dare nequirent, pecunia ad eas celebrandas adiuvaret. RR. DD. Episcopo Ancudiensi (Ancud) maxime arrisit propositum, eique auxilium se esse collaturum amplissime pollicitus est.

Florent in *Hispania*, Vallisoleti, Gegione alibique antiquorum alumnorum consociationes, qui certis diebus recurrentibus conveniunt in nostra Collegia, ubi instituti fuerant, ibique diem non solum religiose agunt, verum etiam eruditione cohonestant, aliquo iuvene vel Patre de utili praesentique argumento palam disserente.

Prima mensis septembris hebdomada in Collegium *Vallisoletanum* (Valladolid, Prov. Leg.) convenerunt ex tota Provincia omnes lectores physicae et chimiae ibique fructuose de iisdem disciplinis ac ratione eas tradendi ita prolocuti sunt, ut non parum erecti animo inde discesserint. Tertia vero hebdomada eiusdem mensis ibidem conventus habitus est magistrorum historiae et geographiae, qui, praeter disputationes de iis quae ad eorum munus ac studium pertinent, a quodam Patre nonnullas praelectiones audiverunt de palaeographia.

Granadae in Republica Nicaraguensi (Granada — Nicaragua, Prov. Mex.) amplae aedes Collegio nostro extruuntur. Supremus enim Magistratus ac nobilissimae familiae cum optent, ut Collegium evadat longe praecipuum tota America Centrali, certant simul, ut necessariam ad id pecuniam depromant. Ideo e publico aerario singulis mensibus ad annum usque 1919 quadringenta dollaria et a mense ianuario ad maium millia supra quadringenta data sunt. Cum porro domus die undecimo maii dedicaretur, intererant auspiciis capiendis Praeses Reipublicae cum suis administris, nationum penes Curiam legati, quos inter legatus mexicanus, item Archiepiscopus Managuensis, Episcopus urbanus, frequens clerus et circiter octo millia civium.

In Collegio *Hispalensi* (Sevilla, Prov. Tolet.) die sexto aprilis publica academia magno apparatu ab alumnis habita est, in qua eorum nonnulli adeo belle strenueque iura Pontificis Romani dicendo tuiti sunt, ut nobili civium coronae magnopere placuerint, in primis Em. Cardinali Archiepiscopo, qui lucubra-

tiones iuvenum habere voluit, ut eas in unum librum collectas ad Pontificem mitteret.

Matritense Institutum, quod dicunt, Artium et Officiorum (Madrid, Prov. Tolet.) iam in universa Hispania celebre, a Rege Alphonso XIII primum invisitur, qui claram Nostrorum doctrinam operosamque industriam dilaudavit, praesertim cum utramque eam rem ita Patres coniungerent, ut quae iuvenes docerent, haec ab iisdem iam nunc exercenda curarent. Dein illud cernere voluere Elisabeth quoque et Carolus e regia Borbonicae stirpis familia. Tandem cum per aestatem hispani architecti ad conventum de scientia machinali Matritum venissent, ad Institutum fere septingenti deverterunt, ut scholas et officianas inspicerent, omnemque institutionem considerarent. Facta est cunctis ingrediendi copia, qui postquam singula diligentius perlustrarunt, omnes ad unum professi sunt, nullum patriam habere harum artium ludum huic parem. Pater qui officinas moderatur, bis in architectorum conventu vices praesidis egit.

Granatae (Granada, Prov. Tolet.) in Collegii aedibus sui habitus est omnium Rectorum Collegiorum externorum Provinciae, conventus quibus praeerat, Praepositus Provincialis, suis cinctus Consultoribus, ut de conservatione Collegiorum ageretur. Multa utilissima dicta sunt ad horum prosperitatem, ad finem et modum quae Societas amplectitur in iisdem admittendis, ad revocanda in memoriam nonnulla, quorum oblivio detrimento foret.

Cum RR. DD. Archiepiscopus Melbournensis (Melbourne — Australia, Prov. Hib.) alios Episcopos alloqueretur, qui una simul convenerant de ecclesiasticis negotiis relaturi, Nostros eorumque operam magna extulit laude ac praecipue Collegium *Newman*, quod est membrum civilis Universitatis Melbournensis, et cui RR. DD. Bartholomaeus Cattaneo, Delegatus Apostolicus, coram quadraginta millibus hominum sollemniter benedixerat.

Seattlense Collegium (Seattle, Prov. Cal.) incommodo utebatur aedificio et aliud magis idoneum ac loco situm commodiore quaerebat. Utrumque ex insperato accidit, Deo favente. Nam cum Protestantes Collegium quoddam suum peraptum et in optima urbis regione positum, cedere cogerentur, eo quod aere alieno solvendo impar esset, et ab argentariis quibus in illud erat ius hypothecae venderetur, adfuit quidam amicus noster, qui, insciis Patribus, statim deprompsit quinquaginta millia

dollariorum, cetera quindecim millia in posterum pollicitus. Sic emptas aedes vir liberalissimus Societati donavit.

Quo tempore Collegia *Civitatum Foederatarum Americae* Septentrionalis in scholas castrenses commutata sunt, studiorum curriculum a Patribus propositum novaeque institutiones peculiari ordine adiectae tanto ceteris praestabant, ut ex eo tempore civiles iuventutis erudiendae rectores et iuvenilis educationis periti Societatis operam multo maioris quam antea facerent.

In Collegio *Georgiopolitano* (Georgetown, Prov. Mary.-N. E) creatur schola iuvenibus ad honores legationum et consulatuum praeparandis (*School of Foreign Service*), quae visa est tam utilis, ut in prima Civitatum Foederatarum Universitate *Harvard* similis conderetur. Trecentos statim habuimus huius disciplinae auditores et totidem alios recusare debuimus loci defectu.

Cum facultas medicinae Universitatis Marquettensis in Urbe *Milwaukee* (Prov. Missou.) indigeret decies centenis millibus dollariorum, quorum fructibus suos annuos sumptus faceret, duae tertiae partes totius summae ex amicis sunt corrogatae, ultima vero a cuiusdam munifici Operis fiduciario Consilio donata est, quippe quod certius factum esset, naturalia ethices principia in eadem Universitate sapienter a duobus Patribus doceri.

Fere ex omnibus Provinciis referunt, Collegia nostra ita alumnis redundare, ut locus aliis recipiendis non sit, et complures, qui ea ingredi optabant, recipi non potuerint. Haec in admittendis moderatio a Patre nostro commendatur, ne Nostri laboribus obruantur et solida iuventutis institutio detrimentum patiatur.

III.

DE MISSIONIBUS.

A). — ADMINISTRATIO.

a). — *Novi Epp., Praeff. Ap., Supp. Reg.*

R. P. Albanus Goodier (Prov. Angl.), Archiepiscopus *Bombayensis* renuntiatur in Consistorio, die 15 decembris habito.

R. P. Gulielmus O'Hare (Prov. Maryl.-N. E.) creatur Episcopus, titulo Ecclesiae Maximianopolitanae, postridie kalendas decembres; die autem 18 eiusdem mensis Vicarius Apostolicus *Jamaicensis* in Antillis.

Iubentur Superiores Regulares:

1 *maii.* — R. P. Iacobus Planchard Missionis *Madurensis* in India (Prov. Tolos.);

4 *maii.* — R. P. Iosephus Verdier Missionis *Nankinensis* in Sinis (Prov. Franc.), cuius tamen pars *Ngan-Hoei* appellata regenda committitur P. Henrico Gilot;

9 *sept.* — R. P. Ioannes Delom Missionis *Tananarivensis* in insula Madagascar (Prov. Tolos.);

18 *nov.* — R. P. Eduardus Parry Missionis *Zambesianae* (Prov. Angl.):

9 *dec.* — R. P. Felicianus Czarlinski *Rhodesiae* Septemtrionalis (Prov. Pol.), titulo V. Superioris.

b). — Missiones nuper susceptae aut novis finibus circumscriptae

Constituitur a Sancta Sede Dioecesis et Missio *Patnensis* in India et utraque Societati Iesu committitur (1).

Rex Iashpur, quod regnum in *Bengala* Occidentali (Prov. Belg.) iacet, tam benevolentem Patribus se praebet, ut in iis fiduciam omnem videatur collocare. His facultatem fecit constituendi duas novas Stationes, alteram ad occidentem regni plagam, alteram ad meridiem. Segetem fertilissimam locus promittit, sed operarii sunt pauci. Et sane, christicolae ibi in dies ita crescunt, ut in praesentiarum quinque millia numerentur. Patres hac illac discurrunt, ut sacra religionis procurent, scholas condant, et civilia quoque commercia, ubi opus est, doceant.

Cum Patres Neerlandici viderent, se non posse colere immensum campum, qui in insulis Batavicis Malesae ipsis obtigerat, a Missionariis SS. Cordis Iesu impetrarunt, ut Missionem *Minahassae* (Minahassa) in insula Celebes sitam administrandam susciperent. Consilio S. Congregationi de Propaganda Fide probato, Celebes die 19 novembris auctoritate Romani Pontificis Vicariatus Apostolicus declaratur a Bataviensi seiunctus et PP. Missionariis SS. Cordis Iesu concreditur.

Kalendis septembribus in urbe insulae Javae (Prov. Neerl.) *Magelan* dicta Nostri scholam condiderunt, cui statim ducenti pueri adscripti sunt.

---

(1) Cf. *Act. Ap. Sed.* XI, (1919) 456.

Praeparatur divisio magnae Missionis *Nankinensis* (Prov. Franc.), cuius dimidia pars PP. Gallis servabitur, reliqua Sociis Castellanis, Legionensibus, Taurinensibus accensebitur ; quapropter iam nunc primus Vice-Superior gubernandae huic parti praeficitur.

B). — PARVA EXCERPTA EX LITTERIS.

a) — *Ex Europa : Albania.*

Relicta a legionibus austriacis *Albania*, restituitur *Missio excurrens*, cui Patres quinque e Provincia Veneta et unus e Coadiutoribus temporalibus agens catechistam addicuntur. Hi, ut ante bellum europaeum solebant, per ardua montium sacras ad pagos expeditiones pristino more instituunt et omnia religionis ministeria exercent.

b). — *Ex Asia :* α) *India.*

RR. DD. Petrus Fumasoni Biondi, Archiepiscopus Diocletanensis idemque Delegatus Apostolicus Indiae, die 12 decembris litteras Bombayo ad Patrem Nostrum sponte dedit, quibus Patrum Missionum Bombayensis et Poonensis (Prov. Germ.) miram supra vires devexamque aetatem strenuitatem laudat ; simulque ceteros e Societate in eadem India adlaborantes pariter commendat, praecipue vero Seminaria clericorum, quae Patres ibidem regunt, necnon delectum haud parvum indigenûm qui Societati nomen dederunt. Ad extremum nunciat, se in Iaponiam Legatum Sanctae Sedis pergere, laetissimum, quod ibi quoque sit inventurus S. Ignatii filios.

Nipocki I., 19 iun.
Noyon A., 17 oct.
Oar E., 16 ian.
O' Brien I., 7 oct.
O' Connel P., 26 apr.
O' Neil F., 25 oct.
O' Reilly M., 13 dec.
Orsay A., 24 aug.
Osdoba S., 16 feb.
O' Sullivan F., 27 ian.
Otaegui A., 18 iun.
Pagasartundúa I., 14 feb.
Pardo I., 27 mart.

Paul G., 4 oct.
Pazeller C., 7 iun.
Peacock E., 7 nov.
Péponnet R., 16 nov.
Petit E., 23 dec.
Pfeifer A., 28 maii
Piccirelli I., 9 dec.
Pidcock H., 7 feb.
Piñan E., 30 oct.
Pirngruber A., 21 oct.
Piumatti A., 8 mart.
Pokorny F., 7 dec.
Poli P., 30 mart.
Ponitz I., 20 oct.
Poulain A., 19 iul.
Prégermain I., 20 maii.
Prendergast M., 5 nov.
Prinzen A., 8 ian.
Puntigam O., 15 oct.
Put (Van de) V., 29 apr.
Quer A., 1 mart.
Radisson I., 4 nov.
Ramisch A., 27 ian.
Raynaud E., 10 maii.
Redmond P., 24 ian.
Réfrégier I., 23 ian.
Rehaag A., 22 ian.
Reid T., 21 ian.
Reilly E., 30 ian.
Reschauer A., 16 iul.
Rey A., 30 dec.
Reyes (de los) R., 2 oct.
Ribera I., 23 ian.
Riviera I., 7 dec.
Rocca P., 27 oct.
Rocher M., 27 oct.
Rodet R., 26 feb.
Rojek T., 14 nov.
Rollin I., 21 aug.
Romeo I., 14 sept.
Roque I., 15 aug.
Rorke G., 11 iun.
Ross I., 11 sept.
Rousset S., 22 feb.
Rovelli L., 22 ian.
Rover I., 24 feb.
Rubio M., 5 iul.
Ruiz F., 8 ian.
Ruiz P., 24 sept.
Ryan R., 16 aug.
Ryan S., 3 maii
Salazar A., 13 dec.
Sammut V., 30 ian.
Sánchez M., 22 dec.
Sardi I., 22 maii
Schmandt I., 19 oct.
Schmitz I., 15 mart.
Schuurmans G., 26 iul.
Serin P., 21 oct.
Sevestre A., 5 sept.
Sheerin I., 16 mart.
Sidgreaves G., 12 iun.
Skiba I., 28 ian.
Sola M., 3 aug.
Soppe A., 26 sept.
Spalowsky L., 30 iul.
Springer P., 24 oct.
Squinabol P., 24 feb.
Steffen A., 18 nov.
Stein I., 26 sept. 18 *
Steinmetz A., 28 oct.
Stipković M., 14 oct.
Stone I., 7 mart.
Sydes E., 15 nov.
Taggiasco I., 28 iun.
Testa V., 26 dec.
Theissen F., 2 sept.
Thompson A., 14 apr.
Thouvenot C., 22 oct.
Torrabadella A., 14 oct.
Torrazza L., 31 aug.
Tou M., 11 maii.
Travali G., 13 iul.
Tresp A., 15 oct.
Tugues M., 13 iun.
Valdés I., 7 oct.
Valette I., 3 sept. 18 *
Vallés E., 20 aug.
Varroy C., 15 nov.
Vaux A., 14 dec.
Velasco T., 13 iun.
Velden (van der) A., 23 dec.
Vellini A., 3 dec.
Ven (Van de) I., 14 mart.
Vénel P., 8 sept.
Vermeeren I., 14 apr.
Vialet (de) A., 15 oct.
Villedieu I., 17 sept.
Villegas C., 5 mart.
Visser F., 13 ian.
Vörös V.,*
Waelen I., 19 dec.
Wagner M., 18 iun.
Wallaere A., 18 sept.
Wallraven C., 4 dec.
Walrave I., 19 iul.
Weber G., 28 oct.
Weersch (Van) L., 11 maii.
Werner E., 25 oct.
Wernseher I., 10 nov.
Wetter C., 10 ian.
Wiggers L., 5 iul.
Woirgard P., 17 aug. 18 *
Wolf I., 6 iul.
Wouters (de) A., 22 iul.
Zoeller M., 16 iun.

MEMORABILIA

SOCIETATIS IESU

ANNI 1920

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

ROMAE
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS
1921

GRAFIA, S. A. I. INDUSTRIE GRAFICHE

PARS PRIMA

DE QUIBUSDAM SODALIUM OPERIBUS

COMMENTARII

I.

PROVINCIAE POLONIAE SAECULARIA SOLLEMNIA.

(1820-1920)

Kalendis maiis anni 1820 duodecim socii ab Imperatore Alexandro ex Alba Russia expulsi in Galiciam confugerunt, quos mox alii atque alii secuti sunt profugi: Patres, Scholastici, Coadiutores, omnes trecenti, et Leopolim versus, Galiciae caput, tetenderunt. Nemo eorum illis in regionibus se remanere posse opinabatur, in quibus Iosephinismi spiritus, familiis religiosis infensissimus, grassabatur. Attamen e memoria sociorum Provinciae Poloniae non exciderat fratris Stanislai Kostka vaticinatio: nunquam in Polonia defuturos esse Societatis filios. Et revera gubernium austriacum, certis quibusdam adiectis legibus, ibi remanendi Nostris facultatem fecit, ita ut a 158 sociis tantum Provinciae Galicianae principium proficisceretur. E ceteris octoginta octo in Italiam, duodequadraginta in Galliam, alii alio migraverunt.

Arduum sane fuit invehere Societatis nomen eo, ubi Ecclesiae libertas haud parum restringebatur; paulatim tamen patientia atque perseverantia optimos attulerunt fructus.

Prima nostrorum sedes Tarnopolitanum fuit Collegium, anno proximo (1821) Staraviesiae domus Probationis instituitur; Collegium externorum Neo Sandeciae anno 1835; Leopoli autem anno 1843 Collegium nobilium apertum est.

Cura quoque animarum habebatur. Nostri enim paroeciis praeerant et hac illac excurrentes Exercitia Spiritualia populo praedicabant. Annus 1848 magnam attulit calamitatem. Publici ordinis et tranquillitatis eversio causa fuit, cur Nostri e novis sedibus eiicerentur. Sed vigilabat S. Stanislaus Kostka: Scholastici enim in Galliam ad studia perficienda mittuntur et aliquot

sacerdotes cum FF. Coadiutoribus in Polonia remanent, munus obeuntes magistri modo, modo paedagogi, modo adiutoris parochi. Nonnulli in Posnaniam, alii in Belgium et in Helvetiam secesserunt. Annus denique 1852 libertatem Nostris reddidit iterumque parva, 134 sociorum, Provincia novam fere vitam iniit, quae per 60 annos praeclara habuit incrementa.

Collegia atque Residentiae tota Galicia conduntur Cracoviae, Stanislaopoli, Tessinii, Kolomeae, Czernovicijs, Carvinae, Zakopane necnon in Silesia. Anno 1882 Convictus Tarnopolitanus Chyroviam transfertur. Collegium autem Cracoviense fit sedes princeps cultus SS. Cordis et Apostolatus Orationis. Anno 1871 enim edi coeptus est « Nuntius SS. Cordis » tanta bonorum delectatione, ut usque ad 170 milia subscriptorum aliquando collegerit. Simul in lucem prodit alius libellus periodicus: « Glosy Katolickie » (Voces catholicae) qui quaestiones ad fidem et mores spectantes breviter explicat et ad usum ac temporum necessitates accommodat. Suos quoque habent commentarios Congregationes Marianae, libellum dico: « Sodalis Marianus ». Ut praeterea concionatoribus cum nostris tum externis materia ad parandas conciones earumque synopses praeberentur, liber statis temporibus conscribebatur: « Kazania i szkice » (Conciones et dispositiones).

Vix dici potest, quantum haec scripta attulerint emolumentum verbi divini praeconibus quantumque ad sacrae eloquentiae artem inter Polonos augendam contulerint. Doctrinam catholicam ac res sociales atque politicas viris excultis dilucide exponendas iam inde ab anno 1884 curat praecipuum Provinciae Poloniae periodicum: « Przeglad powszechny » (Revue générale).

Neque praetereundum praeclarum Missionum opus. In Romania ab anno 1885 usque ad annum 1905 clerum illius regionis rite instituendum Patres poloni curaverunt. In America iam abhinc 30 annos paroecias polonicas administrant.

Non minus praeclarum quam singulare opus anno 1877 susceptum fuit.

In orientali enim antiqui regni Poloniae parte (Wolhynia, Podolia, Podlahia) 12 centena milia Albo-Ruthenorum habitabant, qui a Graecis in schisma adducti, saeculo XVI (1596) nostrorum praecipue Patrum opera ad unitatem catholicam seu ad Unionem, ut dicunt, revocati sunt, servato tamen antiquo suo ritu graecoslavico. Cum autem maior illius regionis pars in potestatem Rus-

siae devenisset, gubernium russiacum vi atque fraude id unum egit, ut illos Ruthenos ritus slavici, quos Unitos vocant, ad schisma perduceret.

Post Catharinam Imperatricem, quae complura centena milia Unitorum ad schisma pellexit, regnante Nicolao I plerique eorum ab Ecclesia avulsi sunt. Remanebant Sedi Apostolicae addicti Rutheni in ea regione, quae Podlahia vocatur.

Ut autem hos quoque imperio schismatico penitus coniungeret neve aliis ad schisma conversis opportunitas quaedam ad Ecclesiae catholicae gremium redeundi relinqueretur, Unionis eversionem omni modo gubernium machinabatur. Quare homines misere sacerdotibus catholicis et generosioribus civibus privantur, schismatici sacerdotes templa occupant.

Quae cum ita essent, P. Mycielski Romam profectus est ut, re cum R. P. Beckx Faesulis collata, a Summo Pontifice facultatem impetraret ministerium sacrum, periculis sane plenum, exercendi inter derelictas illas divini Pastoris oves.

Responsum Pii IX ita Patri Generali rettulit RR. DD. Czacki: « Martyrium nemini imponitur; eis vero qui audacter sese obtulerunt, omnes necessariae tribuuntur facultates apostolicae ».

Primus proficiscitur in Podlahiam P. Henricus Jackowski, Rector Staraviesiensis. Die 25 martii 1878 ingressus est imperium russiacum, personam mercatoris ambulantis gerens mutatoque nomine. At mox tanta suspicio orta est, ut die 2 aprilis a praeside magistratus in oppido Radzyn pervestigationi subiectus et die 4 aprilis in carcerem urbis Siedlce deductus fuerit, ubi usque ad diem 16 novembris 1879 detentus est. Quamquam igitur Pater tantos labores frustra suscepisse, frustra subiisse tanta pericula videbatur, Deus tamen effecit, ut in carcere ipso facilius feliciusque, quod intendebat, obtineret. Statim enim ut in vincula est coniectus P. Jackowski, per totam Ruthenorum Podlahiam rumor percrebruit sacerdotem quendam Roma a Summo Pontifice ad Ruthenos missum fuisse. Mirum in modum hic nuntius miserrimis hominibus consolationi erat. Praeterea iisdem in carceribus aliquot centeni Rutheni vertente tempore includebantur propter constantiam in fide catholica. Horum ergo Pater Jackowski et confessarius et consolator et minister evasit.

Dum autem missionarius noster tam singulare missionis opus in carcere exercet, inquisitio iuridica contra eum fiebat, cui,

intercedente Imperatore Austriae Francisco Josepho, finem fecit edictum Russorum Imperatoris, quo Pater extra fines imperii eiectus est prohibitusque reverti sub poena perpetui exilii in Sibiria. Sic demum e carcere liberatus die 21 novembris 1879 Cracoviam rediit.

Eius tamen sors concupita magis quam reformidata, aliorum sodalium inter quos eminuit P. Markefka, animos excitavit, qui captivi in loçum sufficiebantur ita ut dubitari nequeat, quin centena milia hominum conservatum catholicae fidei donum illis debeant.

Singulare illud etiam accidit, ut anno 1882 Leo XIII Provinciae Poloniae committeret negotium restituendi pristinam disciplinam in Ordine S. Basilii pro Ruthenis: quod etsi haud ita facile erat, tanta diligentia et tam bono exitu confectum est, ut Pius X, die 30 maii a. 1904 Patribus polonis summum opus feliciter peractum amplissimis verbis gratularetur.

Neque his contenti Provinciae Poloniae socii in ethnicorum quoque tribus contendunt. Nam quo tempore novi reipublicae lusitanae curatores Nostros e suis africanis coloniis eiecerunt, poloni sodales septentrionalis Rhodesiae anglicae partem obtinuerunt ibique abhinc 10 annos maximas inter difficultates quidem, at non sine fructu homines nigros ad fidem adducere enituntur.

Neque crucis gloria, exoptatissima Christi discipulorum nota, Provinciae Poloniae defuit. Cum enim immane exarsisset inter Europae gentes bellum 7 Patres et 3 Fratres vi abducti sunt in Russiam, in eas ipsas regiones, quas centum annis ante laboribus apostolicis excoluerant Patres ex antiqua Societate tunc temporis in Alba Russia superstite. Primi fuerunt Rector Collegii Chyroviensis P. Ioannes Rostworowski et P. Ioannes Zatlokiewicz, qui illi, ne fratre et socio careret in exilio, sponte se adiunxit. Cum iis initio designata esset pro commorationis loco urbs Tomsk, totius Sibiriae princeps et catholicis abundans, per novem menses illic laborarunt cum fructu haud exiguo in templo a Patribus nostris olim erecto et nonnulla eorum vestigia hodiedum retinente. Deinde autem in parvum oppidum Kuznieck migrare iussi sunt. Ministerio sacro avocatus, P. Zatlokiewicz prorsus inopinato diem supremum obiit mense iunio 1916 in urbe Nowonikolajewsk ibidemque corpus eius totius urbis frequentia ela-

tum resurrectionem exspectat. P. Rostworowski vero, cui post annum demum, imperio russiaco bello et seditione fracto, oppidum Kuznieck relinquere licuit, initio quidem per nonnullos menses in urbe Tomsk laboravit, deinde in Russiam europeam redux varias eiusdem urbes percursavit, Catholicos iuvans atque erigens concionibus et Spiritualibus Exercitiis, donec tandem mense martio anni 1917 feliciter in suam rediit Provinciam.

Patrum vero e Residentia Tarnopolitana in Russiam pulsorum sors pessima fuit: de crimine explorationis accusati crudeliter in carcere russiaco Kijowiae detinentur, ubi P. Mellin aerumnis ac fame fractus obit ibique moriuntur duo Fratres, Korytko et Nawalka. Superior autem Residentiae Leopoliensis, P. Stanislaus Sopuch, quippe qui obses sit maiore libertate gaudens, verus Kijowiae evadit apostolus. Alii quoque Patres maximo cum fructu illis in regionibus laboraverunt, praecipue in urbe Berdyczow, ubi Ordinarius loci Nostris antiquum Carmelitanorum conventum ad tempus tradiderat.

Quanta porro Nostri in bello inter Polonos et Ruthenos exorto passi sint, anno proximo relatum est. (*Mem. S. I.*, I (1919), 89 sq.).

Ultimos denique saeculi menses maximum implevit periculum. Infensissimi enim christianorum hostes, bolschevici nimirum, totam orientalis Poloniae partem invadunt Varsaviam ipsam, quod est Poloniae caput, iam iam expugnaturi.

Duae nostrae domus, Residentia Tarnopolitana, et Collegium inchoatum Wilnense in manus cadunt inimicorum. Quamquam sacerdotes saeculares aliique religiosi Tarnopolim reliquerant, duo Patres Societatis, quorum alter 74 annos natus erat, labores in vinea Domini continuarunt. Initio quidem hostes quandam eis libertatem permiserant, sed postea, auctoritatem eorum timentes, unum capere decreverunt.

Is igitur primum sub tecto ecclesiae latuit et nisi singulari Divinae Providentiae tutela fruitus esset, in nefariorum hominum manus incidisset; dein vestem muliebrem indutus in aliam domum sese recepit ibique usque ad adventum exercitus polonici remansit.

Non pauca pericula tres Patres Wilnae perpessi sunt. Eorum unus tanta animi audacia atque fortitudine valuit, ut etsi maximo periculo sese obiiciebat, sacra perficeret ministeria et or-

phanotrophii bona defenderet et templi nostri refectionem ad finem perduceret; quem laborem admiratus dux bolschevicorum dixisse fertur: « Omnes Iesuitas trucidare cupio, misereor tamen istius pauperculi ».

Imminente bolschevicorum periculo Scholastici nostri quoque 18 cum clericis saecularibus et aliarum religionum iuvenibus exercitui polonico adscripti sunt. Mense tamen in castris inter varias exercitationes peracto non arma ipsa ferre coacti, sed alii alias in urbes distributi sunt, ut vel infirmorum commilitonum curam susciperent vel medicos adiuvarent vel scribarum munere fungerentur.

Durus horum fuit labor; contubernales tamen et tribuni non sine veneratione quadam iuvenes nostros per 12 horas in opus suum constanter incumbere conspiciebant: cuncta in ordinem redigere, omnes patientissime excipere, adeo ut praefectus quidam militum confiteri non dubitaverit tanta patientia se erga milites uti non posse.

Alii Scholastici habendis praelectionibus operam dabant; alii indoctos elementis erudiebant, hi Missis inservire, cantus sacros moderari, illi academias instituere. Quidam scholam pro militibus instituit, bibliothecam instruxit, milites cantum docuit, ad academiam celebrandam centum milia marcarum collegit; alius maximas inter difficultates duabus praeerat scholis, nostros libellos periodicos distribuebat, milites hac illac excurrentes comitabatur, semper aderat vigilans ne turpiloquia vel cantus inhonesti fierent curabatque, ut diebus dominicis omnes sacro interessent.

Aegrotis tanta caritate atque assiduitate clerici inserviebant ut ipsi hebraei eorum curis committi cuperent. Paucis verbis vix dici potest, quantum inter milites, rudes quidem, at non malae voluntatis, religionem et modestiam promoverint optimi iuvenes, quorum sola praesentia mentes animosque a malo defendebat. « En sacerdos! » erat monitum quo prolato turpes sermones statim cessabant maioremque ad modestiam omnes se componebant.

Laus et ducum approbatio Nostris non defuit. Cum primo militiae mense transacto e castris in stationes singulas dispertirentur, supremus militum tribunus sic fere eos allocutus est: difficile dictu esse, quantopere usque ad eorum adventum eversa esset disciplina, tunc vero omnia apparere in melius mutata ducesque denuo coli et observari, eo quod alii ipsorum probita-

tem atque ad oboediendum promptum animum cernentes praeclara exempla aemulari studuissent. Magnus porro fuit ducum dolor, cum post tres menses tandem Nostris licuit ad fratres et studia sua redire.

Praeclaram quoque habuerunt Patres partem in defendenda ipsa urbe Varsavia. Die 11 iunii enim primum a 2 fere saeculis, cura atque opera Provincialis Poloniae, publica pompa in honorem SS. Cordis ibi celebrata est ad auxilium eius implorandum in summo patriae discrimine. Ingens populi multitudo ex ecclesia cathedrali in vias publicas exiit: duo Episcopi aderant, sequebatur ipse reipublicae praeses cum duobus ministris multisque comitiorum legatis, magistratibus, urbisque proceribus. In amplissima platea, concione ad populum habita P. Provincialis ex suggestu totam Poloniam SS. Cordi consecravit. Cum autem hostis post duos menses iam ad Varsaviam ipsam appropinquasset, Archiepiscopus Varsaviensis, Cardinalis Kakowski, magnam instituit pompam ad placandam divinam Maiestatem; in omnibus templis SS. Sacramentum toto die expositum erat, post meridiem 150.000 hominum duce ipso Cardinali aliisque Episcopis et Praelatis aedes regias petunt ibique reliquias in altari expositas Sanctorum Beatorumque Poloniae, B. Andreae Bobola, B. Ladislai de Gielniów, S. Clementis Hofbauer venerantur. Mox ex altissimo suggestu iterum P. Provincialis concionem habuit. Non defuit misericordia Divina; post hebdomadam enim, ipso die B. M. V. in caelum Assumptae sacro, gloriosam Poloni obtinuerunt victoriam, quae « miraculum ad Vistulam » vulgo nuncupatur.

En aliqua ex huius saeculi historia deprompta. Ipsius autem saecularis diei commemorationem Poloniae socii ob imminens periculum modestissime egerunt. Prima Leopolensis Residentia commemoravit adventum profugorum ex Alba Russia, qui die 10 maii 1820 in hanc urbem venerunt; devotione novendiali in Ecclesia nostra et in sacello domestico peracta, sollemne sacrum offertur; cum autem olim S. Dominici filii Nostros ex Russia profugos Leopoli primi benigne recepissent, unus ex ordine Praedicatorum ut concionem haberet invitatus est. Ad prandium aderat ipse Archiepiscopus Leopoliensis, qui praeclaram tribuit Provinciae Poloniae laudem, aderant quoque socii familiarum religiosarum qui Nostros ante saeculum hospitio acceperant, Patres Bernardini, Carmelitani, Dominicani, Franciscani.

Praecipua autem sollemnia acta sunt die 7 iulii in Collegio Chyroviensi ubi simul Congregatio Provincialis celebrabatur; eodem die aliae quoque domus gratias Deo optimo maximo egerunt pro tot beneficiis per centum annos acceptis, benedictionem Divinam novis laboribus implorantes; ultimo triennio novem urbes Nostros exceperunt; altera domus Probationis pro septentrionali Poloniae parte Calissii et Seminarium Parvum Societatis Cracoviae apertum, in urbe Lodz vero a Nostris suscepta est administratio paroeciae, quae 75 milia animarum comprehendit: ita saecularis commemoratio in ipsum tempus incidit, quo Polonia renascens S. Ignatii filios ad amplos evangelicae messis invitat campos.

II.

PRIMUS CONVENTUS MODERATORUM APOSTOLATUS ORATIONIS ET CONSECRATIONIS FAMILIARUM INTER ITALIAE GENTES.

In Italia ob iniqua tempora prohibiti sunt Patres nostri, quominus ab ipso exordio curam Apostolatus Orationis et Nuntii SS. Cordis susciperent: quamobrem a P. Henrico Ramière ea commissa fuit PP. Barnabitis, ea tamen conditione a R. P. Beckx adiecta, ut opus Societas sibi vindicare posset, cum primum res id permitterent. Libenter annuere PP. Barnabitae et sedulo laborarunt, PP. Maresca praesertim et Vitale, ad piam consociationem in Italia propagandam. P. Vitale anno 1916 vita functo, pleno omnium consensu opus rediit ad Societatem.

Magnum, Deo opitulante, habuit incrementum postremis hisce annis, praecipue cum S. Sedes, re mature perpensa, moderatori dioecesano Urbis provinciam demandavit promovendi per totam Italiam pium usum sacrandi divino Cordi Iesu familias, ita ut posthac moderator romanus Apostolatus Orationis sit de iure moderator supremus Consecrationis Familiarum in Italia. Tribus de causis praecipue S. Sedes in hanc sententiam venit: 1. quia iamdiu Apostolatus Orationis, ut historia testatur, hanc saluber-

rimam rem ritumque studiose promoverat; 2. ut Consecratio Familiarum ab ipso initio firma et stabili ratione institueretur; 3. quo facilius familiae SS. Cordi dicatae Apostolatu iuvarentur ad vitam eidem SS. Cordi vere acceptam degendam.

Iamvero P. Paschalis Aloisi-Masella, nunc temporis moderator romanus pro sua erga Cor Iesu pietate, et quo plenius votis S. Sedis morem gereret, nactus occasionem supplicationis sollemnis primo celebrandae in honorem S. Margaritae Mariae Alacoque, nuper in album Sanctarum Virginum adscriptae, re cum summo Pontifice et cum Superioribus Societatis communicata, statuit Romam indicere conventum omnium qui in Italia Apostolatui Orationis praesunt. S. Pater Benedictus XV consilium non tantum probavit, sed quae eius munificentia est, ut sacerdotes ad romanum iter alliceret, promisit se stipe atque hospitio eisdem auxilio venturum. Missis itaque litteris ad singulos moderatores, P. Aloisi-Masella dies dedit, quibus conventus celebrandus foret, a die 15 octobris ad diem 17, eiusdemque conventus finem aperuit, ut sacerdotes absolutiorem notitiam naturae atque rationis operis acquirerent et maiore zelo inflammarentur ad pietatem erga SS. Cor Iesu Apostolatu Orationis et Consecratione Familiarum divulgandam.

Omnium vota superavit eventus. Fere 350 sacerdotes ex universae Italiae regionibus Romam convenerunt iique, maximam partem, ex liberalitate Summi Pontificis, in hospitio S. Marthae sunt deversati. Addendi huic numero sunt parochi aliique sacerdotes Urbis. Eminentissimus Cardinalis Basilius Pompili, Vicarius Urbis, benigne concessit ut conventus praeses honoris causa renuntiaretur. Comitia in aula maxima Collegii Pii Latini Americani habita quattuor sessionibus absoluta sunt. Pro P. Paschali Aloisi-Masella ex recenti morbo vix convalescente functus est munere praesidis P. Galileus Venturini; vices Praesidis gessit R. D. Ioannes Rovella, Camerarius collegii urbani parochorum; scribas egerunt tres Nostri.

Longum est omnium virorum insignium, qui conventui interfuerunt, nomina referre; illustriorum tantum recensebimus: Eminentissimi Cardinales Cagiano de Azevedo, Frühwirth, Sbarretti, Vico; Excellentissimi Archiepiscopi Franciscus do Rego Maia et Sebastianus Leite de Vasconcellos; Excellentissimi Episcopi Ioseph Americus Orzali et Calogerus Licata; R. D. Benedic-

tus Pienami, Abbas S. Praxedis; R. P. Petrus Vigorelli, Praepositus Generalis Barnabitarum; R. P. N. Wlodimirus Ledóchowski; P. Franciscus Nalbone, Assistens Italiae; P. Miccinelli, Praepositus Provinciae Romanae.

Post preces de more recitatas P. Venturini salutatione praemissa historiam conventuum Apostolatus Orationis in Italia celebratorum per summa capita revocat; finem huius coetus indicat et litteras legit autographas Summi Pontificis, quibus P. Aloisi-Masella atque omnibus in conventu praesentibus sacerdotibus benedicens fausta quaeque apprecatur.

Argumenta tractata haec fuerunt:

I. De origine historica Apostolatus Orationis et Consecrationis Familiarum.
II. De fundamento theologico Apostolatus Orationis et Consecrationis Familiarum.
III. De Apostolatu Orationis et Consecratione Familiarum propagandis.
IV. De moderatoribus Apostolatus Orationis et Consecrationis Familiarum.
V. De adiutoribus et adiutricibus.
VI. De Nuntio SS. Cordis et menstruis pagellis.
VII. De Apostolatu Orationis in paroeciis.
VIII. De Apostolatu Orationis et Eucharistia.
IX. De Apostolatu Orationis et cultu SS. Cordis Iesu.

Post sessiones vespertinas P. Octavius Marchetti brevem ad sacerdotes in domestico sacello habuit adhortationem ad eorum zelum magis magisque inflammandum.

Dum haec geruntur in Collegio Pio Latino, P. Alexius Magni, in templo maximo Societatis Iesu, summa civium frequentia, de S. Margarita verba facit, eorumque animos ad diem festum rite celebrandum disponit. Die 17 octobris mane adstantibus sacerdotibus, qui conventui interfuerant, ab Excellentissimo Domino Raphaële Virili, Archiepiscopo Ptolemaidensi et causae S. Margaritae Postulatore consecratum est altare novi sacelli quod, stipe undique ex Italia collecta, romanus Apostolatus moderator in honorem SS. Cordis exornandum curaverat. Hoc sacellum a cornu epistolae altaris principis situm, erit instar sanctuarii domestici familiarum italicarum: in eo namque servabuntur volumina, in quibus nomina familiarum inscribentur, quae Sacro Cordi se devoverunt.

Peracto ritu, sacerdotes ad aedes Vaticanas convenerunt ibique ad Summum Pontificem admissi sunt. P. Venturini, omnium

sensa explicans, quam maximas Summo Pontifici agit gratias, quod eos tanta liberalitate ac benevolentia prosecutus est, firmum omnium propositum pandit totis viribus enitendi ut pietas erga SS. Cor Iesu in singulis hominibus, in familiis, in societate civili profundas agat radices ac demum humillime S. Patrem rogat, ut sacerdotibus iamiam profecturis quae ab iis exspectet atque exoptet manifestare velit.

Ad haec Summus Pontifex respondit: gratulari se moderatoribus uberes fructus ex praeteritis disceptationibus captos; sperare frequenter huiusmodi conventus celebratum iri; ut Apostolatus Orationis Familiarumque Consecratio eodem studio, eademque via atque ratione late diffundatur; dolere quod immanis illa pestis maledicta in Deum coniciendi tantis malis tantoque opprobrio patrios fines inquinet proindeque ipsis maxime commendatum velle, ut eam, praesertim ope Apostolatus Orationis et Familiarum Consecrationis, suis ex urbibus ac pagis repellere studeant. Finem dicendi fecit peramanter benedicens praesentibus et sociis pii sodalitii sparsis Italia tota (1).

A prandio sacerdotes rursus convenerunt in ecclesiam SS. Nominis Iesu ibique post concionem in honorem S. Margaritae habitam, agmine populi frequentissimi facto, extra templum SS. Eucharistiam triumphali pompa Capitolium versus deduxerunt. Insolens post annum 1870 spectaculum bonorum civium animos erexit vehementer et admiratione atque laetitia cumulavit. Sanctissimum Christi Corpus ab Eminentissimo Cardinali Vico ferebatur; aderant Excellentissimi Antistites, qui conventui interfuerant, plurimi praelati ac religiosi Urbis, inter quos Pater Noster, quadringenti circiter moderatores Apostolatus nec non consociationes catholicae cum vexillis atque insignibus, adiutores et adiutrices ac magna fidelium multitudo. Iucundissimum sub Urbis arcem Cor Iesu egit triumphum. Cum enim ad Capitolini collis radices perventum fuit, Em. Cardinalis consistens multitudini humiliter adoranti cum SS. Eucharistia benedixit. Sic finem habuit Conventus Moderatorum Apostolatus Orationis.

Die proximo moderatores dumtaxat dioecesani in nostram domum convenerunt ad melius definiendas rationes quae inter ipsos et moderatores locales intercedant. Insuper deliberatum est

(1) *Acta Rom. III* (1920), 205 sqq.

de modo quo conventus regionales et dioecesani convocari possint ad Apostolatum Orationis magis propagandum.

Fructus uberrimi ex hoc conventu percepti sunt: magna in omnium animis pii sodalitii existimatio orta est, quippe quod aptissimum visum sit ad mores corrigendos et ad animos SS. Cordi Iesu devinciendos; plurimae sedes Apostolatus Orationis excitantur; quae vero iam antea habebantur, novo fervore virescunt. Maior concordia atque coniunctio obtenta nec praetereundum consilium omnibus probatum cogendi saepius huiuscemodi conventus, praesertim dioecesanos, ne studium et ardor in promovenda pietate erga SS. Cor Iesu in animis defervescat. Praeterea ex tempore quo conventus habitus est, numerus quoque eorum qui « Nuntio SS. Cordis » subscripserunt multum auctus est (1).

Abs re non erit hic significare conventum regionalem Apostolatus Orationis Lupiae (Lecce) in Apulia, magna pompa atque laetissimo exitu, plurimis Episcopis praesentibus, mense novembri celebratum esse et alios in aliis Italiae urbibus mox coactum iri.

III.

MISSIONES POPULARES (2).

Provincia Austriae.

In Provincia Austriae quattuor sedes missionariorum constitutae sunt: Collegium maximum Oenipontanum (4 PP.); Residentia Linciensis (Linz, 3 PP.); domus Professa Viennensis (3 PP.); domus Probationis St. Andreae in Carinthia (2 PP.), quibus, cum labor fervet, alii adiunguntur.

---

(1) Ad huius congressus fructus conservandos atque etiam augendos non parum conferunt eiusdem acta typis expressa: *Atti del primo Congresso Nazionale dei Direttori tenuto in Roma dal 15 al 17 ottobre 1920.* Roma, 1921, *Messaggero del S. Cuore,* Via degli Astalli n. 16. Qui liber praeter ea quae Italiae propria sunt plurima continet quae omnibus Apostolatus directoribus magno usui esse possunt.

(2) Quae nobis miserunt Provinciae rogatae ut de hoc ministerio referrent, hic exhibemus.

Post ipsum bellum multi parochi non temere arbitrabantur sedationem aliquam animorum calamitatibus atque motibus civilibus perturbatorum esse exspectandam, ne operis saluberrimi fructus atque auctoritas simul perderentur.

Ideo primum consociationes iuvenum atque virginum reficere atque firmare conati sunt missionariis ad tridua habenda in auxilium vocatis. Haec spes non fefellit et mox ubique in Tiroli missiones cum fructu haberi potuerunt.

Missionarii Oenipontani ex autumno 1919 usque ad aestatem 1920 40 pagos cum c. 45.000 animarum missionibus excoluerunt; 1920-21 31 loca cum fere 90.000 incolarum.

E dominica Passionis usque ad Pascha Oeniponte ipsa in 8 ecclesiis a PP. Redemptoristis, Franciscanis, Capuccinis, Nostris simul missio est habita. Scriptis distributis atque consociationum catholicarum labore diligenter praeparata, praesertim inter viros laetos fructus tulit. In omnibus ecclesiis eadem hora de eadem re concio fiebat, ut piis feminis opportunitas eriperetur ex una in aliam ecclesiam migrandi et locos viris praeripiendi. Consociationis catholicae matronae atque virgines ultro se obtulerunt ad matresfamilias, curis et negotiis distentas, iuvandas ut etiam hae missionis concionibus interesse possent.

Populus exceptis rarissimis locis socialistarum erroribus magis infectis atque perturbatis frequens concurrebat; praesertim laudant missionarii studium militum e bello reducum.

Fructus laeti missionum in pietate reviviscente et morum severitate apparuerunt. Cum porro in pago aliquo ultimo missionis die electiones politicae fierent, mense iunio 1919 quo tempore socialistarum vis maxima erat, unam tantum vocem hi obtinuerunt et Oeniponte ipsa in conventu mulierum parti socialistarum adhaerentium dux quaedam orationem habens dixit missionem in urbe peractam pene omnem ipsarum spem misere perdidisse. Alibi prope confines, vigil publicus professus est ex missione habita commercium vetitum decrevisse.

Missionarii lincienses continentes a mense februario usque ad mensem augustum per Austriam Superiorem sacras expeditiones instituebant, curam singularem in eo ponentes, ut viros et iuvenes e castris reversos, tot vicissitudinibus percussos in tranquillum religionis portum reducerent.

Quare magna caeremonia illos in ecclesiam introducebant, ubi

Missa sollemnis in gratiarum actionem pro reditu celebrata est et concio habita, qua dubia solverentur, animi acerbitate belli afflicti mulcerentur et via ad Dominum in pace inveniendum plana efficeretur. Praeterea finita missione prout tempus ferebat missa de requiem celebrata est pro iis, qui in bello ceciderunt, et concio habita, qua occasione plurimi, etiam viri, ut indulgentias pro defunctis lucrarentur ad sacram mensam accesserunt.

Viennensis domus Professae missionarii ut labores suos eorumque fructus declarent, missionem in oppido Hainburg habitam adducunt. Est locus 8000 incolarum quorum plurimi in officina publica ad folia nicotiana praeparanda occupantur et socialistas se esse gloriantur; in officina furta ingentia perpetrantur, opifices religioni ut plurimum infensi, aliorum civium permulti tepidi in vitae christianae officiis implendis: hic est campus, qui Patres exspectat.

Consociatio catholica mulierum a parocho, qui ipse de prospero eventu vehementer dubitabat, impetrarunt, ut missio institueretur eademque omnes sumptus solvit.

Initio viri nequaquam in ecclesiam venerunt; ideo per mulieres invitati sunt, ut in cauponam convenirent, ubi missionarius inter viros finitimae urbis principis notissimus omnibusque acceptus ad eos locuturus esset de rebus viennensibus.

Qui in ecclesiam venire noluerunt, tanta frequentia in cauponam concurrerunt ut nonnulli redire debuerint quia locus eis non erat. Summa delectatione Patrem audierunt et cum secunda vice convenirent, unus ex iis ultro proposuit ut omnes simul ad sacramenta accederent. Quod reliqui probarunt atque fecerunt. Tanta virorum multitudo nunquam loco illo ad s. mensam appropinquare visa est.

Cum Patres comperirent in oppido esse domum pauperibus alendis destinatam cuius incolae ad conciones in ecclesia parochiali venire fere non possent, continuo missionarius eo se contulit, ut eos quoque ad sacramenta recipienda moveret. Sorores huic domui praepositae gaudebant de hac re, non ita pauperes miseriis belli exacerbati et inopia victus confecti. Sed paullatim animi mulciebantur omnesque confessione peracta communicaverunt. Ut laetitia augeretur, Pater eis, misericordia civium e suggestu implorata, melius ientaculum impetravit omnibus et viris sat magnam tabaci copiam ab eo, qui officinae praeest.

Quia summi momenti ad fructus missionis et bonum spiritum conservandos videtur, ut bonae ephemerides pravis sufficiantur, missionarii id hac ratione obtinere conati sunt. Proposuerunt clero parochiali, ut indiceretur populi conventus ad valedicendum missionariis; dubium enim non videbatur, quin hac ratione plurimi et ad omne bonum promptissimi cogi possent. Eventus omnem spem superavit. Tantam enim hominum multitudinem ne socialistae quidem florente partis fortuna congregare potuerant neque pauci adducti sunt, ut catholicis ephemeridibus subscriberent.

In valle lavantina Carinthiae missionariis magnae difficultates superandae erant. Belli doloribus et agitatione perversorum hominum permoti quattuor septimae partes incolarum socialistis adhaerebant, duae septimae partes alia ratione religioni adversariae erant, sacerdotes fere omnes aut curis et molestiis in tanta omnium rerum caritate aegri aut fructui diffidentes, missionibus minus favebant. In quadam parochia fere mille animarum lugebat ecclesia desolata, confessionali vacans et ne vestigium quidem mensae sacrae restabat, ad quam fideles cibo caelesti alerentur, ipso parocho fatente se his opus non habere. Die dominica tres, ad summum quinque in templum ad missam audiendam ingrediebantur, teste parocho vicino, qui etiam rettulit, illum parochum tam facile missionem permittere, ut manifestum fieret, quam futilis res esset, quam omnes riderent utque in posterum omnis spes in tota hac valle missionem iterandi praecideretur; quod postea fassus est et ipse parochus. Quomodo tot tantaque impedimenta superata sint, Deus scit. Post missionem idem parochus et alter, decanus foraneus, unum solum virum notare poterant, qui ad sacramenta non accesserit. Praeterea ex parochiis quattuor et sex horas distantibus complures ad peccata confitenda venerunt ac finita missione mortuum omnibus carissimum efferri putares, cum parochiani missionarium profecturum lacrimantes deducebant.

Sic hiberno tempore 1919-20 tota vallis 41.000 incolarum missionibus 22 excolebatur. Divina gratia et invicto missionariorum studio — quidam 700 conciones habuit et supra 20.000 confessionum excepit — vallis illa ad meliorem frugem revertit: animi parochorum iamiam de fructu laborum desperantes confirmati, adversarii repulsi, homines permulti qui 20-30 annos extra viam

salutis erraverant ad Deum reducti sunt, usus Communionis frequentis tempore missionis inductus adhuc perseverat, ut RR. DD. Episcopus dixerit se suis oculis magno gaudio discernere potuisse ubi missiones habitae sint atque commentario officiali dioeceseos vallem lavantinam aliarum regionum imitationi proposuerit.

Viceprovincia Cecoslovachiae.

Inter Slovacos missionibus habendis continenter operam dant tres Patres in domo Tyrnaviensi constituti. Neque si decem essent, laboribus oblatis sufficerent; autumno a. 1919 missiones habendae usque ad a. 1921 iam praenotatae erant. Nonnunquam Patres a socialistis turbantur, minis terrentur nisi statim discedant; sed adhuc nihil mali eis accidit.

Etiam in occidentali et septentrionali Bohemiae parte inter Germanos non sine fructu complures missiones habitae sunt.

Provincia Germaniae.

Superiore anno in Germania circiter quadringentae missiones a Nostris habitae sunt. Numerus eorum, qui iis interfuerunt, permagnus est, computo tum relativo tum absoluto. Mutatio bello facta non est. Ruri enim et in minoribus civitatibus ad unum fere omnes tam conciones audiunt, quam confessionem generalem peragunt et ad sacram Communionem pluries accedunt non solum mulieres et virgines, pueri et puellae, sed etiam viri omnes et iuvenes. Scandalum generatim habetur, si quis tantam gratiam, quanta per missionem exhibetur, repudiet.

In magnis et maximis civitatibus, praesertim industrialibus, non omnes quidem missionibus intersunt neque interesse possunt. Attamen vix non semper multo plures quam dimidia pars omnium virorum missionarios concionantes audiunt et sacramenta quoque recipiunt. Si urbs in complures distribuitur parochias, aliorum quoque ordinum religiosi ad missionem habendam invitantur, ita ut nonnunquam per quindecim dies centum vel ducenti missionarii in eadem urbe vel concionando vel confessionibus audiendis incumbant. In maioribus urbibus quattuor missionarii adiuti a confessariis sive nostris sive aliis binis hebdomadis tria quattuorve atque adeo usque ad decem milia confessionum generalium audiunt in una ecclesia, a summo mane ad vesperum, etiam

post ultimam concionem in tribunali poenitentiae occupati, confitentibus haud raro ad noctem usque perseverantibus. Quo fit, ut etiam in civitatibus maximis v. g. Coloniae, Monachii, Berolini numerus absolutus eorum, qui per missionem renovantur, permagnus sit, licet ibidem tertia pars vel sociali conditione vel perversitate temporum a missionibus arceatur. Id quod mirandum non est, cum urbes maximae congeriem et sentinam omnis perversitatis exhibeant, et praeterea multi eorum, qui religionem parum curant, vix de missionibus habendis certiores fiant, etiamsi parochus magno cum labore missionem annuntiaverit et praeparaverit.

Ruri quidem et in parvis oppidis satis est, ut parochus tribus vel quattuor dominicis antecedentibus missionem habendam ex suggestu annuntiet et ad orandum pro peccatoribus cohortetur. Quod in maioribus civitatibus nullo modo sufficit; sed ibi missione annuntianda et praeparanda sodalitates, quae in parochia exstant, per complures hebdomades apostolatum laicorum magno cum fervore et fructu exercent. Si fieri potest, missionarius illas de munere vere apostolico explendo edocet et exhortatur. Omnes catholici totius parochiae bis vel ter vel etiam saepius visuntur et ad missionem invitantur. Quem in finem missionarii domus S. Bonifatii folium missionis scripserunt, « Nova Vita » vel « Lux et vita » nuncupatum, quod ab illis viris et iuvenibus, mulieribus et virginibus per domos distribuitur addita admonitione humanissima ad missionem veniendi. Ne ab iis, qui Ecclesiae infensi sunt, hoc folium statim reiciatur, externum habitum quod attinet non discernitur ab aliis ephemeridibus neque fert emblemata religiosa. Stilo moderno et populari praeambula fidei atque alia tractantur, simul invitantur lectores, ut missionarios concionaturos audiant seque oratione ad Deum convertant. Praeterea magnae annuntiationes concionum typis exscriptae distribuuntur et in fenestris tabernarum spectandae proponuntur, ita ut ab omnibus transeuntibus legantur.

Denique per tres dies plerumque praemittitur missio parvulorum. Sicut pueri omnes in scholis publicis, a gubernio civili constitutis, quinquies in hebdomada per horam in doctrina christiana instituuntur, ita etiam ad unum omnes concionibus a missionario habitis intersunt, omnes confessionem peragunt, unde apostoli exeunt parentum et propinquorum.

Missionis strenuo labore necnon fervidis orationibus praeparatae initium fit die dominica, qua conciones in omnibus Missis a missionariis habentur, in maioribus parochiis quater vel sexies. Singulis feriis ut plurimum ternae conciones habentur: mane, post meridiem, vespere; in maioribus autem urbibus quaternae, cum sint binae tempore matutino. Quia in parochiis quae quinque vel plus quinque milia fidelium numerant, templum raro omnes auditores capere potest, necessarium est priore hebdomada ad mulieres et virgines tantum, altera ad viros et iuvenes conciones habere. Quo fit ut magnus numerus confitentium a feria quarta usque ad sabbatum in duas hebdomadas distribuatur. Qui confessi sunt, cotidie S. Communionem suscipiunt, mulieres etiam altera hebdomada, missioni virorum destinata. A Communione cotidiana tempore missionis saepe ne illi quidem se abstinent, quos Communionem paschalem per annos non recepisse notum est.

Argumenta concionum accommodantur primae hebdomadae Exercitiorum Spiritualium et generatim concordant cum iis, quae P. Roothaan, cum ante centum annos in Helvetia munus missionarii tanto cum successu obiret, breviter latine adumbravit ac scriptis primo multiplicata, postea typis mandata reliquit.

Itaque tractatur de fine hominis et salute animae, de triplici peccato et natura peccati, de fide catholica, luxuria, ebrietate, scandalo, occasione proxima, inferno, morte, iudicio. Similiter agitur de confessione generali, contritione, decalogo.

Officia status explicantur in concionibus de matrimonio et de officiis parentum et iuvenum i. e. de quarto mandato; ita vero, ut omnes invitentur ad has instructiones, etiam ad eas quae pro coniugatis habentur. Omnibus enim quam maxime necessarium est, ut rite secundum doctrinam catholicam de his rebus instituantur, praesertim de matrimonio.

Iis adiunguntur conciones de misericordia, caritate proximi, de labore et oratione, de Communione menstrua et frequenti, de imitatione et cruce Christi, de caelo, de perseverantia atque de aliis. Praeterea separatim una alterave concio habetur ad ludi magistros necnon ad pueros et puellas scholarum mediarum, non solum ut etiam hi de officiis sui status rite instituantur, sed praesertim ut ipsi et eorum propinqui adducantur ad conciones missionariorum audiendas et ad confessionem faciendam. Itaque sicut rudiores, ita etiam nobiliores in magnis civitatibus alliciuntur. In omnibus concionibus errorum nostrae aetatis ratio habetur ita tamen, ut potius doctrina catholica declaretur et demonstretur, quam ut in modum institutionum apologeticarum abeatur.

Socialismi pessima haeresis tempore missionis ex suggestu ipso nomine non designatur, ne socialistae a concionibus repellantur; attamen eorum errores praecipui diligenter reiciuntur et dogma catholicum stabilitur. Iamvero in ultimum diem dominicum annuntiatur concio quae sit maximi momenti, de quaestionibus modernis habenda. Hoc die quo omnes post peractam confessionem generalem mane

S. Communionem sumpserunt et optime sunt dispositi, coram ingenti numero virorum, qui totam explent ecclesiam, diserte de socialismo tractatur, in quantum praeceptis Christi adversatur praetermissis eiusdem erroribus politicis et oeconomicis. Id quod in omnibus civitatibus felici eventu factum est, tacentibus postea ephemeridibus socialistarum et etiam syndicalistis socialistis. Haud pauci ita edocti socialistarum errores eorumque syndicata reliquerunt.

Inde a feria quinta sollemnitates in honorem S. Eucharistiae, B. V. Mariae, sacratissimi Cordis Iesu habentur. In missionibus quindecim dierum altera die dominica post meridiem saepe sollemni ritu familiae sacratissimo Cordi Iesu dedicantur. Eadem die dominica inter Missam, post brevissimam concionem, habetur Synaxis generalis omnium virorum et iuvenum, in qua tres vel quattuor sacerdotes sacram Communionem distribuunt, quia saepe usque ad duo milia et amplius virorum simul accedunt. Alia hora Communio fit generalis mulierum.

Post meridiem primo celebrant finem missionis pueri et puellae, post duas horas mulieres et virgines, post alias duas horas viri et iuvenes, tanta frequentia ut templa etiam magna fideles vix capiant. Renovantur promissa in baptismo facta, datur benedictio papalis; post concionem contra socialismum habitam crux missionis erigitur quod signum sit fidei catholicae.

Ultima die dominica omnibus ecclesiam intrantibus distribuitur haec schedula typis edita: «In singulas domos catholicas ephemeris catholica! Me adscribo ephemeridi N. N. Apponenda sunt nomen, via, numerus domus». Postea schedulae colliguntur. Ita multae bonae ephemerides in familias christianas viam invenerunt.

Sicut S. Franciscus de Hieronymo missionibus S. Synaxim menstruam induxit, ita summo studio missionarii nostri id agunt, ut non solum Communio frequens commendetur, sed multitudo quam maxima omni mense ad sacram mensam adducatur. In permultis ecclesiis, parochiis, praesertim Germaniae inferioris, studio nostrorum missionariorum magno cum fructu ordo hic inductus est: Prima mensis dominica, sacratissimo Cordi sacra, S. Synaxis Apostolatus virorum, altera dominica iuvenum, tertia virginum (quarum multae post quindecim dies prima mensis feria VI^a^. iterum ad sacram mensam accedunt); ultima dominica mulierum, quae in eadem hebdomada feria sexta iterum sacram Communionem expiatorie suscipiunt. A nostris primum inductus,

hic ordo in multis dioecesibus ab Episcopis iam praescriptus est. Iuvenes et virgines tempore missionis, ut nomen dent Congregationibus Marianis invitantur, mulieres sodalitatibus matrum, quae omnes statutis suis Communionem menstruam praescribunt, viri denique et pueri inde a decimo anno per Apostolatum virorum, quem dicunt, omni prima dominica mensis ad Communionem in honorem SS. Cordis suscipiendam perducuntur. Ita fit, ut unus saltem ex singulis familiis unaquaque die dominica ad sacram mensam accedat.

Ut fructus missionis conserventur, missionarii typis edunt plagulas menstruas tam pro viris quam pro mulieribus, quae quater vel quinquies centena milia hominum ad Communionem menstruam invitant et praeparant.

Quanti sacerdotes saeculares missiones Nostrorum faciant, vel inde apparet, quod quotannis multis parochis missionarios nostros petentibus deficiente operariorum numero satisfieri non potest. In una tantum domo et uno anno plus quam ducentae quadraginta missiones recusatae sunt.

Praesertim ex quo tempore Communiones menstruae tamquam medium potissimum perseverantiae pro multis centenis milibus christifidelium tempore missionum inductae sunt, etiam post complures annos fructus missionis optimi ab omnibus conspiciuntur.

Provincia Germaniae (Pars meridiana).

Imprimis missio Monachii a die 29 mensis novembris ad 14 decembris in 28 ecclesiis parochialibus habita mentione digna videtur, quamquam annum 1920 paulo praecedebat. Nostri in quattuor ecclesiis (eccl. cathedrali, S. Bonifatii, S. Ludovici, B. Mariae Virginis in Haidhausen) occupabantur. Ultima missio fuerat 1895.

Quidam e Nostris eventum, praeter exspectationem bonum, in tota urbe quam optime praeparaverat, cum quinque fasciculos folii periodici fini accommodati a 2000 adiutricum per omnes domos distribuendos curaret. Renuentes et tepidi peculiari admonitione instigabantur. Participantium numerus in dies crevit, ut templa vix continere possent homines gratiam divinam quaerentes. Una hebdomada mulieribus, altera viris reservata erat pari confluxu. Tertia circiter pars catholicorum sacramenta re-

ceperunt inter quos multi, qui iam per annos officia sua spiritualia neglexerant. Archiepiscopus ipse in ecclesia sancti Ludovici, Nuntius apostolicus in ecclesia cathedrali dies salutis concluserunt. Curae pastoralis ordinariae erit fructus eximios conservare et augere. Qua ratione id aptissime fieri posset, sacerdotes a Vicario generali convocati consuluerunt.

Anno 1920 aliae quoque urbes celebriores gratia Exercitiorum publicorum donatae sunt. Ita Ratisbonae nostri missionarii monacenses, feldkirchenses, asceburgenses, straubingenses in quinque ecclesiis, Augustae Vindelicorum in quattuor, Straubingae in duabus, Ulmae in tribus, Ingolstadii in duabus ecclesiis, Norimbergae aliisque in minoribus urbibus et locis missiones magno cum fructu persolverunt. Funesta quidem immanis belli mala indifferentia adultorum, neglecta puerorum educatio in missionibus quoque sentiuntur. Ubique nostri missionarii virorum Apostolatui, societatibus matrum, congregationibus variarum hominum classium inducendis, publicis bibliothecis instituendis operam navabant et frequentem, immo quotidianam Communionem valde commendabant. Missiones tanto numero petuntur, ut Patres usque ad annum 1923 iam occupati sint. A mense augusto 1919 usque ad eundem mensem anni 1920 in parte meridiana Germaniae 220 missiones a Nostris habitae sunt.

Provincia Hungariae.

Potestate bolschevicorum in Hungariae regno vix fracta praeter alia etiam missionum ministerio Nostri novo ardore se dediderunt. Adhuc ad 68 missiones et in maiores urbes et in pagos excurrerunt. Saepius debuerunt per diem integrum atque adeo hora 8 vespere populo concurrenti S. Communionem distribuere. Missionarii usum induxerunt, ut fideles sacramento poenitentiae expiati non solum certo die, sed reliquo etiam missionis tempore S. Communionem acciperent, finita vero missione omnes simul ad mensam dominicam accederent indulgentiae pro mortuis lucrandae causa. Ut vero fructus missionis conservarentur, prima mensis feria sexta abhinc celebrari statutum est ita ut in locis, ubi antea res ignota erat extra tempus paschale communicare, a missione peracta iam complura centena hominum prima feria sexta cibo caelesti reficiantur.

Singulari memoria est digna missio quam Patres Collegii Colocensis (Kalocsa) in Pahi (comitatus Pest), habuerunt: 62 familiae Calvini haeresim abiurantes in Ecclesiam receptae sunt.

Provincia Campaniae.

Anno 1920 Patres Prov. Campaniae instituerunt missiones Insulis (Lille, in 4 paroeciis), in urbe Commercy (in una paroecia 3 PP.), Catalauni (Châlons, in 6 paroeciis, 13 PP.), Valencenis (Valenciennes, in 3 paroeciis, 8 PP.).

In omnibus, prohibitione facta a coetu socialistarum, vix unus aut alter operariorum templum intravit. Visitationes tamen accurate factae sunt per singulas domos; et si paucas excipias reverenter exceptae. Variae hinc inde industriae adhibebantur. Mane in aliqua insulana ecclesia praeparatio ad sacram Synaxim et gratiarum actio e suggestu factae per modum meditationis, magna adstantium satisfactione; vespere conciones per modum dialogi. Aliquando caerimoniis non sine ingenti adstantium multitudine caput aliquod doctrinae exhibebatur. In alia ecclesia, die missae pro defunctis, missionarius quidam exstruxit in choro tumulum terrenum, lignea cruce alba decoratum, ad instar tot tumulorum in acie erectorum; nec per totum diem defecerunt qui inviserent. In Commercy a prima concione templum omnino repletum erat et amplius mille viros adfuisse concioni referunt. Idem fere numerus fuit Catalaunensium in ecclesia cathedrali, quorum 600 ad sacram Synaxim accesserunt.

Provincia Franciae.

A) Missiones Armoricae (Bretagne).

Patres Residentiae Corosopitensis (Quimper) per totum annum 1920 occupati fuerunt in praedicandis missionibus. Hoc opus resumpserant anno superiore statim ac milites ab exercitibus dimissi sunt. Dixerat enim RR. DD. Episcopus Corosopitensis bello vix absoluto et in pastoralibus secessibus idem repetiit se missiones velle promovere atque optare ut paroeciae omnes biennio hac gratia fruerentur.

Eventus superavit spes quae exeunte tam longo bello concipi poterant: magna multitudo hominum in ecclesias confluxit et

fidem sinceram professi sunt. Ut plurimum paroecia renovata est, redintegratus usus missae audiendae et frequenter Sacramenta accipiendi.

Non sunt tantum missiones proprie dictae, sed etiam parochiales secessus (retours de mission) vel per unam hebdomadam, vel iis diebus per quos paroeciae in vicem adorant Sanctissimum Sacramentum, quod accidit quarto quoque anno. Tunc « adorationes » vocantur et perdurant duo, tres aut quattuor dies, prout maior aut minor est paroecia.

In omnibus his occasionibus traduntur fidelibus Exercitia S. P. Ignatii, etiam « Annotationes » explicantur, sed praesertim veritates fundamentales: iura Dei, salus animae, finis hominis, Passio Domini; in adorationibus adduntur conciones de S. Eucharistia.

Missiones proprie dictae perdurant duas aut tres hebdomadas. Quotidie fit, ut aetate Ven. P. Maunoir, explicatio « tabularum ». Pater quidam (plerumque missionis praeses) tabulas virga tangens, e suggestu solitas explicat allegorias, vividis depictas coloribus et perspicue delineatas in magnis telis ut sunt descriptiones orbis terrarum in scholis.

Periti omnes confirmant hunc modum docendi semper magnopere delectare animos bonos atque simplices hominum qui Britanniam Minorem incolunt neque fructu solido carere.

Sola enim cupiditate audiendi missionarios de Deo loquentes, discendi religionem et etiam vi exempli alliciuntur omnes, fere nemine excepto, nam rarissimi sunt qui ad missionem non veniunt. Hi plerumque peregrini sunt aut publico munere fungentes, qui timore retinentur. Itaque non minimae aedificationis est videre integros vicos et oppida exercitiis solidos dies vacare, licet incolae saepe ab ecclesia compluribus passuum milibus distent. Incipiunt exercitia mane hora 7: preces matutinae (cantatae), missa, concio. Hora 9 et 10 $^{3}/_{4}$ conciones; h. 1 cum dimidio recitatur corona et explicantur « tabulae »; h. 4 concio, preces (cantatae), benedictio SS. Ante et post omnem conventum hymnos sacros alacriter omnes concinunt. Omnia tempora libera per totam hebdomadam in audiendis confessionibus occupantur.

Plerumque adulti in duas partes dividuntur quae sibi in vicem succedunt. Una missioni adest, altera servat domos et solitis fungitur laboribus. Initio pueri tres dies secessum agunt: et

pueruli privatam Communionem peracturi et paulo grandiores qui frequentant catechismum Communionis sollemnioris gratia. Omnes simul Eucharistiam accipiunt et monentur ut precibus assiduis paroeciae divinam gratiam concilient. Puerorum pietate optime disponuntur parentes, fratres et sorores natu maiores.

In urbibus, vespertina praedicatio (v. g. hora 8) omnibus promiscue fidelibus fit; iterum accuratius et ornatius, plerumque gallice, evolvitur materia iam tractata.

Infeliciter pauci sunt multae messis operarii qui armoricam linguam calleant. Non iam oneri satisfacere possunt, cum etiam gallicis missionibus operam conferant. Ideo in ipsis missionibus socios adhibent sacerdotes saeculares ut confessiones excipiant et praesint cantui. Nam vigent cantica armorica, tam ab antiquis olim conscripta missionariis, etiam ab ipso Ven. P. Maunoir, quam a P. Bourdoulous armoricae linguae peritissimo. Hi sacerdotes a vicinis paroeciis saepe multi adveniunt. Non paucae adhuc servantur ex consuetudinibus quas olim PP. Maunoir et Bernard apud adiutores suos induxerant, v. g. hora certa surgendi, oratio matutina et meditatio ab omnibus simul in ecclesia peractae, usus cantandi « Miserere » dum meridie ex ecclesia pergunt ad domum parochialem, lectio ad mensam.

Nostro operi benedixerunt Superiores maiores, PP. Provincialis, Visitator, Generalis et Summus Pontifex Benedictus XV. amantissimis litteris autographis die 5 septembris 1920 missis.

B) Missiones Residentiae Lavalliensis (Laval).

Numerantur sex Patres qui missionibus dandis praecipue vacant. Per annum soli aut cum sociis ex aliis domibus accersitis viginti missiones tradiderunt. Quam strenue laboraverint et quibus viis rationibusque utantur, exemplum sit missio in urbe Redon (Ille et Vilaine) a die 5 octobris usque ad 2 novembris 1919 habita.

Inchoata est missio dominica, die 5 octobris, Missa sollemni. Post aspersionem, dum canitur « Veni Creator », clerus parochialis et missionarii processionem agunt per ecclesiam et in chorum redeunt, ubi ad imum altare parochus tradit Superiori missionis stolam pastoralem, significans delegari in animas iurisdictionem.

Post Evangelium parochus fidelibus commendat missionarios brevi et comi oratione. Deinde Superior omnibus annuntiat « tempus acceptabile, tempus salutis »; vesperi alius Pater de salute animae verba facit.

Duo dies consequentes (6, 7 octobris) consumuntur unice in visitandis domi paroecianis omnibus iuxta illud Servatoris: « Bonus Pastor cognoscit oves suas ». Numerantur in civitate Redon 1860 familiae, quas si inter missionarios quattuor partiaris, uni cuique invisendae sunt 465. Mane ab hora 8 aut 9 incipiunt invisere domos, comitante parocho et vicariis, usque ad noctem. Per totam missionem continuantur visitationes nec omnes domus adiri possunt. Exceptis rarissimis aedibus, ubique non solum decenter, sed sedulo, comiter, vere religiose accepti sunt missionarii; continuo patebat missioni omnium conciliari animos.

Die 8 octobris incipit secessus puerorum. Ad horam 4 p. m. convocati sunt omnes pueri ab anno octavo ad quintum decimum. Numerantur 800 circiter. Duodecim concionibus instituuntur et praeparantur ad Communionem generalem quam die dominica (12 octobris) hora 7 omnes piissime accipiunt. Vespere hora 2 absolvitur secessus puerorum. Omnes etiam natu minimi convocantur infantes, ii quoque qui in matris ulnis portari debent quibusque in ecclesia licebit vagire. Per vesperas pueris distribuuntur memorialia et mille circiter coronae albae et roseae, a devotis mulieribus artificiose confectae. Cantatis vesperis pompam instituunt omnes pueri, saltem mille numero et per urbem procedunt portantes Sanctorum statuas et pia vexilla, redimiti coronis omnes, exceptis natu maioribus. In ecclesiam reduces canunt canticum in honorem B. M. V.:

Bonne Marie,
Je te confie
Mon cœur ici-bas.
Prends ma couronne.
Je te la donne.
Au Ciel, n'est-ce pas?
Tu me la rendras.

Cum canitur versus « Prends ma couronne », omnes simul pueri coronam offerunt Virgini et manu agitant. Quod pluries fit.

Postea pueruli et puellulae (circiter 200) qui in choro collo-

cati erant, canticum suae aetati aptatum infantilis vocis suavitate modulantur, verba accommodatis gestibus confirmantes:

I. O Jésus, mon doux Sauveur,
Je viens vous donner mon cœur,
Le donner si bien
Que le monde n'en ait rien.
IV. Petit Jésus, tout aimant
Bénissez papa, maman;
Gardez-les si bien
Que le monde n'en ait rien.

In quarta stropha, dum canunt « Petit Jésus tout aimant », profunde inclinant caput tabernaculo; sequenti versu « Bénissez papa, maman », celeriter conversi, parentes hoc spectaculo commotos amantissime salutant.

Proxima hebdomada fit secessus virginum, iuvenum et etiam aetate maturiorum. Die martis (14 oct.) hora 5 ½ missa et concio; 4 hora p. m. inchoatur secessus. Diebus mercurii, iovis et veneris missa hora 5 ½, conciones h. 6, 9, 4 p. m. Sabbato confessiones per totum diem. Die dominica hora 7 Communio generalis; hora 3 p.m. vesperae, pompa, finis secessus. Ex circiter 1000 puellis, plus quam 800 communicarunt. Vespere per vias urbis pompam ducunt in honorem B. M. V.; post reditum in ecclesiam, audita concione de devotione erga B. M. V., consecratur paroecia Deiparae. Distribuuntur exercitantibus imagines « Mariae gratia plenae ».

Tertia hebdomada impenditur secessui matronarum, quae 1750 in urbe numerantur. Similis fere est ordo exercitiorum, ternae conciones per tres dies. Die dominica (26 oct.) circiter 1400 mulieres communicarunt.

Iam ab initio peculiares conciones pro solis hominibus erant institutae. Diebus veneris, 10 et 17 oct., hora 8 P. Superior authentica et veridica vindicaverat esse Evangelia nec non D. N. I. Ch. vera et divina miracula patrasse probaverat. In tertia hebdomada alius missionarius diebus iovis, veneris, sabbato, mane hora 6 et vespere 8 secessum instituerat pro 100 circiter selectis adolescentibus quos confortaverat et reddiderat robustos.

Proprius virorum secessus coepit die dominica 26 oct. et feria VI vespere confessionibus usque ad multam noctem exceptis, sabbato die 1 novembris Communione generali conclusus est.

Non praetermittendae insuper sunt: diebus 14 et 23 octobris habitae duae conciones (conférences dialoguées), in quibus ab uno sacerdote allatae, ab alio solutae sunt pervulgatiores adversus religionem obiectiones; consecratio civitatis Redon S. Cordi Iesu 16 oct.; festum in honorem S. Crucis 21 oct.; commemoratio omnium in paroecia defunctorum, praesertim militum qui in bello occubuerunt; totus dies (30 oct.) consumptus ad reparandas Deo illatas iniurias cum triplici honoris satisfactione. Aedificantur duo altaria, unum prope confessionalia, alterum prope fontem baptismalem ad quae SS. affertur cum pompa et recitatur petitio veniae pro violatione promissionum baptismi et pro neglectu sacramenti poenitentiae, tandem ad maius altare pro omnibus peccatis in Eucharistiam patratis.

Insuper celebrata est die 1 novembris vespere per totam urbem processio SS. Sacramenti; in una ex plateis comparatum erat splendidum repositorium ubi, concione peracta acclamatum est Deo et benedictum civitati. Die 2 novembris mane hora 10 celebratur commemoratio omnium defunctorum; vespere instituitur pompa ad coemeterium, ubi missionarius monuit quae nos doceat mors. Postea reditum est in ecclesiam; omnes mirantur eam nunc, sublato omni funebri ornatu, universam rursus frondibus, floribus, luminibus renidere. Ultimum missionarii auditores adhortantur ut in Dei servitio perseverent et benedictione SS. finis imponitur missioni.

Alia etiam celebratur festivitas, ubi plurimi adsunt opifices, praesertim ruri, in honorem S. Ioseph, festus dies «laboris» dictus. Sancti sacellum et altare diversa artificum collegia instrumentis suis exornant: aratrum cum nitido vomere afferunt agricolae; incudem, malleos ferrarii; palas, rastra, forficesque floribus sparsas hortulani; secures, cultros, serrarum laminas lanii; rutabula et palas vittis redimitas pistores; penicillos et colores pictores; scalas et trullam structores et tegularii; cotem cultrarius. Insuper videas naviculam vela candida pandentem, pendentia vero e fornice retia et plagas; in angulis machinam ad consuendum aptam, colus necnon dentatas crates a quibus innumerae pendent vestificarum forficulae, discipulorum calami aut opificum omnis generis instrumenta.

In repositorium composita est mensa fabri lignarii, in qua reponetur S. Eucharistia, ut olim Nazarethi inter serras et run-

cinas S°. Ioseph assidebat puer Iesus. E cathedra a polymitariis purpureis aulaeis vestita, missionarius in memoriam omnibus reducit laboris legem, utilitatem, mercedem et proponit exempla nazarethana. In fine datur benedictio SS. Sacramenti.

Provincia Lugdunensis.

E mense octobri anni 1919 usque ad Pascham 1920 Patres lugdunenses modo bini, modo trini, missiones 70, ut plurimum per tres hebdomadas productas, celebrarunt. Etiam hic recordatio militum in bello mortuorum animos maxime commovit ut propriae saluti consulerent; multi ad vitam vere christianam redierunt.

Provincia Tolosana.

Variis in civitatibus et pagis, praesertim Lapurdi, Ausci et Anicii tradita sunt missionum exercitia.

Lapurdi (Lourdes, 14 mart.–4 apr., 3 PP.) ecclesia paroecialis pluribus quam 3000 fidelium saepius redundavisse dicitur. Praedicationem complebat lectio, siquidem diarium quoddam missionis alternis diebus ad singulas familias perveniebat, quo renovabatur sacerdotis visitatio apostolica. Toto exercitiorum tempore distributae sunt Communionum 20.000. Sedecim piae virorum consociationes, quae torpore languebant, inter se nunc foederatae ad novam vitam actionemque revocatae sunt. Foederationis quasi compages Apostolatus Orationis est.

Ausci (Auch, 16 mart.–4 apr., 3 PP.) miro virorum concursu tradita missio in ecclesia cathedrali. Conati sunt PP. stabiles coetus constituere: unum virorum (Apost. Orat.), alterum mulierum artificia exercentium (N. D. du Travail), tertium iuventutis catholicae (A. C. J. F.). Die Paschali non iam ut superioribus annis 400, sed 714 viri ad sacram Synaxim accesserunt.

Anicii (Le Puy, Dom. II Advent.– Fest. Nativit., 8 PP.) bini missionarii in 4 paroeciis civitatis operam impenderunt. Duae res felici missionis exitui profuerunt: una, exspectatio proximi iubilaei, quod Anicii solet celebrari, quoties Parasceve incidit in festum B. M. V. Annuntiatae; altera, quod ipse RR. DD. Episcopus ad singulos patres familias miserat typis expressas invitationes. Clerum piosque fideles maxime movit numerus eorum qui, diu neglectis sacramentis, ad christianam vitam aperte conversi sunt. Ibi etiam instituti stabiles virorum coetus.

Tolosae, statim post hebdomadam Resurrectionis, in ea paroecia quam Hispani plurimi incolunt, missionis exercitia tradita sunt a Patre quodam Provinciae Castellanae.

Provincia Angliae.

Quadragesimae anni 1920 tempore a Patribus anglis 37 missiones (11 per 1 hebdomadam, 20 per 2, 3 per 3, 3 per 4 hebdomadas) habitae sunt.

In Residentia Glascuensi (Glasgow) S. Ioseph ea ratione missio instituta est, ut una hebdomada solarum esset mulierum, altera virorum tantum. Pueri autem et puellae singulis diebus aliquam suam partem nacti sunt.

Collegii vero Glascuensis templum cum esset 2000 hominum refertum, alii mille in collegium deducti sunt: sic duo missionarii duobus in locis eodem tempore verba fecerunt. Decem sacerdotes simul confessiones audierunt.

Provincia Canadensis.

Quinque Patres centum viginti duas hebdomadas missionum habuerunt, praeterea septem secessus: quattuor negotiatoriis viatoribus, duos alumnis nostris et unum clausum; ita unusquisque fere viginti sex hebdomadas huic labori tribuit.

Ante missionem, a Superiore mittitur parocho epistola in qua, praeter alia hae industriae suggeruntur ad animas missioni praeparandas:

1° Novem ante diebus recitetur rosarium in omnibus paroeciae familiis, vespere hora indicta, et, si fieri possit, sono campanae annuntiata.

2° Scholarum pueri excitantur, ut peculiari modo orent pro conversione peccatorum paroeciae.

3° Eadem intentione rosarium recitetur in missa parochiali tribus diebus dominicis ante missionem.

Brasilia.

Respublica Brasiliana quae, ut omnibus notum est, fere dimidiam partem Americae Meridionalis amplectitur, praeter civitates omni moderno cultu expolitas et oppida proprio pastore dotata, sedes quoque colonorum possidet, a magnis urbibus sat remotas. Nec mirum est si coloni, tam itinerum difficultate quam maxime

paupertate sua et aliqua desidia impediti et operibus ruralibus intenti, solatiis spiritualibus fere carent.

Archiepiscopus Paulopolitanus D. Leopoldo Duarte Silva suarum ovium necessitate permotus, missiones rurales invexit easque curae P. Aloisii Rossi (Miss. Bras. Cent.; Prov. Rom.) commisit. Hic una cum aliquibus cleri saecularis sacerdotibus opus aggressus, res sat bene composuit atque ordinavit. Postea vero, deficientibus sacerdotibus saecularibus, socius ei adiunctus est Pater quidam, qui etiam nunc huic ministerio operam navat. Ordo qui servatur in missionibus, hic fere est: summo mane missionarius ecclesiam petit si quae est vel sacellum quod plerumque ab ipso refici et exornari debet. Convocato populo, recitantur preces matutinae. Has sequitur Sacrum et concio brevissima, qua peracta et hymno aliquo decantato, populus ad agrorum labores dimittitur. A meridie pueri puellaeque ad doctrinam christianam audiendam vocantur. Hoc ministerium certe primis temporibus difficile evadit, in fine tamen consolationibus plenum est. Sub noctem populus iterum congregatur: Rosarium Beatae Virginis recitatur et sacra concione denuo habita, litaniae lauretanae cantantur et benedictio cum SS.mo Sacramento populo impertitur.

Incredibile dictu est quantus sit fructus harum missionum. Missionarius vero praeter timorem Dei summum valetudine corporis firma et ingenti patientiae thesauro instructus sit oportet.

Patres Missionis Meridianae Brasiliae (Prov. Germ.) 55 missiones e mense augusto 1919 usque ad mensem augustum 1920 peregerunt.

Columbia.

Qui ad ripas fluminis Magdalenae habitant homines albi atque indi, ob nimiam magnitudinem parochiarum quae fere tam late patent quam dioecesis Galliae, raro admodum ministerio sacerdotali gaudent et institutione in doctrina christiana carent. Ut huic malo remedium afferrent, Patres Missionis Columbianae (Prov. Cast.) missionem quam vocant fluvialem instituerunt.

Ex urbe Barranquilla, ubi Residentia Societatis habetur, adverso flumine navigantes certo loco magnam navem relinquunt et scapha vel indigenarum cymba utentes singulos pagos domosque visitant, ut missione quadam habita fidem et pietatem in accolis excitent.

Ex mense februario anni 1918 usque ad eundem mensem anni 1920 quinque huiusmodi apostolicis excursionibus (3 fere mensium singulis) institutis Patres 60 oppida et pagos cum 3096 domibus et 27.470 habitantibus inviserunt et 3275 pueros in doctrina christiana instituerunt; alii numeri quibus labor missionariorum eiusque fructus paulum declarantur sunt hi: primae Communiones 2250, baptismi 520, matrimonia 659. Ut derelictis christianis succurrere possent, Patres itinera 650 km. in scapha perficere debuerunt.

Algeria.

In Algeria bini Patres Residentiarum Constantinensis et Oranensis (Prov. Lugd.) fere toto anni tempore regionem peragrant, ut spiritualibus necessitatibus eorum praesertim locorum succurrant, ubi parochus non habetur.

* * *

Quod teste historia nunquam non Societas experta est, id nunc quoque laeti conspicimus: laborem sacrarum expeditionum, utpote ministerium a Divina Providentia ipsa Societati demandatum eique valde proprium uberrimos afferre fructus eosque perennes, ubicumque missionarii spiritu supernaturali imbuti et zelo animarum flagrantes maiorum nostrorum traditionibus — quas quidem temporum necessitatibus adaptare oportet, — fideliter inhaerent et piis consociationibus aliisque rationibus sacrarum expeditionum fructibus conservandis sollerter provident.

IV.

MINISTERIA IN REGIONE « SOMME » VASTATA.

Ubi licuit vastatas regiones peragrare, ab ipso mense novembri 1918, Superior Ambianensis Domus (Prov. Camp.) coepit cum nonnullis PP. solamen et auxilium spirituale afferre incolis qui remanserant vel iam redierant. More militum, omnia secum portantium, videres illos stragulo et tentorii linteo contra frigus et

contra pluviam munitos, capsam ad usum S. Sacrificii manu ferentes, aliquando, cum per viam et peritiam licuit, birota utentes agros ferro flammaque vastatos percurrere; constanter, qua potuerunt frequentia, die dominica, modo huic, modo illi regioni aderant et capellanis, a RR. DD. Antistite missis, ordinarium auxilium praebebant.

Pridie vel duobus diebus ante monebantur incolae affore sacerdotem qui certa hora, certo loco missam celebraturus esset; alii sincera fide moti, alii visendi causa aut urbanitate quadam ducti libenter convenerunt et cum illis exercituum reliquiae. Videre erat Alberti, ubi fuit quondam inclitum B. M. V. templum, in unica exstante domo (mense martio anni 1919) S. Sacrificio interesse viginti pagi incolas (nec plures tunc aderant); decem gallicos vigiles exquisita sua munditia conspicuos; centum milites hibernos qui, cum audivissent celebrari missam catholicam, festini advenerant.

A tempore Paschae anni 1919, e domo Angiensi mittebantur complures sacerdotes iuvenes, plerique milites exauctorati, et inter eos viri iam exterarum missionum vitam experti, qui tempore vacationum, non sine multo labore, utilem in his regionibus navarunt operam.

Rerum omnium penuria, in locis abhinc quattuor annos omni commodo praeditis, non unam creat incolis et sacerdoti molestiam. Aquam, quam sine periculo valetudinis bibere liceat, frustra quaeres intra 6 aut 7 km.; panis aliquando semel in hebdomada affertur; meliore conditione ii sunt, qui pristina stabula in habitationem familiae convertere valuerunt; templa vero quis redintegrare potest? Subsidia multa praebet catholicorum caritas; sed quid hoc est tantis ruinis?

Saepissime invenire erat derelictum aliquid ab Anglis vel Gallis, vel dimidiam ingentis ferrei dolii partem vel casam, ligneis parietibus et tecto laminibus ferreis undato constantem. Quod aedificium a gubernio impetrare vel emere primum oportebat; deinde annuente vici aedile locum opportunum obtinere, tum iuvantibus nonnullis et praesertim suis ipsius manibus solum coaequare, fundamentum aliquod ponere, tandem dolium vel casam transferre.

Supellex aedificio compar: altare portatile capellanorum mi-

litarium adest; forsan campanula plus minus quassa inveniri potuit. Hic statua superstes affertur; illic imago nova affigitur; in communi penuria libenter laborat etiam Ecclesia.

Utcumque in altari tabernaculum sistitur; et ecce, quamdiu manebit sacerdos, denuo inter hos qui laborant et onerati sunt, versatur Salvator hominum. Aliquando, sicut erat in militaribus sacellis, in modum sacristiae cubiculum reservatur sacerdoti: frigori, pluviae, muribus, ut intelligere est, patet aditus.

Die dominica, summo mane missionarii in templo principe ministrant sacramenta. Postea birota utendum, vel curro aliquo quem libenter commodant agricolae; in alio pago, 10 km. fere distante: sub horam 8 ½ missa, concio, confessiones. Quibus fine imposito, missionarius ad primum pagum reversus hora fere 10 ½ alteram missam, concione adiecta, leget aut cantabit. Etiam post meridiem duplici loco habentur vesperae et catechismus. Redeuntem demum iam paene exspectant iuvenes, titulo « Coetus Studiorum » allecti, multiplici cura indigentes, ceterum scientiae unius necessariae non omnes curiosi. Doctrina christiana creberrime explicanda multis in parochiis, multis in domibus; per annos enim quibus saeviit bellum ab illo labore cessatum est. Non semel in regionibus ab hoste occupatis etiam schola clausa erat, ita ut pueri ne litteras quidem sciant et otio marcescentes ingenia fere silvestria induerint. Ludimagistri, si honorifice tractantur, vix negotium facessunt; legis nulli religioni favendi obliti, locum et tempus tradendi in schola ipsa catechismum missionario libenter concedunt. Sed cum urgeant vivendi necessitates et laborandi opportunitates, cum deficiant libri, cum saepe puerorum religiosam institutionem parentes parum curent, multo labore opus est et ad auxiliares catechistas recurrendum. Ancilla quaedam in pago longius distante, pueros a Nativitate Domini usque ad Pascha catechismo satis bene instituit. Catechistis e multis locis in urbem Péronne singulis mensibus certo die convenientibus, unus e Patribus ambianensibus recollectionem habet.

Cum in his regionibus iam ante bellum rariores essent sacerdotes, cum per annos belli et veterani multi diem supremum obiissent et iuvenes non pauci in acie occubuissent, cum praeterea eae sint conditiones, quae missionarios potius quam parochos requirant, non mirum si etiam sacerdotes ab Episcopo turmatim

i. e. terni vel quaterni collocati auxilium poscant, quod soli, ut illi dicunt, Iesuitae praebent.

Nobis vero quod maxime doluimus, non licuit omnibus huiusmodi precibus obsecundare et in aliquot tantum vastissimi campi locis potuimus presbyteros adiuvare.

Variis de causis hae missiones sunt necessariae; et in principali coetu et in variis pagis singulae domus invisuntur, christianae disciplinae elementa pueris et adultis traduntur, ita ut in agro sic exarato fiant 60 pro centenis incolis Communiones, quae nisi missionarius venisset, vix paucae computatae fuissent; nam in hac etiam communi calamitate aliquot sunt a proprio parocho aversi animi.

Ceterum, nec obstacula desunt: « malesuada » fames et auri cupido et praeteritae terrenae felicitatis recordatio. Ad pristinas voluptates iuvat aliquos denuo ruere nec eos pudet, etsi in vastationis horrorisque regione, saltationes adhibere. Obstant etiam pagorum dispersio et incolarum paucitas; ab uno coetu plus quam 20 pagi pendent nec ullus minus 8 km. distat. Obstat maxime in multis religiosarum rerum ignorantia, et cum toti sint in eo ut restituant domos, quam multi obliviscuntur Domini, quo praeterito in vanum laborabunt.

Dominus vero iis qui semel ad illum accesserunt, quam suavis sit, etiam hic experimur. Familiae nonnullae Sacratissimo Cordi Iesu consecratae sunt et saepe salus his domibus facta est. Nonnullos servat Dominus ad misericordiam. Senex pleuritide laborabat nec sacramentis unquam munitus erat a die matrimonii. Pedetentim et placide interrogatus, fatetur se nullam transmisisse diem quin Rosarii decadem percurreret. Quid plura? Noxas confitetur, poenitentiam elicit; altero die summo cum gaudio Sanctissimum Sacramentum accipit. Re peracta, missionarius abit, qui, hebdomada nondum finita, certior factus est de senis obitu.

Alius, olim faber lignarius, nunc senex 84 annorum, nunquam a primis annis confessus erat, insuper et surdus factus. Narrabat tamen se quotidie, antequam labori se daret, in ipsa officina in genua procumbere solitum fuisse et orare. Etiam hic noxas eluit et summo affectus gaudio dictitat: « Quanta mihi felicitas, Pater! Nunc coelesti hospitio excipiar ».

V.

OPUS XAVERIANUM IN FLANDRIA ORIENTALI (1).

In quattuor belli annis opus Xaverianum detrimentum passum est, cum nec menstrui conventus nec generales Communiones statis diebus haberi possent, eo quod plurimi Xaveriani vel abessent vel saltem a conventibus ordinariis arcerentur. Statim vero a cessante bello per universos Flandriae Orientalis pagos ad viros omnes et iuvenes a sextodecimo aetatis anno plagula est missa, qua vel in memoriam eorum Xaverianae promissiones revocarentur vel ipsi invitarentur ut consociationi nomen darent. Inventa sunt centra 165, socii vero 32.999; ex anno 1912 centrorum numerus tribus auctus erat, sociorum vero 4727 deminutus, cum non pauci in bello occisi essent vel adhuc sub armis versarentur.

Parochi et vicarii, locales Xaverianorum directores, qui plerique inter bellum in pagis suis remanserant, per totum illud tempus, sociis Xaverianis relictis stimulos adhibere et animum dare non destiterunt. Vixdum igitur induciae pactae erant, cum menstrui coetus iterum haberi coeperunt et generalis Communionis usus instauratus est.

Moderator Xaverianorum in Flandria Orientali mense augusto anni 1919 cum localibus directoribus operis in dioecesi egit eosque mox, mense octobri 1919, ad coetum magnum convocavit. Inter omnes convenit ut continuo singuli pristinam actionem consociationis resumerent, atque eodem mense octobri 1919 denuo editus est libellus periodicus trimestris qui inscribitur, « Xaverinsbode », moderatoribus destinatus.

P. Taelman, qui consociationi in Flandria Orientali praest, singulis hebdomadis per tres quattuorve dies in alio pago degit, apud parochum eiusve vicarium, Xaverianorum directorem, hospitatus.

(1) Archiconfraternitas S. Francisci Xaverii anno 1854 a P. van Caloen instituta est, ut socii oratione, verbis, exemplo sacerdotes adiuvarent in reducendis hominibus ad vitam vere christianam. Ex illo tempore per totum Belgium diffusa, haec pia consociatio praesertim in parte flandrica floret. Regitur a Moderatore pro toto regno constituto, sub quo Moderatores dioecesani et locales sociis praesunt.

Tribus continentibus diebus vespere concionem habet ad viros Xaverianos aliosque aetatis saltem 16 annorum. Eos etiam ad Missam invitat, inter quam aliquam instructionem religiosam dat. Tertius vero dies audiendis confessionibus insumitur, in qua re complures confessarii Patrem adiuvant ab hora nona usque ad meridiem et ab hora secunda usque ad vespertinam concionem necnon etiam post hanc: mane et vespere neminem nisi viros adultos audiendo! Quarto vero die, dominico vel festivo, ad Communionem accedunt viri Xaveriani omnes simul, et veterani et modo recepti; post meridiem autem conveniunt ad SS. Sacramenti sollemnes laudes et ad concionem. Pater dum in pago moratur, socios infirmos domi visitat eosque, confessione audita, sacra Communione reficit; adiutores inter Xaverianos convocat; cum iis et cum moderatore locali omnia consociationi utilia decernit.

Quo pateat quanti sit momenti istud ministerium per vicos et pagos, satis est dixisse Patrem Taelman a mense septembri 1919 ad septembrem 1920 vitam christianam plus quam centum milibus hominum praedicasse; eundem mense decembri 1920 fundamentum Exercitiorum circiter 1500 viris et iuvenibus exposuisse; mense vero ianuario 1921 plus quam 1800 viris. Insuper die dominica, dum claudit exercitia, ad populum inter plures Missas verba faciens, bonam occasionem nanciscitur, qua melius cognoscendum suum opus proponat, Communionem frequentem promoveat, Apostolatum Orationis inducat, vitam christianam amari et servari faciat, bonos libros propaget.

Mense maio 1920 in pago Oostacker praeside RR. DD. Seghers, Episcopo Gandavensi, praesentibus moderatoribus generalibus Xaverianorum archidioecesis Mechlinensis et dioecesium Brugensis et Gandavensis, convenerunt in sollemnem congressum omnes adiutores Xaveriani Flandriae Orientalis. Mille et centum adfuerunt cum propriis moderatoribus localibus et signiferis vexilla gerentibus. Post missam Episcopus recitavit formulam sollemnem qua Xaveriani Beatissimae Virgini se dedicant, ad cuius pedes delegati oblationem 165 consociationum, cereos duos praegrandes una cum cuprea sporta splendida, rosis pulcherrimis plena, deposuerunt. Deinde Reverendissimus Dominus, praecedente comitatu isto adiutorum, qui 30.000 sociorum repraesentabant, et stipatus centum circiter sacerdotibus moderatoribus, deducentibus localium consociationum vexillis, speluncam Vir-

ginis Lapurdensis adiit, Mariae benedictionem congressui mox in ecclesia incipiendo impetraturus. Refertum erat templum viris tantum, moderatoribus et adiutoribus. Successus plenus fuit: quae proponebantur, acclamationibus admittebantur ita ut plane mirus fuerit fructus, mira animorum commotio. Iubilares aliqui adiutores ab Episcopo honoris insignibus decorati sunt.

Ardor ille qui animos virorum in Oostacker congregatorum invaserat, aestate anni 1920 per totam regionem propagatus est, cum festis diebus in variis pagis vel nova vexilla et statuae S. Francisci Xaverii benedicerentur vel iubilaria festa agerentur consociationum, quae ante quinquaginta annos ortae erant. Ex omnibus circumiacentibus pagis Xaveriani confertissimi, signis suis in pectore decorati, cum vexillis et tubicinibus aderant: grandia revera vitae religiosae documenta fuerunt ista.

Uno verbo dici verissime potest Xaverianos maximam et potentissimam consociationem religiosam Flandriae Orientalis constituere eamque tali cum disciplina atque apostolico spiritu, ut ad nutum capitis sui, Episcopi, 30.000 virorum parati sint, ad defendenda iura Ecclesiae et Salvatoris quem amant, cuius potestatem extendere cupiunt.

VI.

SCHOLAE ET COLLEGIA.

Non est propositum hic omnia explicare quae singulae Provinciae in re scholastica egregie peregerunt et peragunt, sed ea tantum comprehendemus quae hoc anno (1920) clarius gesta sive Relatorum caritate sive alia ratione nobis innotuerunt.

Scholarum institutio.

In Pontificia Universitate Gregoriana instaurata est cathedra scientiae liturgicae, inde ab anno 1870 sublata; qui eam occupat, P. I. Hanssens (Prov. Belg.) non solum alumnis scholas ordinarias habuit, sed etiam praelectiones aliquas instituit toti clero apertas.

In Gallia ad exemplar scholae superioris rei agrariae andegavensis (Angers, Prov. Franc.) quae exordium suum providae

menti P. Vetillart debet, Aquis Sextiis quoque (Aix, Prov. Lugd., 1920) et Tolosae (1919) similes scholae institutae sunt. Praeter res agrarias aliaque quae in bono administratore requiruntur, philosophia christiana docetur; Nostris harum trium scholarum cura spiritualis commissa est, quam laeto cum fructu habent. Tolosae duo e Nostris docent atque etiam scholae praesunt.

Universitas Berytensis (Beyrouth, Miss. Syriae; Prov. Lugd.), petente ipso gubernio, in facultate iuris cursus vespertinos habere coepit ad scribas amanuensesque pro variis administrationibus instituendos, in schola autem artium mechanicarum vespere edocentur iuvenes, qui agrimensoribus auxilium praestent.

In urbe Alep (Miss. Syriae) cursus coeptus est quo iuvenes post peracta in Collegiis urbis studia ad facultates berytenses praeparantur. Qua de re valde gaudent parentes, quia hac ratione institutio filiorum facilior iis redditur et expensae minuuntur.

Magno operi insulano (Lille, Prov. Camp.) I. C. A. M. (Instituto Catholico Artium Mechanicarum), post bellum prompte et magnifice redivivo, nonnulla sunt adiuncta, quae non parum afferunt laboris, at plurimos fructus promittunt.

Schola I. C. A. M. proprie dicta tribus gradibus annuis constat, quibus instituit nunc praeter solitos convictores, qui 120 numerantur, alios iuvenes 120 bello impeditos ne studia prosequerentur, qui militia liberati extra convictum degunt utpote aetate provectiores. Schola vero praeparatoria hoc anno 175 discipulos in duobus cursibus habebat.

Praeterea triplicem habes scholam quae, etsi ad Institutum non pertinet, illo tamen innititur, acceptis inde magistris, rectione, omnimodo auxilio, et eius operam complet: *a*) Schola Superior technica (professionnelle) duobus frequentanda annis, qualem fere reperire est, publico tamen aere constitutam et laicam, in singulis urbibus alicuius momenti: ineunte anno 1919-20 aderant 33 alumni; *b*) Schola rudimentorum mechanicorum cui ineunte anno scholari adscribebantur 160 discipuli; *c*) Scholae vespertinae, quibus gratuito docentur graphis, ars rationum, nonnulla de scientia mechanica et electrica: cotidie conveniunt circiter 300.

Facile quis coniciet quanto fructu spirituali iuniores illi operarii saepius a religiosis rebus alieni, aliquando iis etiam infensi,

assiduo commercio scholam catholicam frequentent, in qua novem ex Nostris magistri munere funguntur.

Die 25 novembris a. 1920 in Gallica Academia, e praemiis virtuti distributis, munus 2000 fr. obtigit illi Mechanicorum scholae, quam laudibus extulit D. Poincaré, olim rei publicae praeses, recolendo quanto solatio fuerit Insulanis per totum belli tempus scholam aspicere « quae 400 aut 500 adolescentes iugiter docuit et artes technicas et laborem et ordinem et disciplinam ». Poterat vir ille addere: et Deo adiuvante, ipsam christianam fidem, quoniam complures baptismo ibi donati sunt.

Ex his omnibus clarius et carius in dies evadit toti civitati nomen I. C. A. M.

Laetis huius scholae fructibus permoti Patres Prov. Franciae Nannetibus (Nantes) similem (Institut Catholique Professionnel) coeperunt: nunc quidem complectitur tantum partem inferiorem, qua opifices mechanici magis excoluntur vel discipuli praeparantur Instituto Insulano, sed spes est hanc scholam aliquando ad eandem amplitudinem atque illud perductum iri.

Matriti (Madrid. Prov. Toletanae) undecim abhinc annos inauguratum est Insulano simile Institutum, quod A. R. P. Generalis in litteris ad P. Rectorem datis appellat « ministerium Societatis nostrae maxime proprium ». Scopus huius scholae est institutio technica, moralis, socialis delectorum iuvenum, qui ad officinas technicas, mechanicas, electricas destinantur, ut in iis laborent aut etiam praesint. Quare formandi sunt non solum peculiares magistri scientiae machinariae, sed etiam operarii inferiores qui sine aliqua huius artis cognitione inutiliter versarentur in iis officinis.

Institutio autem horum adolescentium, sive egenorum sive ditiorum, est duplex: altera ad religionem, altera ad scientiam spectat. Ad religiosam pertinet Sacro cotidie assistere; praeterea quotidiana pascuntur Communione eorum circiter sexaginta; plurimi singulis hebdomadis, reliqui ex praecepto semel in mense. Alumnorum, qui scientiae mechanicae operam navant, pars aliqua delecta nosocomia visitat, pars alia carceres. In iis tam studiose alloquuntur vinctos, ut carcerum praefectus, datis ad Patrem Rectorem litteris, gratias egerit quod iuvenum diligentia mores sontium componerentur. Coaluit etiam inter eos sodalitium S.

Vincentii a Paulo, cuius socii operarios aegrotos invisunt iisque afferunt vestes et medicinas; pecuniam etiam provident, si quando opus fuerit eos curandae valetudinis gratia ad balnea mittere.

Tituli quos Institutum confert, non sternunt quidem viam ad munia publica capessenda, sed ipsum commentarium officiale gubernantium, qui docendi monopolium tyrannice exercent, commendat nihilominus scientificam informationem nostrae scholae. Eam esse confirmat exemplar huius generis in Hispania, cum propter praeclaram studiorum rationem, tum propter selectissimam instrumentorum copiam, quibus variae alumnorum classes ornantur. Ex collegiis autem non publicis nullum commendat praeter nostrum.

Numerus alumnorum crescit in annos singulos. Hoc anno in schola praeparatoria numerati sunt centum triginta. Quare facere non poterimus quin matriculas claudamus.

Ex quadraginta sex alumnis, qui apud nos instituti sunt, nullus est cui non patuerit aditus ad quasvis fabricas aut qui non lucretur in exordio functionis suae octo millia francorum, et amplius.

Scholae moderator tanta auctoritate gaudet, ut librum ab eo conscriptum de ratione qua viae ferreae per Hispaniam vi electrica pro vapore uti possint, rex ipse omnibus gubernii administris distribuendum curaverit.

A populo americano institutio litteraria generatim non tanti fit quanti par est; plurimi praeferunt artes et scientias, quae vitae usibus inserviunt. Ita factum antea est, ut alumni post aliquot annos litteris addiscendis impensos Collegia nostra desererent et studia illa quaestuosiora in acatholicis universitatibus, non sine maximo fidei periculo prosequerentur. Tristem hunc rerum statum considerantes Patres amore iuvenum atque regni Christi propagandi studio adducti sunt, ut ipsi varias facultates iuris, medicinae, odontologiae, pharmaciae, rerum technicarum, scientiae pecuniariae, sociologiae, musicae, conficiendarum ephemeridum (Journalism) constituerent.

Universitati Georgiopolitanae (Georgetown, Maryl.-N.E.) mense feb. 1919 adiuncta est nova facultas, Foreign Service, qua iuvenes ad exemplar scholae illius parisiensis « Ecole libre de Sciences Politiques » in re diplomatica, consulari, pecuniaria, commerciali

instituuntur, ut a gubernio harum rerum procuratores ad nationes exteras delegari possint. Ad facultatem iam inde ab initio pertinebant 25 professores, quorum 10 linguas, suam quisque vernaculam, sinicam etiam et arabicam, docebant, reliqui vero res politicas, commerciales, oeconomicas. Numerus discipulorum mense octobri 1919: 250, octobri 1920: 380 erat.

Ut alumni terras exteras eorumque incolas penitius cognoscant, ad certum tempus eo a magistris deducuntur; rempublicam Venezuela sic visitarunt.

Brasiliae, Columbiae, Argentiniae gubernatores a scholae moderatoribus petierunt, ut in suas quoque partes alumni « Foreign Service » georgiopolitani mitterentur; idem Legatus Italiae, Ricci, expostulavit pro anno 1922 promittens se ipsum iuvenes per patriae suae provincias atque urbes esse ducturum eosque omni ope adiuturum ut clare perspicerent, qualis ibi esset mercaturae status atque ratio. Omnium optime summi Americae negotiatores ipsi intelligere videntur, quantam utilitatem haec schola patriis rebus allatura sit ideoque foedus inter se inierunt, quo eius augmentum pecuniis suppeditatis promoverent: sperant se usque ad extremum annum 1922 dollariorum 500.000 colligere posse. Huic consociationi praeest Farrell ille idem, qui praepositus est « United States Steel Corporation ». I. Hays Hammond, maximae in America auctoritatis vir, publice professus est: « Ex tribus hominum aetatibus non est constituta schola, quae tantum, quantum haec patriae profutura sit ». Summus vero Canadensis mercaturae magistratus (Trade Commissioner of Canada) tanta tamque praeclara, ut scribit, de novo instituto Universitatis Georgiopolitanae audivit, ut id invisurus et eius ratione perspecta in Canada similem scholam instructurus sit.

Facultas iuridica eiusdem Georgiopolitanae Universitatis 50um a schola condita annum incipiens (a. 1920) 1079 discipulos habuit, quanto auditorum numero nulla alia Facultas iuridica in Statibus Foederatis gaudet.

Inter scholas medicinae nostra S. Ludovici (S. Louis, Prov. Miss.) eminet. Cum omnes 48 Status Foederati exigant, ut medici in qualibet universitate ad gradum promoti examinatoribus publicis satisfaciant, antequam ad artem suam exercendam admittantur, comparationem inter hanc S. Ludovici scholam et illas

quae vulgo optimae habentur in universis Statibus, instituere licet. Prior numerus anno respondens, quot fuerint e singulis scholis candidati indicat, alter quot in periculo non satisfecerint.

	ANNO										Universi
	1910	1911	1912	1913	1914	1915	1916	1917	1918	1919	
Johns-Hopkins. .	44—0	63—2	64—2	55—2	39—0	50—0	47—2	49—3	33—1	64—0	508—12
Harvard	43—0	53—2	31—3	31—3	36—1	55—1	47—2	52—0	91—1	88—0	530—13
St. Louis.	90—0	64—3	77—2	71—2	49—1	38—0	50—0	41—1	55—0	46—0	581— 9

Patres nostros successui externo severitatem doctrinae catholicae non gratificare, sed potius ex hac religiose servata illum petere, vel iis solis declaratur, quae mense maio a. 1919 in Universitate Milwaukiensi (Prov. Miss.) acciderunt. Professor quidam ob falsam doctrinam de abortu procurando e schola medicinae dimissus est; alii novem ex centum ultro eum secuti sunt. Quorum ob causam cum mense maio ephemerides Collegium nostrum impugnare inciperent, Rector in foliis publicis decalogum defendit; mox controversia generalis in compluribus Statibus exoritur, at victoria catholicis cessit et medicus quidam, qui eandem falsam doctrinam sequebatur, a iudicibus civilibus damnatus est, quamquam 400 collegae eum sustinebant. Permulti parentes catholici et acatholici atque adeo ministelli sanctam observantiam legis naturalis et divinae publice laudaverunt et societas quaedam mercatorum, comprehendens 300 socios quorum septima tantum pars catholici. Nostros amplissimis verbis probaverunt, quod doctrinam tradunt quae sanctitatem non postponit utilitati.

Cum ad eandem scholam medicinae stabiliendam iam collectae essent duae partes millionis dollariorum, consociatio Carnegieana tertiam dono dedit.

Non solum autem in iis, in quibus homini catholico cedere non licet, Nostri doctrinam Ecclesiae strenue defendunt, sed etiam alia quae menti eius magis consona videntur, promovere conantur. Amorem linguarum classicarum, quas Ecclesia tanti facit, pro viribus fovere contendunt. In Collegio Campiano (Prairie

du Chien, Prov. Miss.) a magistro perstudioso academia latina inter discipulos instituta est, quae omni die dominica mane programma distribuit cuius exemplum subicimus.

Q. B. F. F. F. S.

Hora IX A. M.; Societas Tusculana, die dom. a. d. Id. Dec. MCMXX.

Rerum Conspectus.

1. Canticum: « Dulcis Domus Mea » (*Musa Americana* II, p. 10).
2. Declamatio: Cicero in Catilinam: Oratio I, cc. 1, 2, 3. Jacobus Clancy, Edwardus Cakes, Edmundus Crow.
3. Recitatio: Versio Anglica: Cicero in Catilinam; Oratio IV, c. 2. Joannes Bauer.
4. Interpretatio: Plini epistola IX, pars 2ª.
5. Interpretatio: « Vicus Desertus »; « Simplicis Ruris Deliciae » (vv. 1-34).
6. Declamatio: « Novus Princeps », « Nova Pompa », Edw. Friedl.
7. Historia Literarum Romanarum; Plautus.
8. Actio Scaenica: Julius Caesar, actus I, II. Socii Tusculani.
9. Canticum: « Ad Almam Matrem Campianam » (*Musa Americana* II, p. 45).

N. B. Socii: Afferte Musam, Ser. II, IV.

In Collegium vero Toletanum (Toledo, Ohio) S. Ioannis Berchmans (Prov. Miss.), ne numerus discipulorum in annos crescens vires Nostrorum superet, iam non admittuntur, nisi ii qui linguis classicis operam dare velint.

Successus scholarum.

Indefesso nostrorum magistrorum labori et disciplinae rite servatae bonus periculorum eventus generatim non deest.

Schola S. Genovefae Versaliensis (Prov. Franc.) alumnos suos praeparat ad examina obeunda iis, qui in magnas scholas publicas parisienses admitti volunt. Anno 1919-20 admissi sunt:

	IN SCHOLAM			
	Polytechnicam	S. Cyr	Navalem	Centralem
Ex universis candidatis	22 %	41 %	22 %	27 %
Ex scholae S. Genovefae candidatis .	50 %	60 %	40 %	51 %

In urbe Leeds (Prov. Angl.) quotannis instituitur inter omnium scholarum discipulos certamen litterarium e cuius eventu subsidia pecuniaria (bourses) distribuuntur. Collegium nostrum, unica catholica puerorum schola inter plurimas protestanticas, misit 14 candidatos, qui omnes inter 22 primos recepti sunt primum, tertium, quartum etc. locum occupantes.

Alumnus quidam Collegii Prestonensis S. Wilfridi (Prov. Angl.) adeptus est praemium aureum, quod ad excellentiam in lingua gallica ornandam a gubernio gallico propositum est omnibus utriusque sexus adulescentibus anglicis usque ad 21 aetatis annum: Londini e manibus summi urbis magistratus (Lord Mayor), legato gallico adstante, puer praemium accepit.

Discipulus vero Collegii S. Stanislai (Beaumont, Prov. Angl.) pro egregia notitia matheseos obtinuit in Collegio « Balliol » Universitatis Oxoniensis illud quod vocant « Williams Exhibition » quae quidem magna laus est.

Iam e decem fere annis aliqui Patres Missionis Brasiliae Septentrionalis (Prov. Lusit.), rogante RR. DD. Abbate Monasterii ad S. Pauli Sorocabensis O. S. B., iuventutem benedictinam non illius tantum monasterii, sed totius Congregationis Brasilicnsis illuc convenientem philosophia atque theologia instituendam susceperant. Cum vero anno 1920 clerici ad S. Pauli non adessent, Nostri gratam sibi demandatam provinciam reliquerunt. RR. DD. Abbas et monachi, qui Nostris usi erant magistris, amplissimis litteris ad P. Provincialem datis et ad Patres, qui eos docuerant, gratum suum animum exhibentes id praesertim extulerunt Patres et documentis et exemplis amorem sacrarum disciplinarum in se excitasse et magnum erga Ecclesiam studium.

Ex eadem Brasiliae Septemtrionalis Missione P. Visitator M. Renaud ad Patrem Nostrum rettulit: « Collegium nostrum Bahiense (Prov. Lusit.) omnibus fatentibus inter reliqua urbis collegia felicissimos in publicis a gubernio institutis periculis exitus obtinet. »

Item discipuli Collegii Anchietani Neo-Friburgensis (Miss. Bras. Centr.; Prov. Rom.) collegia gubernii examinibus publicis longe superaverunt.

Collegii S. Aidani alumni (Grahamstown, Miss. Zambes.; Prov. Angl.) in examinibus publicis anni 1919 laetum obtinuerunt successum. Recepti sunt in examine « Matriculation » ex 9 discipulis:

8 (quorum 2 inter primos) in « Junior Certificate » ex 11: 9 (5 inter primos); in « Preceptors », ex 14: 11 (4 cum honoribus).

Primum inter omnes calcuttenses scholas locum sine dubio occupat « Presidency College »; est gubernii collegium quod propter magnam vim pecuniae, propter multitudinem lectorum aliasque rationes semper princeps urbis schola manebit. Secundo loco ad hoc usque tempus habebatur et in Scientiis et in Artibus Collegium Presbyterianorum e Scotia. Sed e paucis annis tantum increvit S. Francisci X. Collegii (Miss. Beng.; Prov. Belg.) successus in Scientiis (80% ultimo anno examen B. S. feliciter subierunt), ut nunc multi secundum in illis docendis locum attribuant Nostris. Quotannis fere 500 e iuvenibus optime praeparatis instanter flagitant admissionem in nostrum cursum Scientiarum.

Iure gaudent magistri nostri de diligentia sua et labore in discipulis coronato, sed etiam lactiores divina Bonitas eis concessit fructus.

Cum in quibusdam Jugoslaviae partibus inter clerum agitatio sinistra oreretur et nonnulli sacra iuramenta violarent atque etiam a fide deficerent, in Bosnia tamen, cuius sacerdotes saeculares a Nostris in parvo Seminario Travnicensi et maiore Sarajewensi (Vicepr. Jugoslav.) educati sunt, ne unus quidem minus recte hac in re se gessit.

Cum inter turbulentas agitationes contra coelibatum et hierarchiam ultimis his annis in Cecoslovachia ortas, omnes fere sacerdotes dioecesis litomericensis firmi perseverarent, Praepositus ecclesiae cathedralis in canonicorum conventu publice professus est: « Hoc procul dubio debemus Iesuitis mariascheinensibus ». Atque RR. DD. Archiepiscopus Pragensis, eiusdem Collegii olim discipulus, iterum iterumque et in privatis colloquiis et publice asseruit clerum litomericensem fidem et constantiam in bonis moribus Seminario Mariascheinensi debere. Propterea in conventu Episcoporum Bohemiae se proposuisse dixit, ut Collegium Mariascheinense constitueretur futurorum sacerdotum germanicorum, Pragense vero cechicorum seminarium generale.

Pragense gymnasium (Vicepr. Cecosl.) hoc anno ultima classi completur: eius discipuli non pauci quamquam in eligenda vitae ratione plane liberi sunt, sacerdotium appetunt., cum in aliis illius nationis scholis vocationes sacerdotales rarissimae sint.

Iuvenes catholici scholae celeberrimae Polytechnicae parisiensis, magnam partem in Societatis collegiis educati, omnes vero uno e Nostris conscientiae moderatore utentes, cum festum appropinquaret, quod qui aliquando huius scholae discipuli fuerunt quotannis celebrare solent, fortiter postulaverunt ut saltem eae saltationes fieri vetarentur, quas Archiepiscopus paucis ante hebdomadibus reprobaverat. Quod petiverant, obtinuerunt.

Alumnorum pietas.

Ratio et via qua pueri ad hanc animi fortitudinem atque in virtute constantiam adducuntur, est solida in pietate et Dei timore institutio.

Praepositus Provinciae Belgicae ante initium anni scholaris Rectores omnes multorum suae Provinciae collegiorum Bruxellas convocavit, ut consiliis collatis indagarent, quomodo Exercitia quotannis pueris dari solita fructuosiora reddi, quomodo sanctum Eucharistiae recipiendae studium etiam magis accendi, generatim pietas inter discipulos nostros augeri possit.

Referunt e Collegio Novo Bruxellensi nunquam pueros sacrum secessum melius peregisse quam hoc anno, cum magistri tempore libero discipulis in scholis collectis decalogum explicarent vel libro pio legendo eorum animos sanctis et generosis affectibus permoverent.

In Instituto Commerciali Superiore Antverpiensi numerus alumnorum (sunt adolescentes 17-20 annorum) qui consociationi « Chevaliers du S. Sacrement » nomen dederunt valde auctus est. Hi « Equites S. S. » saltem semel in hebdomada ad S. Synaxim accedunt usumque Communionis frequentis inter condiscipulos promovent. Eiusdem academiae discipuli, socii circuli « Ignatius Kring », piam in honorem SS. Eucharistiae fabulam « Het Hoogste Goed » egerunt in catholicorum Antverpiensium aedibus.

Pia « Equitum Sanctissimi Sacramenti » consociatio originem Patri cuidam Prov. Angliae debet qui anno 1915 eam condidit. Nunc vero per totum fere orbem terrarum propagata decies centena milia sociorum recenset, inter quos sunt religiosi, sacerdotes, episcopi. Singuli Equites possunt alios admittere. Admissi autem fidem praestant, quamquam non sub peccato, se singulis hebdomadis sacram Communionem esse recepturos. Gerunt pro

insigni parvam crucem vesti affixam. Approbatum est hoc foedus a Benedicto PP. XV, die 17 ianuarii 1917 vivae vocis oraculo ad Franciscum Cardinalem Bourne, qui idem scripsit: « Dici non potest quantum bonum factura sit nostris adolescentibus haec consociatio ». Consimilia et alii Episcopi.

Pater quidam Collegii Paulopolitani (Bras. Centr.; Prov. Rom.) ex Anglia redux idem Equitum SS. S. foedus in Brasiliam invexit. Complurium Episcoporum approbatione et plausu, die sacro S. Joseph, 19 martii 1920 primi Equites adscripti sunt, inter quos Archiepiscopus Paulopolitanus esse voluit. Intra annum octo Episcopi et circiter tria milia fidelium in Brasilia Equitatui nomen dederunt.

In Collegio Stonyhurstensi (Prov. Angl.) prima mensis feria VI.e 180 pueris grandioribus, fere 160 per totam horam flexis genibus adorant Sacratissimum Sacramentum horis vespertinis in ara expositum. Multo maior pars omnium alumnorum (400) cotidie S. Communionem accipit. Quae gratia sacramentalis testimonio magistrorum miro modo eos mites reddit et castos.

Pietate sua alumni nostri apostoli fiunt. In sollemnitate Corporis Domini pueri Collegii Quinqueecclesiensis (Pécs, Prov. Hung.) ciangore symphoniaco sacros hymnos prosequentes tam pii et modesti incedebant, ut, dum agitur sollemnis pompa, vir quidam praecipuus vehementer commotus ad P. Praefectum accedens diceret: « Vestri alumni fidem mihi reddiderunt », populus vero prae gaudio lacrimans agmen iuvenum usque ad Collegium deduceret.

Pietas sacrificiis nutritur. Non sine admiratione legi potest quantum pueri quorundam Collegiorum missionibus exteris praestiterint. Cum missionarius quidam in Collegio Insulano (Lille) de betsileensis regionis spirituali egestate sermonem fecisset, discipuli certa pecunia conflata aliquot pueros madecassenses instituendos adoptaverunt. Similiter e minoris Collegii alumnorum liberalitate, puer parentibus orbatus alitur in Missione Trincomaliensi.

Ad praefectorum zelum stimulandum in menstruis Provinciae Missourianae litteris (News Letters) frequenter indicatur, quid singula Collegia ad missionarios iuvandos contulerint.

Alio quoque multiplici modo discipuli nostri ad exercendas eas virtutes adducuntur, quae iis in doctrina christiana explicanda

proponuntur: in consociationes S. Vincentii congregati discunt, a Praeside Congregationis vel alio gravi Patre ducti, pauperes in eorum miseris tuguriis non solum pecunia et donis, verum etiam christiana caritate maxime iuvare atque sublevare.

In Collegio Tusculano (Frascati, Prov. Rom.) moris est ut sodales Congregationis Marianae, grandiores natu, pauperibus in Coena Domini ad prandium vocatis inserviant; hispanici cuiusdam Collegii pueri in xenodochium ducti senes ibi degentes tabaco donare et caritate atque gratia sua recreare solent.

In urbe burgensi (Burgos, Prov. Castell.) anno superiore (1919) Nostri scholam pro externis atque semiconvictum aperuerunt. Discipuli omnes cotidie ad S. Synaxim sponte accedunt atque etiam diebus vacationis ultro in Collegium veniunt.

Collegii Quinqueecclesiensis (Prov. Hung.) externi foedus inierunt ad pietatem erga Ecclesiam fovendam et bonos mores tuendos, ut condiscipulos a turpiloquio arcerent, a scenis pestiferis spectaculisque cinematographicis retinerent. Ideoque ipsi ludos instituunt; tirones opifices a consortio contubernalium communismo infectorum avocant.

Collegia discipulorum multitudine frequentia.

Numerus discipulorum sicut in omnibus ecclesiasticis institutis, ita etiam in nostris scholis post bellum multum auctus est idque ita ut Pater Noster nonnullis Provinciis atque adeo uni alterive Assistentiae certum numerum statuendum praescriberet supra quem progredi non liceret, ne puerorum turba vires magistrorum excedens ea cura et diligentia careret, qua Societas alumnos suos semper prosecuta est neve magistri ipsi, nimio labore oppressi, corporis atque adeo spiritus detrimentum caperent.

Provincia Belgica, collegiis semper florens, numerum discipulorum ex 8617 anni 1919 ad 7916 anno 1920, superatis non paucis e parentum parte difficultatibus, ultro reduxit.

Cum Patres germani Collegium Sittardiense in urbem Godesberg transtulissent et nova aedificia magno numero discipulorum recipiendo paria non essent, parentes aliqui vi paene liberos suos Patribus obtruserunt atque quidam P. Rectorem minatus est, si filium inter alumnos non reciperet, se hunc in domum illaturum et lebus eius in ambulacro depositis abiturum esse.

Collegium Stonyhurstense (Prov. Angl.) vero iam mense octobri a. 1920 numerum in septembrem anni proximi recipiendorum fere completum habuit; undecim in annum 1922 atque complures in posterius tempus iam accepit.

Collegium Glascuense (Prov. Angl.) ita refertum est pueris ut multi sint reiciendi; qui quidem, cum nec alterum, quod in urbe est catholicum collegium, eos capere possit, dura necessitate compulsi scholas acatholicas adeunt.

Canadensis Provincia trium collegiorum aedificia amplificare debet. Supra alas enim suas Collegium Loyolaeum (Montréal) superponit duo tabulata, unum vero supra mediam partem. S. Francisci Xaverii Collegium (Edmonton) alam addit. Collegium B. Campion (Regina) publicam pecuniae collationem instituit, quae quindecim milia dollariorum attulit, quibus empta est area pulcherrima prope legumlatorum aedes provinciae Saskatchewan.

De americanis collegiis exempli gratia hoc unum afferre satis sit: in Collegium Fordhamense (New York) mense octobri a. 1920 ducenti pueri admitti non potuerunt quia spatium deerat.

Quanta auctoritate gaudeat Collegium S. Salvatoris (Prov. Argent.-Chil.) in urbe Buenos Aires, conici licet ex his numeris. Anno 1920 ut in scholam admitterentur,

	petierunt	admissi	non potuerunt admitti
ut convictores	325	81	244
» semiconvictores	206	99	107
» externi	74	9	65
» indifferentes	119	—	119
	724	189	535

ita ut ex petentibus tantum 26,1 % admitti, 73,9 % vero reici debuerint. Collegium S. Salvatoris inter religiosa illius urbis instituta tempore quidem secundum, facile tamen primum locum tenet et gubernii ipsius scholas, plurimorum parentum sententia, non tantum sana disciplina et educatione, sed etiam docendi ratione superat.

Quae parentes sentiunt, liberorum erga magistros studium confirmare videtur. Cum magistratus serbici decretum conderent,

quo pueri extra territorium ab ipsis in Hungaria occupatum degentes ad scholas nostras quinqueecclesienses (Prov. Hung.) redire prohibebantur, hi pro suo erga Societatem amore atque studio nihil intentatum reliquerunt ut desideratum Collegium repeterent: nonnulli inter globulos militum limitem custodientium per silvas et saltus venerunt, licet domi scholam securi frequentare possent.

Virorum illustrium testimonia.

Gratus animus quo ii qui olim alumni nostri fuerunt, generatim Societatem prosequuntur, apte declaratur iis quae nuper duo Eminentissimi Ecclesiae Principes publice professi sunt.

Em. Card. Almaraz, Archiepiscopus Hispalensis (Sevilla) 3 oct. 1920 Collegium Oriolense (Orihuela, Prov. Arag.) visitans pueros sic est allocutus: « Carissimi iuvenes, verba mea vobis, velim sint incitamento pergendi in via qua coepistis, ut etiam vos aliquando possitis dicere quod equidem nunc profiteor me, quidquid sum et habeo, debere institutioni et bonis exemplis, quae temporibus diu nunc iam praeteritis, ante oculos mihi ponebant boni Patres Societatis Iesu quorum alumnus ego quoque fui (1). Estote boni discipuli et sic aliquando evadetis viri societati humanae utiles ».

Sane nemo nostrum oblitus est, qua benevolentia et humanitate Sanctitas Sua Benedictus XV gratam eorum temporum memoriam renovare dignatus est, quibus ipse in Universitate Gregoriana sacris scientiis operam dedit (*Act. Rom.*, II (1916), 153 sq.). Nuper Summus Pontifex Archiepiscopo Melbournensi, Manix, eiusdem urbis Collegium « Newman » (Miss. Austral.; Prov. Hiber.) multum laudavit commendavitque.

Cum P. Van der Schueren (Miss. Beng.; Prov. Belg.) d. 25 oct. a. 1920, apud socios foederis londinensis « East Indian Association », inter quos viri maximae auctoritatis atque rerum indicarum peritissimi habentur ut Lord Curzon, Lord Cormichael, ille olim vicerex, hic gubernator in Indiis, elucubrationem legisset de ra-

(1) Em. Cardinalis alumnus fuit Seminarii Salmanticensis, quod olim a Patribus Prov. Castellanae regebatur.

tione qua pueri indici honesto loco nati optime educandi essent, in discussione Lord Cormichael, qui conventui praeerat, laudavit studium quo Patres Collegii Calcuttensis S. Francisci X. pueris indicis instituendis se consecrarent; Sir Michaël O' Dwyer vero, qui ipse aliquam scholam nostram indicam per nonnullos annos frequentaverat, professus est, si plures scholae essent eiusdem generis ac athenaeum S. Xaverii, rectae a viris eiusdem innocentiae ac eruditionis, nunc indigenis scholae sine metu tradi possent. Indorum optimates nihil antiquius habere, quam ut filiis bonam educationem procurarent quidquid esset de magistrorum religione atque origine; ideo neque se miratum esse cum in urbe Hyderabad videret a parentibus nobilissimis mitti pueros in bombayensem scholam Iesuitarum.

Nostri iura parentum et Ecclesiae in re scholari defendunt.

Nunquam desistunt Nostri sacrum parentum atque Ecclesiae ius docendi parvulos, ratione ipsa atque fide munitum, strenue defendere.

In Italia « La Civiltà Cattolica » contra iniustum publici regiminis monopolium scite et acriter invexit postulans ut scholis catholicis maior libertas et aequalitas quaedam cum publicis gymnasiis concederetur.

Cum in conventu professorum litterarum humanarum districtus pragensis (Cecoslovachia), qui ad novam studiorum rationem condendam convocatus erat, incideret etiam mentio de scholis privatis, initio fere omnes censuerunt has non esse admittendas nisi raro idque solum ad novas docendi methodos tentandas. At tunc duo nostri Patres pro illis verba fecerunt invocantes libertatem quae apud omnes vere cultas gentes, praesertim in Anglia, vigeret et sic vere mirum quid et inauditum adhuc his conventibus evenit, cum fere omnes (circiter 60) pro admittendis scholis privatis suffragium tulerunt.

In multis Bavariae parochiis Patre quodam nostro curante parentes in unum congregati sunt, ut iura sua in liberorum educationem efficacius defenderent, viri exculti de re scholastica variis sermonibus ab eodem edocti et non pauci ludimagistri monacenses in Congregationem Marianam collecti sunt.

VII.

CURA STUDENTIUM MEDICINAE A NOSTRIS LUGDUNI SUSCEPTA.

Lugduni iam dudum quidem inter medicinae facultatis auditores consociatio a Nostris excitata erat, quam P. Brésard per longum tempus prudenter regebat, sed eo modo quo nunc instituta est, mense octobri anni 1902 initium habuit.

Duplici parte constat hoc opus: Patronorum consociatione (Association pour le développement des études médicales, A. E. M.), quae secundum praescripta legis die 1 iulii 1901 latae condita favoribus ab eadem lege concessis gaudet, et Circulo iuvenum.

Patronorum consociatio constat e copiosis urbis lugdunensis civibus qui negotiis, fabricis, re argentaria, fundis aedibusve pollentes vel artis medicinae periti, se quotannis saltem 50 francis res circuli adiuturos esse promittunt. Ad comitia generalia convocati eligunt octo viros quorum fere est singulorum sociorum annua subsidia colligere, quae in unum collata curae et custodiae uni ex illis octo traduntur.

Horum quoque est secundum consociationis leges, decernere qualis ordo in circulo instituendus sit, qui iuvenes admitti possint, qui dimitti debeant. At reipsa hanc potestatem, circuli gubernationem curamque sumptuum ordinariorum Patri cuidam nostro commiserunt qui circuli moderator (directeur) vocatur et quotannis mense ianuario ad consociationis conventum generalem refert de impensis anno exacto factis aliisque de rebus maioris momenti in circulo gestis.

Circulus. — Iuvenes in circulum cooptati ea ratione praecipue iuvantur ut ad laborem assiduum adstringantur. P. Brésard ipse solebat dictitare: « Ad iuvenum temperaturam moralem dimetiendam optimo thermometro utor: studii assiduitate ». Qua in re principali recens novi foederis moderator antiquum quam fidelissime sequitur.

Domus circuli tota labori est dedicata. Nihil eorum quae studio favere censentur, neglectum est: aulae amplissimae, aëre et luce abunde intermissis iucundae, in hieme aequabili calore suf-

fusae, apparatu ipso ornatuque et silentio sancte servato ad studium assiduum alliciunt; habentur quoque cubicula minora in quibus iuvenes bini, terni quaternive tabulis nigris uti et, audientibus aequalibus, exerceri possunt in pertractandis alta voce examinum materiis, habentur bibliothecae voluminibus de medicina recentissimis praeditae et librorum manualium, quorum usus est frequentissimus, compluribus exemplaribus (5, 10, usque ad 20); prostant skeletra, aliae partes osteologicae, corporis humani imagines, microscopia, copia sectorum microscopicorum, etc.

Admissio; circuli ratio. — In circulum admittuntur medicinae alumni vitam vere catholicam agentes et cursum praeparatorium, qui P. C. M. (Physica, Chimia, Historia naturalis) vocatur, primumve annum celebrantes; superiorum cursuum auditores non recipiuntur nisi rarissima exceptione, quae conceditur solis iuvenibus magni ingenii et summae morum puritatis, qui inter nosocomiorum externos iam adnumerati, ut inter internos admittantur, se praeparent.

Pro more in Gallia vigente curriculum medicinae absolvitur in facultate universitatis 4 annis; quo perfecto periculisque rite superatis candidatus thesim quam dicunt conscribere et tradere potest eaque approbata doctor creatur. Cum vero haec institutio solum mentis eruditione ferme conficiatur, praeter eam ab eaque plane seiuncta occasio studentibus praebetur artem usu ipso addiscendi in nosocomiis. Quia vero non omnis illorum multitudo eo admitti potest, a summis nosocomiorum moderatoribus duo concursus instituti sunt, unus « externatus », « internatus » alter. Qui illum facere intendunt, saltem per annum studio medicinae operam dederint oportet; a compluribus artis peritis interrogantur admissique in nosocomium, medico principali regente atque invigilante, curam aegrotorum quorundam suscipiunt et per duos annos exercent. Internatus concursus est valde difficilis; candidati enim dimidium omnium examinum (8:16) in facultate subeundorum iam superasse et per annum saltem externum egisse debent. Duplex periculum ipsis est faciendum; nam praeter interrogationes commentatio quoque conscribi debet. Internis subtiliores aegrotorum curae committuntur, quin etiam medici principalis absentis vices gerunt; externis invigilant. Internatus quattuor annos durat. Generatim unum vel duos internos, tres vel quattuor externos medicus principalis sibi adsciscit.

Iuvenes in circulum adscripti usque ad studia absoluta in eo manent. Ab iis qui ex cursu praeparatorio admissionem petunt id unum exigitur, ut semel in circulum suscepti unaquaque hebdomada periculum de materia sui cursus faciant praesente circuli moderatore, qui eos per professorem quendam interrogandos curat. Obligatoria igitur sunt haec examina et qui bis sine apta ratione huic officio deest, ex circulo dimittitur. Idem fere studentes primi anni promittere debent ut admittantur. Praeter scientiae pericula, in facultate universitatis facienda, iuvenes nostri instituere etiam debent doctrinae certamen ad locum consequendum inter externos nosocomiorum tirones. Lugduni id difficultate sane non caret, quia quarta tantum competitorum pars in nosocomiis locum habere potest. Candidati nostri ad hunc concursum praeparantur scholis (conférences) hebdomadariis quae ab « internis », pristinis circuli sociis habentur P. Moderatore continenter invigilante. Hae scholae non nisi nomine differunt ab examinibus aliisque exercitationibus elata voce factis iisque tota materia, de qua concertandum erit, paulatim uno anno et semestri pertractatur.

Inter externos admissi, circuli socii iam non tenentur ad subeundum difficillimum concursum internatus, quippe qui ingenium mediocritatem excedens postulet et laborandi facultatem non communem. Sed plurimi e nostris etiam ad internatum se parant eodem fere modo quo ad externatus concursum.

Qui post duos annos praeparationis obtinere non potuerunt ut in externorum coetum admitterentur externique, qui internatum non appetunt, a nobis iam non efficaciter ad laborem adstringi possunt, sed cum interea voluntate firmata disciplinae virilique fortitudini satis assuefacti sint, tanto incitamento atque vigilantia non amplius adeo indigent. Quae custodia, quamquam non nisi in studium exercetur, tamen in aliis quoque rebus iuvenes multum videtur iuvare.

Morum enim integritas cum assiduitate in laborando generatim tam arcto vinculo iungitur, ut recentis negligentiae causa vel maxime in levitate commissa inveniatur, neque fieri fere potest, ut qui libidini vitioque se tradere incipiat, eadem ac antea assiduitate studio vacare pergat. Quod P. Brésard thermometrum vocabat suum, non fallit.

Iuvenes vero qui bonis moribus praestant, facile etiam in exer-

citiis pietatis peragendis et Ecclesiae praeceptis sancte observandis fideliter perseverant. Nam mirum profecto est quam paucae difficultates obtrudantur fidei adolescentium, dummodo castitatem colant. Assiduitas igitur, qua in laborem incumbunt, fere certos nos reddit ipsorum fidem ac mores incolumes esse.

Sed ipsa pietatis exercitia apud nos nequaquam negliguntur: omni die dominico studentibus in circulo occasio praebetur audiendi Missam et sacrae doctrinae explicationem; prima mensis feria VI more solito celebratur, Exercitia Spiritualia communiter quotannis fiunt, piae peregrinationes ad sanctuarium Dominae Nostrae de Fourvières sive initio anni scholaris sive ante examina instituuntur. Nullum quidem ex his pietatis officiis iuvenibus nostris imponitur atque praescribitur, sed melius visum est sanctissimis his in rebus circuli sociis gratam libertatem relinquere, ne ad ea quae sponte libentius fructuosiusque praestant, vi quadam adigi neve ab officio divino ecclesiarum parochialium aut a pietatis exercitiis Congregationis Marianae, Iuventutis Catholicae vel alius piae consociationis, quibus nomina dare nostris integrum est, impediri aut retrahi viderentur.

Fructus. — Ex 1200 alumnis facultatis medicinae lugdunensis 230 circulo adscripti sunt, quorum plurimi eius rationem et ordinem fidelissime sequuntur.

Ex nosocomiorum 132 externis 62, ex 83 internis 50 sunt nostri. In ultimo internatus concursu (28 iun. - 3 iul.) quem omnino 90, ex iis 43 (= 48 %) nostri, subierunt, hi ex 25 internatus locis concursu distribuendis 19 (= 76 %) obtinuerunt.

Optimus eventus famam et auctoritatem catholicorum non parum auxit ita ut plurimi selectique iuvenes admissionem in circulum petant; siquidem ii fere, qui ut magna appetant labori minime parcunt, nostris adscribi cupiunt.

Praeterea circuli sociis magnam partem tribuendum est mores in nosocomiis lugdunensibus evasisse meliores. Quae ibi infirmis inserviunt moniales profitentur vitam nunc mutatam apparere, quod circuli socii plurimos internorum externorumque locos occupant. Hi enim principes atque duces facti sunt et aliorum, qui ad circulum non pertinent, sed eius sociis nulla re cedere volunt, laudabilem aemulationem excitant atque stimulant.

Non sine consolatione moderator videt levitates quas alii adolescentes quasi suae aetatis proprias committere solent, inter

suos semper rariores fieri, eorum autem pietatem continenter augeri; fere centum prima feria VI S. Communionem recipiunt et peregrinationibus ante examina instituendis omnes candidati, uno vel duobus exceptis, intersunt et fere omnes ad mensam dominicam accedunt; circiter 50 omni die dominico et 10 quotidie communicant.

Denique circiter ducenti medici qui circuli socii fuerunt nunc iam artem suam Lugduni et in Galliae parte, quae ad meridiem et orientem spectat, exercent et eorum non pauci locos honestissimos occupant: octo ipsius facultatis clinicis praesunt. Hi omnes ad consociationem patronorum circuli pertinent et maiorem partem fidelissimi sunt in subsidiis annuis praestandis, quae, pro iis iam ad 20 francos diminuta, multi ad 50 vel 100 francos ultro augent. Plurimi etiam nunc Patre moderatore omni cum fiducia utuntur et pietate, moribus, arte, diligentia suaque abstinentia circulo honori sunt atque ornamento.

Res familiaris. — Solius rei familiaris angustiae in summa hac omnium caritate administratorum animos anxios reddunt. Socii circuli adhuc omnia gratis acceperunt et patroni nostri censent hanc rationem esse retinendam.

Iuvenes ingenio atque morum integritate praestantes qui ob inopiam studia non possent continuare aut, internatu omisso, non sine magno suo detrimento contrahere deberent, pecuniae auxiliis, largitionum nomine (bourses), iuvantur. His summis adde alias non paucas impensas habitationis, servorum, lucis electricae, lignorum atque carbonum, librorum eorumque compactionis. Haud facile 25.000 francorum quae ad haec omnia solvenda necessaria sunt, conquiri potuerunt; sed ut omnia eo modo quo par est fieri possint, 35.000 fr. quotannis indigemus. Quod percipientes administratores patronique nostri summo cum studio reperire conantur viros beneficos, qui nos adiuturi sint.

VIII.

NEGOTIATORII VIATORES.

Opus est novum, Marianopoli (Montréal) in Canada abhinc paucis annis (1914) exortum, et iam in pluribus locis cum ingenti sociorum — et aliorum — spirituali fructu diffusum.

Societas ista est Foedus circulorum, quorum socii his quat-

tuor notis ornari debent: sint oportet Negotiatorii Viatores, catholici, gallo-canadenses, imprimis autem apostoli.

Regitur societas a « Concilio Foederali » et a « Comitio Generali ». Foederale Concilium, quod quotannis celebratur et est in consociatione auctoritas summa, constituitur ex legatis circulorum. Alternis autem annis fit electio officialium Comitii Generalis.

Comitium hoc, a Foederali Concilio delectum, eius mandata exsequitur eique rationem suae administrationis in annuo coetu reddere debet.

In Comitio, uti in Foederali Concilio, atque ceteroquin in omni circulo adest Capellanus-Moderator (Aumônier-Directeur), ab Ordinario approbatus, de quo haec habet n. 30 Statutorum generalium: « Capellanus-Moderator vices ex officio gerit Ecclesiae in Societate nostra: Concilium Foederale ac Generale Comitium monitis suis iuvat ipseque omnis quaestionis ad fidem moresve pertinentis arbiter est supremus ». Addo principem totius consociationis moderatorem ab initio fuisse et esse Patrem Societatis, eundem esse moderatorem circuli marianopolitani alterumque Patrem moderari circulum quebecensem.

Finis consortionis huius est, apte informare Viatorem, in viatore Christianum, in christiano Apostolum.

Viatoris institutio fit coetibus alternis hebdomadibus coactis, in quibus habentur lectiones, collationes, disputationes de rebus artem suam spectantibus; in hoc genere laboris adiuvantur technica bibliotheca, quae in quovis circulo paulatim evadit ditior, composita libris de religione, historia, commercio, industria, sociali oeconomia, etc. Narratur de quodam Viatore, dicendi in publico metum solam fuisse rationem, cur non auderet se circulo adiungere. Cum amicus quidam ei aliquando promisisset eum nunquam, omnino nunquam ad publice loquendum in coetu adactum iri, nomen tandem dedit. Die quo prima vice ad conventum accessit, nomine suo a praeside prolato tamquam novi sodalis a Comitio admissi, surrexit Viator silentio et rursus consedit. Sequenti autem consessu, cum quaestio tractata ei multum cordi esset, subito surrexit et « Optime praeses, inquit, en sensus meus », atque verbis paucis, sed claris et rectis, paulum utique commotus, sententiam dixit. Rupta erat glacies. « Hodie », ait capellanus, « inter circuli oratores eminet ».

In Viatore christianus effingitur. Conditionum ingressus in societatem prima est ut candidatus sit « catholicus qui Dei et

Ecclesiae praecepta fideliter observet » (pratiquant), altera ut sit « bonis moribus bonaque fama ornatus, temperantiae studiosus... »; neque hic sistitur, sed haec additur praecellens regula: « intra sex menses secessum clausum (retraite fermée) peragat ». Postea ab omni sodali quotannis agendus est idem secessus, nisi iudicio capellani permittatur exceptio; atque nemo in Comitium Generale eligitur qui secessum intra annum non egerit. Si tandem consideramus clausulam qua socii indigni fortiter expelluntur, agnoscere debemus consociationem hanc esse in vita christiana solide stabilitam.

Ceterum christianae religionis cognitio in iis expolitur privato studio, lectionibus, circuli collationibus a capellano aliisve peritis viris nonnunquam habitis. Et cum insuper nativa gaudeant facundia, miram aliquando dexteritatem acquirunt in rebus fidei palam evolvendis aut, si opus fuerit, impavide propugnandis. Nam praeterquam quod eorum fides sit ad illud Paulinum « rationabile obsequium » conformata, est etiam fortis et quidem valde. Notissimum enim est in nostris regionibus Viatores illos catholicos omni respectu humano esse prorsus immunes. Sexcenta sunt exempla istiusmodi publicae fortitudinis. Unum accipe.

Convenerant vespere ad amice colloquendum complures parochiani in aliquo pago sat remoto. Inter colloquium sermo in parochum delapsus est et qui videbatur eorum coryphaeus coepit acriter in pastorem invehi, ex eo quod, temporibus scilicet hisce arduis, curasset aedes novas magno quidem pretio sibi erigendas. Alii, ut mos est, perinde ac ovillus grex certatim ei assensi sunt.

Ibi autem erat unus e nostris Viatoribus. Quid faceret? Blateronem illum iactantem recta fronte aggredi, deteriorem fortasse rem fecisset. Satius iudicavit, quasi arte militari utens, fabellae fabellam opponere. Voce quieta et iucunda narravit quendam fuisse parochum qui, splendidis fruens reditibus, impar erat ad vestem talarem iam detritam mutandam, quia pecunia eius tota insumebatur parochiae pauperibus, orphanorum quorundam educationi, exigui insuper praeceptricis salarii complemento. Fabula haec alteram adduxit, dein tertiam et quartam, ita ut oves eaedem iterum agmine longo certarent in proferendis eiusmodi magnificis parochorum exemplis.

Praeter Viatorem et in viatore Christianum consociatio, ut diximus, in viro christiano informat Apostolum.

Inde societas peculiarem sibi notam habet; neque eam occulte fert. Ab ipso enim statutorum limine, n. 1, edicitur: « Finis eius est disiectas Viatorum vires colligere easque ad religiosum socialemque apostolatum adducere ». Evadunt igitur singuli, ut instanter de quavis virorum classe poscebat Summus Pontifex Pius X, « laici apostoli ».

Idque hic mire accidit. Nam cum ipsi sint, ratione artis suae, sollertes, actuosi, facilis linguae, blandiloqui, ubique circumvagantes, in viis ferreis, in urbibus et pagis, in deversoriis, in privatis domibus, facillime fiunt apostoli; atque cum antehac, ipsis fatentibus, infrunitos suos spargerent mores piamque plebem passim ferme terrerent, nunc contra, Evangelii potius sunt satores et omnibus exemplum quam optimum praebent. Id testantur Ordinariorum litterae.

Quo autem placido, at tenaci modo se gerant, audi. Unus e Viatoribus soleas venditat; cui emptores sunt fabri, viri plerumque boni, sed alioquin blasphemiae dediti. Sibi decretum erat, illa hebdomada imaginem SS. Cordis Iesu in omni officina ponere, pulcherrimam inquam SS. Cordis implorantis imaginem cum hac inscriptione: « Nolite blasphemare! » Officinam quandam ingressus audit fabrum cum alio disputantem suasque sententias exsecrationibus ac blasphemiis conspergentem. Interim Viator imaginem muro quietus figit clavo alteramque curat configendam in summis scalis ad superius cubiculum deducentibus. Finito colloquio, homo Viatorem compellans: « Nil a me tu, hodie... » clamat pingui cum blasphemia. Cui alter immotus: « Neque ad hoc veni, carissime. Sed vide... lege... ». Propior factus faber, attente intuetur imaginem, inscriptionem legit... Tunc: « Ascendamus ad alterum tabulatum ». Ast ecce iterum adspicitur piissima imago, silentio quasi imploraus: « Noli blasphemare! » In cubiculo cum Viatore inclusus: « Quid hoc sibi vult? Tu id fecisti? tu?... tu?... qui olim... » — « Utique, ego... ego... olim heu!... sed hodie! Quantum mutatus ab illo, nonne! Sed mysterii enodationem accipe ».

Tum vero, suae morum mutationis causa in medium prolata, coepit ei enarrare cogitationes, sensus, vota, proposita in secessu concepta, quantam in mente lucem, quantam in corde pacem, quantum animae habuerit gaudium, animae quae, antea longius a Deo digressa, miserrima, perdita, ad carissimum Patrem tandem revertitur. Victrix causa erat. Nomen suum illico dedit faber pro-

ximo operariorum secessui, in quo pravae suae consuetudini finem imposuit.

De Exercitiis clausis loquens, velim hic notare societatem Viatorum ex illis suam habuisse originem, cum mense augusto 1914, viginti quinque eorum Exercitia in Villa S. Martini, prope Marianopolim, peragentibus, a concionatore propositum est ut invicem consociarentur ad pietatis fructus sibi servandos necnon inter alios Viatores spargendos promovendosque. Mense autem proximo statim condita est Catholica Viatorum Societas; quae instituti sui quasi fundamentum posuit secessus clausos, ut iis sodales informarentur fierentque veri ac strenui Christiani, maxime vero « inconfusibiles » Apostoli. Nil igitur mirum quod fervidissimi secessuum propagatores evaserint atque optatissimos ad meliorem frugem reditus eosque nonnunquam difficillimos, eorumdem Exercitiorum gratia, obtinuerint.

Laboris campus Viatoribus apertus est multiplex: religiosus, ut bonum exemplum, bonae collocutiones (cum peculiari blasphemiarum insectatione), boni libri, tractatus, periodici, imagines SS. Cordis, etc., temperantia, Exercitia Spiritualia; socialis, ut praevisa lex de coacta scholarum frequentatione, improbi cinematographi, agrorum colendorum incitata desertio, Viatorum vacatio ab iuratorum munere etc. Priora opera a singulis potius Viatoribus exercentur, cum alia (socialia) nomine circulorum fiant seu etiam totius Viatorum coetus auctoritate.

Ad haec omnia se dedunt alacriter quidem, at prudenter, imperturbato semper animo, perseveranter. Nondum valde numerosi, tamen his in terris iam « implent omnia ». Sunt 600 socii, in 8 circulos per varias dioeceses distributi: optime ad invicem caritate coniuncti, concordiam hanc foventes tam epistolis et visitationibus, quam Concilio Foederali quotannis convocato et annuo sollemni conventu omnium sodalium per duos dies, quos vocant sociales.

Inde fit ut societas nostra, quamquam origine recens, vis quaedam praeclara iam habeatur pro Ecclesia defendenda (1) et re publica et gente, ut meritam laudem adepta sit ab omnibus clericis

(1) Em. Card. Bégin, Archiepiscopus Quebecensis cum Patre Nostro colloquens bonum huius consociationis spiritum et ardorem apostolicum valde laudavit.

et laicis ac tandem a Summo Pontifice paterne sit vocata (summum praeconium!) coetus virorum qui sunt « Apostoli-Viatores seu potius viatores Apostoli ».

IX.

EXERCITIA SPIRITUALIA PER SOLIDUM MENSEM AD MENTEM ANNOTATIONIS 19ae (1).

R. D. Sebastianus Corradi, Praepositus ecclesiae cathedralis genuensis, vir apostolico zelo plenus, postquam ipse Exercitia per integrum mensem apud Nostros peregit, lecta annotatione 19ª conabatur homines saeculares iis dotibus ornatos, quae ibi requiruntur, allicere ut Exercitia ita producta obirent. Primum decem nomen dederunt, postea vero 14 venerunt, inter quos 4 advocati, 3 rei technicae magistri (ingegneri), 1 curator ephemeridis (giornalista), 1 artifex (artista), praeses consilii consociationum catholicarum dioeceseos, praefectus foederis 120 consociationum opificum Liguriae, item praeses duarum consociationum iuvenum cum propagatoribus et sociis.

---

(1) Ann. 19ª: « Ei qui implicatus esset in rebus publicis vel negotiis convenientibus, sive literis, sive ingenio polleat, si sumat unam horam cum dimidia ad se exercendum, explicando ei ad quid creatus est homo, tradi item potest per horae dimidium examen particulare ac postea generale et modus confitendi ac sumendi Sacramentum: faciatque per tres dies quolibet mane spatio unius horae meditationem de primo, secundo et tertio peccato; deinde per alios tres dies eadem hora meditationem de processu peccatorum; postea per alios tres dies eadem hora, faciat de poenis quae peccatis respondent; tradendo illi in omnibus tribus meditationibus decem additiones; servando eundem ordinem circa mysteria Christi Domini nostri, qui infra ac fuse in ipsis exercitiis declaratur ».

Quibus verbis S. P. Ignatius ex una parte minus requirit quam nos hac prima vice praestitimus, ex altera vero parte plus exigit cum mensis unus satis non sit ad ea omnia singillatim explananda quae Exercitiorum libro continentur. Attamen notandum est 1° quod praecipuum habetur in Exercitiis, unius mensis spatio posse explicari et revera explicatum fuisse; 2° pro una hora et media quam S. Pater expostulat annotatione 19ª, exercitantes nostros alias instituisse meditationes a moderatore ipsis indicatas, quarum puncta in libro a P. Secundo Franco conscripto praeparare potuerunt.

Conveniebant in sacellum media fere in urbe situm. Ibi primum explicatum est, quid essent Exercitia Spiritualia et quo animo ad ea accedendum foret. Die 30 martii utrumque examen, generale et particulare, propositum et ex hoc die in posterum peractum est. Postridie ratione meditandi declarata plagulae distributae sunt, quibus breviter exhibetur, quo modo examina et meditatio facienda sint. Maioris claritatis atque facilitatis causa Pater ipse meditationem praeparatoriam apud exercitantes alta voce peregit.

Die 1 aprilis punctis de principio et fundamento propositis eadem consideratio per tres dies tradita est. Puncta machina scripta per quinque minuta legebantur, dein moderator ea breviter et ordinate declarabat. SS. Sacramento exposito meditationem faciebant cui cum simplici s. pyxidis benedictione finis imponebatur.

Meditatio fiebat vespere ab h. 6ª usque ad 7 am, quo tempore omnes negotiis liberi erant. Praeterea exercitantes domi priusquam cubitum ibant, per quadrantem examen instituebant et antea vel postea puncta meditationis matutinae a moderatore indicatae, libro P. Franco utentes, praeparabant. Meditatio matutina saltem inter Sacrum institui debebat, melius vero domi in apto cubiculo per horam integram. Quae exercitia domini illi tanto studio perficiebant, ut tempore quoque vacuo, si poterant, ad meditandum se conferrent. Etiam repetitiones quarundam meditationum maioris momenti et applicationes sensuum faciebant; omnes reformationem vitae ad mentem Exercitiorum instituerunt. Fidelissime vespere semper aderant et si, quod rarissime accidit, quisquam venire non potuit, prius licentiam a moderatore petebat et simul quae meditatio e libro sibi substituenda esset, quaerebat.

Absoluta sunt Exercitia die 1 maii S. Missae sacrificio et brevi concione ante Communionem habita. Ut memoriam aliquam huius mensis secum ferrent, exercitantes acceperunt libellum in quo continebantur commentarium P. Meschler de regulis ad sentiendum cum Ecclesia et commentatio de obedientia S. Pontifici debita, curis « Civiltatis Catholicae » edita.

Neminem dominorum illorum poenituit Exercitia peregisse, immo aliqui gaudium et consolationem, quibus eorum animi repleti erant, cohibere vix potuerunt. Ille qui duabus consociationibus iuvenum praeest, conatur nunc 20 vel 30 ex optimis sociis

adducere, ut proximo mense iunio Exercitia simili ratione peragant, idque non frustra, uti videtur. Certo omnes apud amicos suos notosque Exercitia multum laudant et inter alia id quoque sibi proposuerunt, ut saltem per certum tempus vel etiam semper meditationem quotidie instituerent ea ratione, quam Exercitia obeuntes didicerunt; aliquis in familia sua usum quotidie meditandi inducere vult, punctis vespere in commune lectis.

X.

DE OPERE « CURSUS SCRIPTURAE SACRAE ».

Cursus Scripturae Sacrae originem debet tribus Provinciae Germaniae Societatis nostrae sacerdotibus de re biblica apprime meritis: P. Rudolpho Cornely, P. Iosepho Knabenbauer, P. Francisco de Hummelauer, qui brevi post annum 1880 collatis inter se consiliis id sibi proposuerunt, ut opera latino sermone conscribenda ederent, quae materiam utilem ac illius temporis scientiae accommodatam praeberent ad Libros Sacros explicandos et vindicandos. Atque haec duabus collectionibus contineri voluerunt: altera exhibendi erant libri introductorii i. e. ipsa Introductio tam generalis quam specialis in omnes utriusque Testamenti S. Libros, cui accederent tractatus alii de disciplinis subsidiariis; altera continebantur Commentarii in singulos Libros Sacros. D. Lethielleux, clarissimus editor parisiensis (rue Cassette 10, Paris VI), ad opus suis sumptibus edendum sese paratum exhibuit. Editionis initium factum est anno 1885 ab ipso P. Cornély, qui tum erat professor S. Scripturae in Universitate Pontificia Gregoriana, edita Introductione historica et critica in utriusque Testamenti Libros Sacros. Deinceps usque ad 1913 quotannis fere, sive ab ipsis Cursus conditoribus sive ab aliis sociis in re biblica versatis singula aut bina volumina edebantur, ita ut usque ad exortum bellum europaeum 42 volumina in lucem prodirent. Ad quae accesserunt Thesaurus Concordantiarum Universae Scripturae Sacrae a PP. Peultier, Étienne et Gantois comparatus ac insuper complura opera compendiaria usui scholarum accommodata. Ita

paulatim totum opus in quinque illas sectiones excrevit, quarum infra exhibetur conspectus. Post annum vero 1913 infelici fato opus diu interruptum est, partim propter condiciones litterarum et commerciorum atrocissimo bello prorsus perturbatas, partim propter priorum editorum de tanto opere singulariter meritorum e vita excessum. Nam postquam die 3 martii 1908 totius operis conditor et administrator P. Cornely et anno 1911 in pervigilio festi S. Stanislai scriptor Cursus fertilissimus P. Knabenbauer, qui solus 21 volumina composuerat, e vivis cessere, ultimus P. Franciscus de Hummelauer die 12 aprilis 1914, quo die festum Paschatis celebrabatur, mortem subiit. Superiores autem pro sua scientiae biblicae cura ac providentia opus toti orbi catholico tam utile impigre continuandum et quam primum ad felicem exitum perducendum arbitrati, prioribus scriptoribus alios adsciscendos novisque laborem viribus suscipiendum esse censuerunt. Cursus S. Scripturae administratione in Collegio S. Ignatii Valkenburgensi restituta, normae in novis operibus servandae elaboratae et die 11 februari 1921 a Patre Nostro approbatae sunt. Iam in animo est Commentarios in Novum Testamentum quam primum perficere, explicationem Veteris Testamenti secundum leges nuper statutas continuare, libros qui nova editione indigebunt, accommodate ad nostrae aetatis quaestiones et difficultates, emendare et complere, opera subsidiaria quoque pro opportunitate addere. Alia non pauca, plane nova aut denuo edenda, praeparantur et mox prelo committentur.

Cursus S. Scripturae ut in theologorum et sacerdotum utilitatem susceptus erat, ita ab his grato omnino animo accipiebatur. Cui rei testimonio est, quod volumina haud pauca iam bis typis excudi potuerunt, imprimis Commentarii in Evangelia et in epistulas Paulinas maiores; immo Commentarii in Evangelium secundum Matthaeum iam tertia paratur editio. Introductionis vero Compendium, paratum a P. Cornely et, inde a sexta editione, editum a P. Martino Hagen, in permultis seminariis receptum, tanti aestimatur, ut divenditis circiter 38.000 exemplarium nona iam editio paranda sit. Pleraque Cursus volumina ob suam eruditionem, doctrinae securitatem, expositionis perspicuitatem communem omnium catholicorum laudem nacta sunt. Atque ipsi Summi Pontifices hoc opus in utilitatem S. Ecclesiae susceptum a primo eius ortu usque ad hunc diem insigni plane et singulari favore pro-

secuti sunt. Summi Pontifices Leo XIII, Pius X, Benedictus XV benignissime concesserunt, ut singula volumina ipsis dedicarentur; Leo XIII vero die 14 octobris 1896 et Benedictus XV die 28 decembris 1920 (*Acta Romana*, III (1920), p. 211) litteris summae benevolentiae plenis opus semel atque iterum susceptum laudaverunt suaque benedictione promoverunt.

CONSPECTUS OPERUM IN « CURSU SCRIPTURAE SACRAE » EDITORUM.

Sectio prima: Libri introductorii.

1. R. Cornely, *Introductio generalis;* ed. 1ª, 1885; ed. 2ª, 1894.
2. » *Introductio specialis, in ll.* Vet. Test., ed. 1ª, 1887; ed. 2ª, 1897.
3. » *Introductio specialis in ll. Novi Test.*, ed. 1ª, 1886; ed. 2ª, 1897.
4. M. Hagen *Lexicon Biblicum*, 3 vol., 1905, 1907, 1911.
5. F. Zorell, *Novi Testamenti Lexicon Graecum*, 1911.
6. M. Hagen, *Atlas Biblicus*, 1907.

Sectio altera: Commentarii in Vetus Testamentum.

1. F. de Hummelauer, *Commentarius in Genesim*, 1895
2. » *Commentarius in Exodum et Leviticum*, 1897.
3. » *Commentarius in Numeros*, 1899.
4. » *Commentarius in Deuteronomium*, 1901 (p. t. deest).
5. » *Commentarius in l. Iosue*, 1903 (p. t. deest).
6. » *Commentarius in ll. Iudicum et Ruth*, 18888.
7. » *Commentarius in ll. Samuel I et II*, 1886.
9. » *Commentarius in Paralipomenon I*, 1905 (p. t. deest).
13. I. Knabenbauer, *Commentarius in ll. Machabaeorum*, 1907.
14. » *Commentarius in l. Job*, 1886.
15. » *Commentarius in Psalmos*, 1912.
16. » *Commentarius in Proverbia* (Appendix: F. Zorell, *De arte rhythmica Hebraeorum*), 1910.
17. G. Gietmann, *Commentarius in Ecclesiasten et Canticum Canticorum* 1890.
18. R. Cornely, *Commentarius in l. Sapientiae*, ed. F. Zorell, 1910.
19. I. Knabenbauer, *Commentarius in Ecclesiasticum*, 1902.
20. » *Commentarius in Isaiam*, 2 vol. 1887; ed. 2ª praeparatur.
21. » *Commentarius in Ieremiam*, 1889; reimpressus 1907.
22. » *Commentarius in Ezechielem*, 1890; reimpressus 1907.
23. » *Commentarius in Danielem prophetam, in Lamentationes, in Baruch*, 1891.
24. » *Commentarius in Prophetas minores. Pars I*, 1886 (ed. 2ª praeparatur).
25. » *Commentarius in Prophetas minores. Pars II*, 1886 (ed. 2ª praeparatur).

Sectio tertia: Commentarii in Novum Testamentum.

1. I. KNABENBAUER, *Commentarius in Evangelium sec. Matthaeum*, 2 vol.; 1892; ed. 2ª 1903 (ed. 3ª praeparatur).
2. » *Commentarius in Evang. sec. Marcum*, 1894; ed. 2ª, 1907.
3. » *Commentarius in Evang. sec. Lucam*, 1898; ed. 2ª 1905.
4. » *Commentarius in Evang. sec. Ioannem*, 1898; ed. 2ª, 1906.
5. » *Commentarius in Actus Apostolorum*, 1899 (ed. 2ª praeparatur).
6. R. CORNELY, *Commentarius in Ep. ad Romanos*, 1896.
7. » *Commentarius in Ep. I ad Corinthios*, 1890; ed. 2ª, 1909.
8. » *Commentarius in II Cor. et Galat.*, 1892; ed. 2ª ,1909.
9. I. KNABENBAUER, *Commentarius in Epist. ad Ephesios, Philippenses et Colossenses*, 1912.
10. » *Commentarius in Epist. ad Thessalonicenses, ad Timotheum, ad Titum et ad Philemonem*, 1913.

Sectio quarta: Textus.

1. PEULTIER, ÉTIENNE et GANTOIS, *Concordantiarum universae Scripturae Sacrae Thesaurus*, 1897.

Sectio quinta: Compendia in usum scholarum accommodata.

1. R. CORNELY, *Introductionis in utriusque Testamenti Libros Sacros compendium*. 1889; ed. 6am-8am paravit M. HAGEN (1909-1914); ed. 9ª praeparatur.
2. M. HAGEN, *Realia biblica geographica, naturalia, archaeologica*, 1914.
3. R. CORNELY, *De divina inspiratione Commentariolus*, 1891.
4. » *Analyses ll. ss. Novi Testamenti*, 1888 (p. t. deest).
5. » *Synopses omnium SS. Librorum utriusque Testamenti*, 1899.
6. » *Psalmorum Synopses*, 1899.

XI.

NOSTRI IN INSULA CEYLAN QUINQUE LUSTRA A SUSCEPTA MISSIONE EXPLENT.

Insula Ceylan divisa est in archidioecesim Colombo et quattuor dioeceses, quarum duae anno 1895 constitutae et Societati commissae sunt, Gallensis scilicet Prov. Belgicae, Trincomaliensis Prov. Campaniae. Hoc anno 1920 diem quo ante quinque lustra Nostri laborem apostolicum coeperunt, sollemniter celebrarunt.

Novus Societati ille campus non erat. Anno enim 1548 S. Franciscus Xaverius insulam Ceylan visitavit, ut in illius epistolis le-

gere est. Ad septentriones, indicam continentem versus, sita est in ipso freto parva insula, Mannar, in qua primi Christi sectatores ante Xaverii adventum pro fide sanguinem fuderant. Quorum fidei heredes et posteros in itinere visitavit et consolatus est sanctus vir et grassantem diram luem suis precibus miro modo exstinxit.

Missio tamen proprie dicta Socictatis anno 1601 coepta est, cum Episcopus Coccinensis homines nostrae Societatis ad S. Francisci Assisinatis fratres iuvandos advocavit; qui magno fructu Evangelium praedicare, Exercitia Spiritualia tradere, collegia instituere aggressi sunt. Neque novae Missioni defuerunt martyres, inter quos memorandus est P. Bernardinus Pecci, Senensis, ex illustri familia Summi Pontificis Leonis XIII. Inter insectationes calvinistarum neerlandicorum et praecipue post suppressam Societatem tota missio funditus periisset, nisi a Venerabili P. Ioseph Vaz, ex Oratorio Goanensi, secreto et cum vitae periculo sustenta esset.

Anno 1849 RR. DD. Canoz S. I. precibus RR. DD. Bettachini O. S. B. Vicarii Apostolici Jaffnapatensis obsecundans, quattuor Patres Missionis Madurensis Ceylanensi ad tempus commodavit qui praecipue in insula Mannar opus susceperunt.

Anno 1886 hierarchia in insula constituta Summus Pontifex Leo XIII fel. mem. anno 1893 dioeceses novas Gallensem et Trincomaliensem erexit earumque curam Societati concredidit.

Missio Gallensis (Prov. Belgicae).

Cum Nostri duce RR. DD. Van Reeth, primo Gallensium Episcopo, in novam Missionem advenirent, tres Patres Oblati curam fere 6000 christianorum habebant. Anno 1920 23 Patres, 6 Scholastici, 4 FF. Coadiutores (universi 33) Missioni adscripti reperiuntur, e quibus 26 (20 sacerdotes, 2 Schol., 4 Coad.) in Missione ipsa laborant; ad eos adiungantur oportet 3 sacerdotes saeculares et 10 sacerdotii candidati qui in Seminario Pontificio Kandyensi disciplinis sacris instituuntur. Numerus scholarum per hos 25 annos e 4 ad 40, templorum et sacellorum e 18 ad 65 est auctus. Si numerus catholicorum non eodem modo crevit (anno 1895 erant fere 6000, anno 1920 15.000 et 25 catechumeni), ratio in eo est, quod conversiones ethnicorum hic difficillimae sunt et totum augmentum incremento fere soli christianarum familiarum debetur.

In hac enim provincia, si Galle ipsam excipias, urbes praesertim quae ad litus iacent buddhismi quasi arces atque propugnacula quaedam sunt: luridi eiusdem superstitionis coenobitae tibi occurrunt ubique, templa rebus omnibus sunt instructa magnaque populi frequentia celeberrima. E contrario catholicae familiae magnam partem pauperes, immo egentes sunt. Praeterea fieri nequit ut quis cum ullo successu buddhismum impugnet, quippe qui habeatur propria nationis religio, quam qui abicere voluerit, prodere patriam suam et alienigenis se adiungere censebitur. Quotiens enim infensum istorum animum debellare et conversionem paganorum promovere tentaverunt Patres, totiens quoque neophytos, debiliores contra persecutiones, deficere experti sunt. Etenim adversarii nostri scholas scholis, templa templis, agris agros excolendos opponunt, opifices catholicos maiore operae mercede pelliciunt auroque corrumpunt, novarum rerum cupidos variis industriis sibi devinciunt.

Quae ethnicorum contra veritatem repugnantia etiam augetur et obfirmatur nefariis Europaeorum quorundam conatibus, qui ipsi a Christo ad errores fabulasque Buddhae deficientes, indigenas omni vi et eloquentia in superstitionibus retinere atque buddhismi fastum potentiamque augere student.

Totum igitur missionariorum ministerium in eo versatur, ut christianos doceant et in fide confirment et ut patienter conversiones paucorum eorum qui bene sunt erga fidem dispositi, oratione, exemplo, bonis officiis colloquiisque continenter praeparent.

Ex altera parte missionarios tanti aestimant pagani, ut minime dubitent iis filios educandos committere, quamvis magnis opibus templa scholasque buddhistarum sustineant. Cum eorum pueri Patres propius intuentur, paulatim falsas suas ac praeiudicatas opiniones exuunt, manifeste magistris suam religionis christianae admirationem aperiunt eamque multi, nisi consanguinei eos retinerent, libenter amplecterentur. Maior pars eorum, etiam absolutis studiis, Nostris multum et familiariter utitur et si ipsis integra omnia ac libera fieri in aliquo statu possint, praesertim si matrimonio in catholicam familiam cooptentur, optimi evadunt christiani.

Plerique tamen buddhistae, ut dictum est, adversus missionarios sunt contumaces; non ita protestantes, qui potius iuxta quam contra eos agunt. Excipiendi tamen sunt Wesleyenses qui, quam-

vis urbani sint, semper tamen, ubique et in omni re hostes catholicae fidei tam verbo quam opere se praebent. Angli pro sua parte protestantium nomen oderunt et vocari se volunt anglo-catholicos; non raro quoque usus ritusque nostros atque etiam doctrinam et pietatem assumunt, ecclesias nostras, cum sollemnior aliqua caerimonia peragitur, ingrediuntur ibique Sanctissimum Sacramentum adorare assuescunt. Quare mirandum non est, si singulis annis aliqui ex iis, erroribus suis eiuratis, ad fidem catholicam se convertunt.

Sed praecipuum eorum, qui ad Evangelium diffundendum incumbunt, certamen in educanda iuventute versatur; utrimque scilicet copias suas conglobant, vires viribus conferunt, successus dinumerant. Contentioni huic, nihil motum, gubernium anglicum assistit, subsidia pro rata parte successus distribuit; quicumque enim inspectorem scholarum admittit, pecuniae publicae partem obtinere potest. Quod si difficultas quaedam occurrat, facile vincitur tum magistratuum benevolentia, tum auctoritate qua Nostri fruuntur apud supremum scholarum consilium. Missio Gallensis quinque elementorum scholas unamque secundariam, Collegium nempe S. Aloisii, sustinet.

Quod Collegium cum summum Missionis opus et maximae in hac insulae parte sit auctoritatis, de eo paulo fusius dicere libet.

Cum mense novembri anni 1895 RR. DD. Episcopus I. Van Reeth ad Gallam appulisset, in monte Calvary parvam scholam anglicam invenit, quam centum circiter pueri et puellae frequentabant.

Haec semper ad Missionem pertinuerat; namque catholici, quo tempore eos Batavi premebant, in montem confugerant ibique domunculam, quae simul esset sacellum, schola et domicilium missionarii aedificaverant. Primum quidem viva voce tantum, mox scripto quoque docebatur et sensim schola explicata et aucta est. Equidem pars multo maior alumnorum solam lectionem, scriptionem, arithmeticam addiscebat, dum pauci acriore nisu studioque satis proficiebant, ut ad scholas secundarias accedere possent.

Illis temporibus, ut patet, omnia facillime simplicissimeque fiebant: tabulae admissionis et frequentationis incompositae aut nullae erant; pro minervali non solvebatur pecunia, sed esca quaedam vel fructus magistro afferebantur. Discipuli secum portare

debebant perpaucas res: abecedarium, catechismum, ardesiam (ardoise); frequentatio scholae credebatur parentum atque adeo ipsorum puerorum voluntati.

Quae ut penitus mutarentur, hac ratione et via usus est P. Ios. Cooreman. Ante omnia dedit operam ut tabulae admissorum et abeuntium sedulo digererentur; tum scholam puerorum seiunxit a schola puellarum, quam RR. DD. Episcopus Sororibus Caritatis commisit. Postea P. D'Herde magister scholarum superiorum constitutus est et familiis quae modicas saltem facultates haberent, unam singulis mensibus rupiam (une roupie) solvendam esse statutum est. Cum tamen vox populi clamaret Belgas divites esse et liberales, raro solvebatur et gratis sicut antea scholae frequentabantur.

Timebat vero Episcopus ne catholica religio aliquando in magnum periculum adduceretur, nisi in urbe Galle collegium Societatis erigeretur. Flagitabat igitur P. Provincialem ut adiumento sibi esset: senescere religionem in missione, nisi ope et subsidio collegii officia gubernii administranda, leges condendae, iudiciaria munera exercenda et id genus alia, quae modo in manibus essent adversariorum, tandem etiam penes catholicos fierent.

Haec quidem moverunt Superiores; sed novum collegium constituere periculosum videbatur: deerant enim viri et pecunia; incertus erat exitus, cum praesertim nova Kwangensis Missio magnis difficultatibus hoc ipso tempore premeretur.

Tunc Hiberniae Provincialis Patrem Murphy Missioni Gallensi concessit, qui studia scholamque curaret. Reliqui omnes magistri futuri erant laici quos Nostri formarent et regerent. Statim autem atque optatus ille praefectus munus suum aggressus est, novi se obtulerunt convictores et bona disciplina constituta est. Mox antiqua schola angustior apparet et magna exedra aedificatur; duplicatur magistrorum numerus, singulis annis augetur et merces magistrorum et pecunia ab alumnis quotannis solvenda.

Anno 1908 advenientes duo scholastici hibernici, Prov. Belg. socii et cantabrigienses baccalaurei, existimationem magisterii nostri haud parum auxerunt; nam ab eo tempore non tantum superaverunt pericula alumni nostri, sed etiam laudibus atque « honoribus » a iudicibus ornati sunt.

Numerantur nunc 480 alumni, quorum 230 sunt catholici. Magistri 6 sunt Societatis, reliqui 18 laici. Pietas progressa est simul

cum scientia et studiis litterarum. Inter convictores, qui omnes sunt catholici, viget Communio cotidiana; novem ex alumnis nostris ingressi sunt Pontificium Seminarium Kandyense. Ex his duo in Societatem sunt admissi et tirocinium agunt in Missione Madurensi. Hodie iam quattuor sacerdotes indigenae, olim discipuli Collegii S. Aloisii, optime meriti sunt de Missione et ex iis unus, primus qui, in insula Ceylan natus, Societatem ingressus est, scriptis suis doctorum oculos in se convertit.

Praeterire hic non licet auxilium, numquam satis praedicandum, quod Sorores Caritatis Patribus nostris praestant in educandis puellis et constituendis familiis christianis.

Una cum Missione exultante eius Praesul idemque conditor RR. DD. Iosephus Van Reeth S. I., primus dioeceseos Gallensis Episcopus, quinque lustra episcopatus expleta celebravit. Quae sollemnia ut Venerando Pastori congratularentur, aderant Archiepiscopus Colombensis O. M. I. aliique tres Episcopi Ceylanenses, missionarii multi et quamplurimi fideles, omni ex parte dioeceseos, vel remotissima, congregati.

Missio Trincomaliensis (*Prov. Camp.*).

Missio Trincomaliensis iacet in orientali insulae Ceylan plaga et praeter Provinciam quam Orientalem vocant, districtum quoque Tamankaduwa comprehendit; quintam totius insulae partem occupat et a 200.000 hominum incolitur (quorum 180.000 ethnici sunt).

Anno 1895, die 23 novembris, PP. Alph. Evrard, Franc. X. Heimburger, Gabriel Moreel, qui adhuc in Missione laborant, unus ad stationem trincomaliensem, reliqui duo ad stationem batticaloensem appulerunt. Erant tunc tota illa regione catholicorum circiter 8000 (1), alii Tamulici, alii Sinhalenses, inter se lingua diversi, alii tandem mixta cum Europaeis, Lusitanis, Batavis, Anglis origine, quibus addi debent milites et nautae anglici Trincomaliae degentes. Missio sicut nunc in duas partes divisa

(1) Mense septembri anni 1920 in Missione numerabantur 8318 catholici eidemque adscripti erant: RR. DD. Episcopus, 14 sacerdotes nostri (e quibus unus indigena) 6 Schol. indigenae, 3 FF. Coad. (Socii universi 25), accedunt 2 sacerdotes saeculares indigenae. Templa atque sacella 29 habebantur, scholae 46, quas 2287 pueri et 1007 puellae frequentabant; insuper eodem anno 1920 in duabus domibus Exercitiorum 586 homines Exercitiis Spiritualibus exculti sunt.

erat, septentrionalem scilicet seu Trincomaliensem et meridionalem seu Batticaloensem.

In urbe Trincomalia surgebat ecclesia non indecora B. Mariae V. dedicata. Extra urbem variis locis inveniebantur parva sacella; praecipuum erat in pago Kottiar, quem circiter 300 Paravi incolebant, qui ante trecentos annos ex India in has plagas migraverant.

Tota vero regione batticaloensi numerabantur novem ecclesiae, quarum duae in insula Puliantivu, scilicet una SS. Virginis sacra, altera S. Antonii, solum iactu lapidis inter se distantes, propter diversas castas aedificatae erant. Scholae numerabantur septem, ex quibus una anglica, de qua uberius postea. Ex duobus Sociis erat unus paroeciae, alter pagorum curae destinatus in quibus ecclesia et pauci christiani inveniri poterant; hic interdum ad paganos excurrere tentabat. Sed quid pro tanta messe unus operarius, indigenarum morum et linguae tamulicae ignarus et vix non anglicae linguae expers, facere poterat?

Proximo anno tres Patres, inter quos primus Superior regularis, auxilio missi sunt.

Ad annum usque 1898 RR. DD. Van Reeth S. I., Episcopus novae Missionis Gallensis, Missionem Trincomaliensem administraverat et nascentes inter castas difficultates superaverat. Sub finem illius anni RR. DD. Carolus Lavigne S. I. ex Provincia Tolosana, olim Vicarius Apostolicus Missionis Malabarensis, primus Episcopus Trincomaliensis (1) electus est. Ipse templum ad S. Mariam Batticaloae, ante circiter triginta annos coeptum, postea vero diu derelictum, refecit et pro-cathedralis titulo inauguravit.

Etsi pauci — unus ex missionariis post aliquot menses febri consumptus mortem obierat — perpetuo tamen et indefesse laboraverunt operarii nostri, in curam animarum incumbentes et praecipue promoventes institutionem scholarum quae quotannis nu-

(1) Trincomaliensis urbs, licet vix 10.000 incolarum numeret, possidet tamen unum e pulcherrimis atque tutissimis portubus in orbe terrarum ideoque non sine ratione exspectari potest fore ut magnum emporium aliquando evadat. Propterea novae dioecesi trincomaliense nomen ut titulus episcopalis electum est, licet nunc maior pars populi batticaloensem regionem incolat et RR. DD. Episcopus modo in eiusdem nominis urbe sedem suam habeat; etiam ecclesiae cathedralis titulus trincomaliensi templo remanet.

mero crescebant, etiam inter paganos. Paucos usque eo ad fidem conversos esse confitebantur: sat magnum opus erat veteres christianos christianae vitae praecepta edocere et debitae sacramentorum frequentiae assuefacere. Multi enim, absente missionario per longum tempus, ab usu religionis recesserant, illegitima matrimonia contraxerant et cum aegrotarent, operibus satanae indulgebant sicut ethnici. Primum errantes hae oves ad pietatem et disciplinam christianam reduci debebant.

Maxima difficultas, tunc temporis sicut etiam hodie, non tam ex idololatris quam ex haereticis oriebatur. Ineunte saeculo vigesimo, Wesleyi sectatores in hanc regionem venerant et, cum essent natione et lingua Angli atque abundarent opibus, multo facilius eis erat quam nobis plurimas scholas anglicas et vernaculas aperire, in quibus pueros et puellas magnis sumptibus litteras et errores suos docebant. Fortis erat hostis in arce sua. Nostrorum conatus aegre ferebant sectae ministri et, ne asseclae e suis manibus elaberentur, omni ope obstare contendebant et pollicitationibus et minis: nihil intentatum relinquebant. Indigenas catechistas per totam regionem mittebant qui, sparsis etiam calumniis, a « Romana et Papistica » religione deterrerent eos qui Ecclesiae favebant.

Ignari ethnici, inter christianos tantum esse discrimen et acrimoniam videntes, dubii primum effecti, postea religionem omnino non curabant, et nonnisi pauci, Dei gratia adiuvante, veritatem Evangelii amplexi sunt. Etiam nunc inter ethnicos perdifficiles conversiones evadunt, propterea quod primo « pauperes evangelizantur » qui saepe saepius, ex infimis indorum classibus originem habent. Inde fit ut homines castarum superiorum christianos contemnant. Nam cum humilibus consuetudinem inire nolunt, quia, ut primum id faciunt, castae suae dignitatem et honores amittunt ex eaque fere excluduntur.

Cum primi Patres nostri in Missionem venerunt, erat et in urbe Trincomalia et in urbe Batticaloa parvum quoddam gymnasium in quo catholici iuvenes, ut plurimum pauperiores, sine magno sumptu elementa linguae anglicae edocebantur, ne cum periculo fidei et morum scholas haereticas vel ethnicas adire cogerentur. Vix 30 alumni in utraque schola habebantur. Sed tanto studio et tam bono successu Nostri hoc opus susceperunt ut paulatim etiam ethnici suos liberos ad scholas nostras mitterent. Mox,

ut pueris e dissitis pagis venientibus cibus praeberi possit et tectum, exiguus convictus, ramis palmarum contectus, exstruitur. Cum catholicis accepti sunt nonnulli ethnici qui sensim, catholicas preces audientes et catholicos ritus admirantes, Spiritus Sancti gratia permoti magnis superatis obstaculis in ovile Christi intraverunt. Et non solum sunt ab erroris tenebris ad lucem ducti, sed nonnulli etiam Societati vel sacerdotio nomen dederunt, qui hodie Nostros in cura animarum aut in collegiis adiuvant.

Insuper, in plaga orientali, in urbe Kalmunai, schola anglica contra scholam haereticorum magno cum fructu et bono cum successu instituta est. In hoc opere excelluit Pater Michael Gouth, b. m., qui omnes vires in eo certamine exercens tandem palmam tulit et scholam suam ethnicis et mauricis implevit eamque plenam successoribus reliquit.

Dum puerorum institutio sic suscipitur, non negligebantur puellae. Trincomaliae Sorores Clunyacenses (Cluny) a S. Ioseph scholam, a Sororibus S. Familiae relictam, et orphanotrophium occupaverunt. Batticaloae, cum deessent moniales, indigena quaedam virgo cum suis germanis sororibus parvam scholam instituit, in qua puellae anglicam linguam, domesticos labores artemque acu pingendi edocebantur. Post aliquot annos tandem tres Sorores a S. Joseph hoc opus susceperunt, orphanotrophii curam addentes, et hodie tanto cum fructu puellas instituunt, ut, litterario certamine publice instituto, una ex earum discipulis omnes insulae pueros et puellas superaverit et aureum praemium concertantibus propositum summa cum magistratus laude tulerit.

Ab initio fere Missionis iuxta maiorem ecclesiam Batticaloae a Nostris emi coeptae sunt decem circiter domus cum hortulis, quae locum necessarium ad amplum postea aedificandum collegium darent. Magnae quidem impensae faciendae et molestae a possessoribus paratae tricae superandae fuerunt, antequam non parvo pretio suos fundos Nostris venderent. Tandem decem post annos, domibus maiorem partem emptis, cum Superiorum venia opus magnum coeptum est, Gubernatore totius insulae primum fundamenti lapidem ponente. Nunc stat collegium eximium totius urbis monumentum, quo et catholici et ethnici gloriantur. Belli tempore, cum esset multis aliis sumptibus providendum, opus imperfectum relinqui debuit. Nunc vero aedificationem persequuntur sperantque fore ut mox finiatur. Gubernator insulae qui nu-

per hanc partem visitavit, opera Nostrorum coram omnibus laudavit iisque haud parvam summam publicae pecuniae attribui iussit. Summus scholarum publicarum moderator et inspectores disciplinam et progressum alumnorum nostrorum amplissimis verbis probaverunt. Quin ille collegium nostrum seminarium quoddam in quo catholici magistri informarentur facere voluit, sed propter difficultates quae superari adhuc non potuerunt, ad aliud tempus hoc consilium dilatum est. Numerantur alumni circiter 250 qui ab infimis grammaticae rudimentis ad publica quae dicuntur « Cambridge » examina procedunt.

Sodalitates pro more Societatis in collegio erectae florent. In puerorum institutione autem Patres Rationem Studiorum, quantum fieri potest, sequuntur.

Trincomaliensi in urbe parvulum collegium, aedificiis non tam amplum, sed et ipsum a 200 pueris frequentatum, discipulos ad examina publica cum successu parat.

Ut iubilaeum Missionis fructuosius evaderet, totus populus christianus missione habita ad hanc summam sollemnitatem est paratus. Rogante RR. DD. Episcopo, concionator quidam linguam tamulicam optime callens et illius ministerii peritissimus e Missione Madurensi est missus, qui exercitiis tradendis praeficeretur.

Batticaloae et Trincomaliae per duas hebdomadas, Kalmunai et Cottyan per unam a 2 Patribus quotidie 4 conciones habitae sunt; in reliquis pagis, occurrente sollemnitate patroni loci, per hebdomadam mane et vespere fiebant conciones frequentissimo populo accurrente. Missionariorum conatibus, opitulante Deo, responderunt amplissimi fructus gratiae. Non pauci e caeno vitiorum ad sacramentorum usum revocati meliorem vitam agere coeperunt. Ut plura praetermittamus, in parvo pago vix tribus passuum millibus ab urbe distante, circiter 200 christianis — quorum eheu! complures nomine tenus christiani — missionarius exercitia tanto studio et successu tradidit, ut novem illegitima matrimonia continuo sanaverit et quinque alia mox sanatum iri sperare possit.

PARS ALTERA

NUNCII BREVIORES

ANNI MCMXX

I.

DE SOCIETATE IN UNIVERSUM.

Chronica curiae societatis 1920.

Ephemerides.

12 *mart.* — Ad Patrem Nostrum redit ex suo per Assistentiam Galliae et Provinciam Belgicam itinere P. Augustus Bulot, Inspector studiorum superiorum.

20 *mart.* — R. P. Ioannes Cañete, Praepositus Provinciae Toletanae, Patrem Generalem ad aliquot dies convenit.

Mense apr. — In Curiam adventant: die 5 RR. DD. Compton Galton, Vicarius Apostolicus Guianae Britannicae; die 21 RR. DD. Vedastus Robichez, Episcopus Trincomaliensis, R. P. Oliverius Feron, Superior Regularis Missionis Gallensis in insula Ceylan.

4 *maii.* — Hodie Curia nostra novendialem supplicationem B. Margaritae M. Alacoque post litanias communes habendam incipit, qua a Deo impetret quam primum coelitum in terris honores Ven. P. Claudio de la Colombière, Societati vero nostrae novum ac impensum studium propagandi ubique terrarum cultum suavissimum ac saluberrimum SS. Cordis Iesu.

14 *maii.* — Occasione canonizationis B. Margaritae M. Alacoque 16 Nuntiorum SS. Cordis Iesu curatores in Urbem venerunt, ut de rebus suis inter se conferrent. Quod aliquotiens in Collegio Pio Latino Americano, cuius hospitalitate fruiti sunt, fecerunt praeside P. Iosepho Calot, moderatore generali Apostolatus Orationis et, bis in Curiam invitati, praeside ipso Patre Generali. Qui in utroque consessu brevem sermonem habuit de fine Nuntiorum eosque moderandi ratione, de Apostolatu Orationis Familiarumque Consecratione; postea Patribus occasionem praebuit

dubia atque difficultates proferendi et mutuo colloquio quaestiones quasdam propositas discutiendi.

29 *maii*. — Praepositus Provinciae Neerlandicae, R. P. Everardus Beukers, propriis Visitatorum institutionibus a Patre Nostro eruditur, ut id muneris mox obeat in Provincia Missouriana.

2 *iun*. — Adfuit R. P. Iosephus Verdier, Superior Missionis Nankinensis, a Patre Nostro vocatus, ut negotia rerum sinensium facilius expediret.

14 *iun*. — Cum R. P. Carolus Miccinelli finem imposuisset Visitationi Provinciae Neapolitanae, Pater Noster propter vicinitatem Neapolitanos Sodales convenire voluit, apud quos deversatus ad aliquot dies, bis habuit communem adhortationem et maximam Provinciae partem, quae circa eundem tyrrheni maris sinum domicilia habet, cernere et alloqui potuit.

18 *iun*. — R. P. Ioannem Delom, Superiorem Regularem Missionis Tananarivensis in insula Madagascar, tecto excepimus.

24 *iun*. — Qua est sollicitudine pro comparandis Societati viris eximiis, Pater Noster hodie singulos ad se vocavit biennistas, qui sive in nostrae Universitatis Gregorianae curriculo magisterii et canonica facultate, sive in Instituto Biblico, sive in Instituto Orientali de Urbe superioribus studiis dant operam, ab iisque rationem huius primi anni integram est percontatus quaeque ipsi rogati animadverterunt, libentissime accepit.

Mense iulio. — Advenerunt, Patrem Nostrum consulturi, nonnulli Superiores Regulares Missionum: die 9 R. P. Iacobus Planchard ex Madura; die 10 R. P. Gulielmus Lockington ex Australia; die 14 R. P. Ferdinandus Périer ex Bengalia; die 16 R. P. Carolus Héraulle e Sinensibus oris (Tche-ly) et R. P. Ferdinandus Bonnel e Trincomaliensi.

16 *iul*. — Pater Noster in Gregoriana Universitate, Patrum conventu coacto, egit de constituendo curriculo magisterii philosophici pro iis qui scholasticam philosophiam docere debebunt. Res inchoari, licet nondum perfici, proximo anno poterit.

3 *aug*. — Nova ad rusticandum per aestivos calores villa comparata est in Tusculano. Res ita accidit. Cum Novitii Provinciae Romanae vix non praeter exspectationem discedere cogerentur domo, quam diu conduxerant Castri Gandulphiorum, ad laci albanensis ripas, nullas habuerunt aedes in quas confugerent. Tironibus interea Gaudianum in Taurinensem Probationis domum

missis, alia sedes quaerebatur. Tum Pater Noster rus, Villa Vetus Tusculana dictum, quod ad Collegium Tusculanum (Mondragone) pertinet et quo Curia nostra quotannis mense augusto se conferre solebat, Provinciae Romanae ultro cessit. Curiae vero alio modo a Divina Bonitate est provisum. Nam post aliquot menses vacuum et conducticium inventum est rus, cui nomen est Rufinella, in solitario montis tusculani iugo situm, quo nullum optatius in vicinia nobis offerri poterat, sive domum ad nostros usus constructam spectes, sive nemorum tranquillitatem et salubre coelum, sive denique maiorum memoriam repetas, quorum vestigia, quocumque fers pedem, legis. Iuvat historiam hanc domesticam paucis perstringere.

Rus nomen habuit a conditore suo Rufini; utrum autem a Philippo († 1548), Episcopo Sardianensi, an ab Alexandro († 1579) Episcopo Melphiensi, incertum est.

Anno 1740 a nobili cive romano e Marchionibus Sacchetti Societati Iesu veniit 13300 scutatis, ut Collegio Romano esset ad rusticandum. Domum nostris usibus aptavit architectus Vanvitelli eamque, perfecto opere, primum incoluerunt anno 1745 Patres Fratresque Collegii Romani; biennio post visit eam ipse Summus Pontifex Benedictus XIV qui a R. P. Francisco Retz, Praeposito Generali multisque Patribus gestientibus exceptus est.

Domus deinde hospitio fuit, ab anno 1759 usque ad 1787, centum ac duodeviginti sodalibus Provinciae Lusitanae, quos odium notissimi illius Pombal e patria expulerat, donec superstites Castrum Gandulphiorum ad lacum albanum in eam, quae fuerat Praepositi Generalis villa, missi sunt. Rufinella nostra alii tunc potiti sunt, quos inter Maria Christina, Caroli Felicis Sardiniae regis coniux. Haec rus Collegio Romano locavit anno 1847 et pro suo erga Societatem impensissimo studio, testamento statuit, ut post mortem suam villae usus perpetuus Societati esset, dominium tamen regiae genti sabaudicae remaneret.

Cum vero ultimae voluntati piae reginae condiciones adiectae essent quae ob iniqua tempora non implebantur, Societas nunquam beneficio uti potuit, quod benevolentia nobilissimae mulieris ipsi destinaverat.

1 *sept.* — Cum visum esset RR. PP. Assistentibus Patrem Nostrum, munere regendae Societatis universae iam satis oneratum, sollicitudine moderandae Curiae aliquantum relevare, Pater Noster decrevit uni ex iisdem Assistentibus suas in domestica gubernatione vices conferre, quem in finem elegit P. Franciscum de P. Nalbone, Italiae Assistentem. Hic itaque, re super mensam heri vespere renuntiata, hodie munus Vicesuperioris inivit eique Consultores quattuor attributi sunt.

4-10 *sept.* — Patrem Nostrum conveniunt die 4 R. P. Iosephus

Jouanen, Superior Missionis Aequatorianae; die 5 R. P. Victor Picavet, Superior Regularis Missionis Betsileensis; die 10 R. P. Petrus Boetto, Visitator Prov. Aragoniae.

6 *sept.* — P. Eduardus Schröder, Socius Procuratoris Generalis, Romam rediit. Auctoritate S. Congregationis de Propaganda Fide una cum RR. DD. Lanslots Religiosos Missionarios de Mariannhill (Natal, Africae Australis) et Sorores Pretiosissimi Sanguinis in eadem Missione laborantes visitaverat. Quo mandato rite expleto a S. Congregatione iussus domos Monialum Pretiosissimi Sanguinis in Zanzibar et Africa Orientali perlustrare debebat. Cum vero res in eo esset, ut Sorores utpote germanicae originis e territoriis illis praeter zanzibariense eicerentur, nihil reliquum erat quam ut, haud paucis difficultatibus superatis, iis obtineret facultatem ingrediendi Civitates Foederatas Africae Australis. Postquam in Europam revertit, eodem Visitatoris Apostolici titulo domos utriusque Congregationis in Neerlandia et Germania visitavit.

Die 20 novembris in Urbem rediit, ubi die 20 decembris a S. Congregatione de Propaganda Fide litteras gratulatorias accepit, quibus omnia quae Visitator statuerat, magna cum laude omnino confirmabantur.

16 *sept.* — Cum ad diem 26 huius mensis indicta esset Congregatio Procuratorum Provinciarum Romae habenda, nostrum in Urbem reditum hodie maturavimus.

22 *sept.* — Provinciarum Procuratores Romam adventare incipiunt. Primus fuit P. Felix Mollat e Provincia Franciae.

26 *sept.* — A Viceprovincia Jugoslava mittitur P. Bruno Foretić, qui de ea ad Patrem Nostrum referat; non tamen Procuratoribus adsciscitur neque eorum conventui interest.

27 *sept.* — Hodie mane hora decima antemeridiana sessio prima Congregationis Procuratorum in aula maxima Collegii Germanici-Hungarici habita est. Ea fuit quinquagesima septima a Societate condita, decima octava ab eadem restituta; Procuratores undetriginta e totidem Provinciis omnino erant. (Eorum nomina v. infra; adhortationes vero Patris Nostri in *Act. Rom.* III [1920] 233 sqq.)

30 *sept.* — Cum esset quartus ab inita Congregatione dies, habita est eadem hora eademque in aula sessio secunda Procuratorum. Ea absoluta Congregationi finis est impositus.

3 *oct.* — PP. Procuratores una cum PP. Assistentibus ducti sunt hora undecima cum dimidio ad Summum Pontificem. Is cum

multa negotia expedienda haberet, quae superiore hebdomada omiserat, ut Exercitiis Spiritualibus operam daret, cumque Procuratorum multi diu exspectare non possent, antea nuntiavit se libentissime quidem excepturum esse eos, sed a concinnatis sermonibus abstinendum. Quare cum eos coram se videret, familiarissime allocutus est; se gaudere, quod legatos universae Societatis cerneret; huic gratulari, quae provido Congregationis triennalis consilio Praepositum suum in gubernando adiuvaret; omnes vehementer hortari, ut opera divinae gloriae provehere totis viribus nunquam desisterent; se ipsis, pietatis munusculis quae secum ferrent, eorum denique Provinciis benedicere. Quibus dictis Summus Pontifex coronam adstantium perlustrans omnibus manum osculandam porrexit et hunc illumque humanissime allocutus est, dum Pater Noster Beatissimo Patri singulorum nomina proferebat. Tandem Pater Generalis ad Sanctitatis Suae pedes procubuit oscula ferens. Tum subridens Summus Pontifex: « Nulla fit indulgentia pedes deosculantibus; potest quidem Pontifex eam concedere, sed ego nolo ». Pater Noster respondit se testari voluisse amorem ac reverentiam erga Christi Vicarium.

A prandio alia laetitia PP. Procuratores recreavit. Cum trecentesimum annum a beata morte S. Ioannis Berchmans Roma sollemni commemoratione propediem celebrare aggrederetur, Praepositus Provinciae Romanae omnes Procuratores Provinciarum Societatis Iesu ad piam comprecationem hora quarta in templo S. Ignatii ad aram coelitis iuvenis habendam invitavit. Nulla decerni poterat et magis opportuna et magis propria ad hunc gratulatio, quam ut Societas tota cum suo capite ipsiusque consilio supremo prima ei laudum munera praesentes offerrent. P. Gulielmus Arendt, socius Provinciae Romanae, patria Belga, pro altari ad Patres brevissima verba fecit, quibus illos pie edocuit de rebus per integrum annum gerendis in honorem S. Ioannis. Dein Praepositus Provinciae Romanae, apposite ad hanc Procuratorum frequentiam et consessum, precum formulam recitavit, quam libet hic exscribere:

> O amabilissime Frater noster Sancte Ioannes, propitius de caelo respice hunc electum ex universa Societate conventum, qui magno affectu et pari fiducia ante aram tuam provolvitur, primitias tibi offerens singularis illius cultus, quem habiturus es tertio mox saeculo exeunte a tuo in caelum ingressu.

Verum non modo ad nostrum obsequium gratumque animum profitendum ante tuos pedes prosternimur, sed etiam ad nova beneficia imploranda pro Societate, quam tanto prosecutus es et prosequeris amore. Supremo eiusdem Moderatori iisque omnibus qui illum in Societate gubernanda adiuvant, ea adiumenta suppedita eaque solatia, quae illis necessaria sunt ad subditos dirigendos et opera Societatis complenda ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem. Quotquot autem existimus Societatis filii, sub Crucis vexillo militantes, te apud Deum intercedente, illo imbuamur perfectae regularum observationis spiritu, eo in Beatissimam Virginem amore, ea Christi Crucifixi constanti imitatione, quae brevem tuam vitam pretiosam reddiderunt et tibi felicem obitum compararunt.

Dignare autem super omnia Societati concedere vocationes tuae similes et nostris caris iuvenibus zelum ardentem et constantem inspira tuas praeclaras virtutes imitandi.

Tibi denique commendamus universam iuventutem Societati commissam, ut in odorem exemplorum tuorum instituta augeat tuorum clientum numerum in terris et beatorum civium in caelis, inter quos etiam nos admissum iri confidimus, ut tecum Deum nostrum laudemus in universas aeternitates. Amen.

Deinde SS. Eucharistia adorationi sollemniter proposita, omnibus benedictum est. Sacram relinquentes aedem proxima excepit Gregoriana Universitas iisque pomeridianum haustum apposuit.

17 *oct.* — Patres Fratresque Curiae Exercitiis Spiritualibus operam dare incipiunt.

22 *oct.* — Venit R. P. Ioannes Guim, Visitator Missionis Philippinae, Iaponicae eiusque partis Sinarum quae obveniet Patribus taurinensibus, castellanis, legionensibus.

28 *oct.* — Cum magnopere expeteretur opera R. P. Augusti Coemans, Praepositi Provinciae Belgicae, ut in recognoscendum Institutum incumberet, ipse Romam ad annum est arcessitus, suffecto ad vices Praepositi gerendas R. P. Ferdinando Willaert.

29 *oct.* — Rediit e visitata Provincia Veneta R. P. Rudolphus van Oppenraaij, Assistens Germaniae.

22 *nov.* — Ad nos devertit RR. DD. Antonius Schuler e Provincia Neo Aurelianensi, Episcopus Elpasensis, sacra limina veneraturus.

27 *nov.* — Luctus Curiam nostram hodie tenuit obitu P. Achillis Gerste, cuius elogium infra (p. 347 sqq.) ponimus.

8 *dec.* — P. Stanislaus Siemienski, ab anno Curiae nostrae addictus, renuntiatur Substitutus Secretarii pro Germania, quod munus relinquit P. Otto Werner, ut *Actorum Romanorum* et *Memorabilium Societatis Iesu* Curator fiat.

Elenchus Procuratorum.

CONGREGATIO PROCURATORUM

HABITA ROMAE APUD COLLEGIUM GERMANICUM

DIE 27 SEPTEMBRIS 1920

A. R. P. WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS IESU

ASSISTENTES		ORTUS	INGRESSUS	GRADUS
R. P. Eduardus Fine	Galliae	24 maii 1847	1 sept. 1865	15 aug. 1884
R. P. Hermannus Walmesley. .	Angliae	9 feb. 1850	18 dec. 1867	2 feb. 1886
R. P. Rudolphus van Oppenraaij	Germaniae	17 oct. 1856	26 sept. 1873	2 feb. 1892
R. P. Iosephus Barrachina . .	Hispaniae	24 mart. 1856	4 maii 1873	2 feb. 1893
R. P. Franciscus de P. Nalbone	Italiae	18 feb. 1866	30 oct. 1880	2 feb. 1902
R. P. Iosephus Hanselman . . .	Americae	28 oct. 1856	7 sept. 1878	25 mart. 1906
PROCURATORES	**PROV.**			
P. Scorraille Radulphus de . .	Tolos.	24 ian. 1842	14 iul. 1860	2 feb. 1877
P. Bouillon Marius	Lugd.	27 mart. 1846	21 nov. 1862	15 aug. 1881
P. De Vos Iosephus	Belg.	9 maii 1848	29 sept. 1869	2 feb. 1887
P. Müller Ioannes B.	Germ.	7 oct. 1850	1 oct. 1869	2 feb. 1887
P. Heinrich Iosephus	Camp.	16 maii 1848	24 feb. 1872	2 feb. 1889
P. Puiggrós Aloisius	Arag.	29 iul. 1851	23 mart. 1874	15 aug. 1889
P. Devitt Matthaeus	Hibern.	26 iun. 1854	11 maii 1872	3 feb. 1890
P. Astrain Antonius	Castell.	17 nov. 1857	8 aug. 1871	2 feb. 1891
P. Burrowes Alexander.	Missour.	14 oct. 1853	10 aug 1872	15 aug. 1891
P. Dekker Leo	Neerl.	20 feb. 1856	26 sept. 1874	2 feb. 1892
P. Filiatrault Telesphorus . . .	Canad.	9 nov. 1852	13 feb. 1875	2 feb. 1892
P. Stopa Antonius	Polon.	31 oct. 1859	27 sept. 1876	2 feb. 1894
P. Ojetti Benedictus	Rom.	5 apr. 1862	12 nov. 1878	15 aug. 1896
P. Gasson Thomas	Maryl.-N.E.	23 sept. 1859	17 nov. 1875	2 feb. 1897
P. Carrasco Gundisalvus	Mexic.	18 ian. 1859	17 ian. 1884	24 feb. 1901
P. Stravino Antonius	Neap.	27 apr. 1867	1 dec. 1883	2 feb. 1903
P. Añon Ioachimus.	Arg.-Chil.	26 iul. 1869	6 iul. 1884	2 feb. 1904
P. Bodkin Gulielmus.	Angl.	20 maii 1867	7 sept. 1884	2 feb. 1904
P. Rubino Liborius	Sicul.	19 oct. 1869	13 oct. 1884	2 feb. 1904
P. Ersin Aloisius.	Austr.	1 iun. 1868	4 sept. 1886	2 feb. 1904
P. Melga Petrus	Taur.	11 sept. 1867	13 dec. 1886	2 feb. 1905
P. Mollat Felix	Franc.	25 apr. 1871	19 oct. 1889	2 feb. 1907
P. Alberti D. Ioachimus	Ven.	18 aug. 1869	9 nov. 1889	2 feb. 1907
P. Mostaza Michaël.	Leg.	1 iun. 1867	15 iun. 1892	15 aug. 1907
P. Jablonkay Gabriel	Hung.	28 iul. 1874	30 iul. 1888	2 feb. 1908
P. Rodrigues Franciscus	Lusit.	20 sept. 1873	20 sept. 1888	2 feb. 1908
P. Grund Emmanuel	Tolet.	20 apr. 1874	4 dec. 1890	2 feb. 1910
P. Cummings Eduardus	Neo-Aur.	9 iul. 1872	12 sept. 1891	15 aug. 1911
P. Piet Iosephus	Calif.	1 dec. 1876	18 maii 1893	2 feb. 1913

Catalogus Sociorum et officiorum Curiae Societatis Iesu ineunte mense septembri 1920.

A. R. P. N.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITUS GENERALIS

A DIE 11 FEBRUARII 1915.

(Via S. Nicola da Tolentino, 8 — Roma (30). Pro telegram.: Gisa, – Roma)

P. Franciscus de Paula Nalbone, *Assist. Ital.*, *Vicesup. dom.* . . . . . Prov. Sic.
P. Rudolphus van Oppenraaij, *Assist. Germ.*, *Conf. dom.*, *Praef. val.*. . . . . » Neerl.
P. Eduardus Fine, *Assist. Gall.*, *Conf. dom.*, *Admon* . . . . . » Lugd.
P. Iosephus Barrachina, *Assist. Hisp.*, *Praef. spir.*, *Conf. dom.* . . . . . » Arag.
P. Hermannus Walmesley, *Assist. Angl.*, *Conf. dom.* . . . . . » Angl.
P. Iosephus Hanselman, *Assist. Amer.*, *Conf. dom.* . . . . . » Maryl.-N. E.
P. Petrus Tacchi Venturi, *Secr. Soc.*, *Script. hist. Soc.*, *Cons. an.* 1 . . . . . » Rom.
P. Alfredus Maertens, *Proc. Gen.*, *Conf. dom.*, *Cons. an.* 1. . . . . » Belg.
P. Paulus Zunino, *Min.*, *Proc.*, *Praef. sac. dom.*, *Cons. an.* 1 . . . . . » Taur.
P. Beccari Camillus, *Postul. Gen. caus. NN. Ven. et Beat.* (*in Univ. Greg.*) . . . . » Rom.
P. Cassiani Ingoni Iulianus, *Subst. Secr.*, *Praef. lect. ad mens.* . . . . . » Ven.
P. De Champs de S. Léger Petrus, *Subst. Secr.* . . . . . » Franc.
P. Galdos Anicetus, *Par. regest* . . . . . » Cast.

P. Gerste Achilles, *Adiut. Secr. Soc.* . . . . Prov. Belg.
P. Goetstouwers Ioannes B., *Adiut. Secr. Soc.* » Belg.
P. Gonthier Carolus, *Rev. Gen. libr., Praes. coll. cas., Cons. an.* 1 . . . . . » Lugd.
P. Hernández Paulus, *Par. regest.* . . . . . » Arag.
P. Kleiser Alfonsus, *Adiut. Secr. Soc.* . . . » Germ.
P. Mac Mahon Gulielmus, *Subst. Secr.* . . . » Angl.
P. Marchetti Octavius, *V. Postul. Gen. caus. NN. Ven. et Beat., Adhort. dom.* (*in Univ. Greg.*) . . . . . » Rom.
P. Palermo Lazzarini Dominicus M., *Rev. Gen. libr.* (*in Univ. Greg.*) . . . . . » Rom.
P. del Páramo Nicephorus, *Subst. Secr.*. . . » Leg.
P. Pérez Goyena Antonius, *Rev. Gen. libr.* . » Cast.
P. Rabeneck Ioannes, *Rev. Gen. libr., Praef. bibl.* . . . . . » Germ.
P. Schröder Eduardus, *Soc. Proc. Gen.* . . » Neerl.
P. Siemienski Stanislaus, *Adiut. Secr. Soc., Catech. FF. CC., Expl. med. FF. CC.* » Pol.
P. Waters Leopoldus, *Adiut. Secr. Soc.*, (*Exaten bij Baexem, Holland, L.*) . . . » Neerl.
P. Werner Otto, *Subst. Secr.* . . . . . » Austr.

COADIUTORES.

Baguñá Narcissus, *Aman., Ian.* 2, *Ad dom., Soc. exeunt* . . . . . Prov. Arag.
Banquells Ignatius, *Soc.* 1 *P. Gen., Aman., Aedit., Vis. noct.* . . . . . » Arag.
Barlassina Ioannes B., *Adiut. sart., Tons., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . » Ven.
Beckmann Godefridus, *Soc.* 2 *Adiut. Secr. Soc.* (*Exaten*) . . . . . » Germ.
Bellon Victor, *Aman., ad dom., Soc. exeunt.* » Lugd.
Del Vecchio Vincentius, *Aman., Infirm., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . » Rom.
Durelli Ioannes, *Adiut. aedit., Ad dom., Soc. exeunt* . . . . . » Ven.

Grau Theodorus, *Aman.*, *Adiut. praef. bibl.*, *Vis. med. et exam.*, *Ad dom.*, *Soc. exeunt.* Prov. Arag.
Herrero Aemilius, *Soc.* 2 *P. Gen.*, *Aman.*, *Ad dom.*, *Soc. exeunt.* . . . . . » Leg.
Huete Antonius, *Praef. tricl.*, *Aman.*, *Ad dom.*, *Soc. exeunt.* . . . . . » Tolet.
Iannarelli Philippus, *Sart.*, *Cust. vest. et lint.*, *Vis. mat.* . . . . . » Rom.
Lampe Maximilianus, *Aman.*, *Ad dom.*, *Soc. exeunt.* . . . . . » Neerl.
Lo Iacono Iosephus, *Empt.*, *Coq.*, *Cell.* . . . . » Sic.
Oteiza Esdras, *Aman.*, *Adiut. infirm.*, *Comp. mss. et libr.*, *Ad dom.*, *Soc. exeunt.* . . » Cast.
Prieto Iosephus, *Soc. Proc. Gen.*, *Ad dom.* . » Leg.
Przewlekly Franciscus, *Cust. pen.*, *Adiut. coq. et cell.*, *Ad dom.*, *Soc. exeunt.* . . . . » Pol.
Weidinger Ioannes B., *Aman.*, *Ian.* 1., *Ad dom.*, *Soc. exeunt.* . . . . . » Ven.
Wenzel Iosephus, *Soc.* 1 *Adiut. Secr. Soc.* (*Exaten*) . . . . . » Austr.

Curiae annumerati sunt:

P. Besson Iulius, *Par. revis. Inst.* . . . . . Prov. Tolos.
P. Coemans Augustus, » . . . . . » Belg.
P. Ferreres Ioannes B. » . . . . . » Arag.
P. Thill Ernestus » (*Exaten*) » Germ.

Sac. 28 — Coad. 16 — Univ. 44.

N. B. — A die 1 vel 2 augusti ad finem mensis septembris Curia Societatis extra Urbem degit (Rufinella, FRASCATI, Prov. di Roma). A die autem 2 ad 16 augusti, quibus diebus ipsa vacationes maiores agit, et a die 18 septembris ad 27 eiusdem mensis, quo tempore Exercitiis Spiritualibus operam dat, ordinarias consultationes suspendit et consueta negotia non expedit.

Quicumque ex officio ad Patrem Nostrum scribit, utatur charta 26 cm. longa et 20 cm. lata (anglice 10 ½ et 8 unc.). Perscribat autem latine nitidisque litteris; epistolam demum, tabellariorum expensis plene solutis, tenaci committat involucro.

Vita functus in Curia.

P. Achilles Gerste.

P. Achilles Gerste natus Yprae (Ypres) in ea Flandriae parte, quae ad occidentem vergit, die 2 iulii 1854, Deiparae Virgini Elisabetham visitanti sacro, Societatem ingressus est Truncinii anno 1873, cum iam sexennium litteris, annum vero philosophiae tribuisset. Post tirocinium addictus rhetoricae studio diligentius retractando, eam latine scribendi elegantiam biennio est assecutus, quae postea et ipsi et aliis Curiae sociis magno usui fuit. Cum pius iuvenis ad universae eruditionis diligentiam factus et ingenio acri praeditus videretur, eum Superiores post absolutum philosophiae curriculum socium Patribus hagiographis, quorum est Bollandi opus continuare, designarunt eo consilio, ut aliquando eorum collegio adscriberetur. Duos annos cum scriptoribus egit ac deinde statim ad theologica studia aggredienda est missus. Verum cum tertium theologiae annum ageret, e sanguinis vomitione cognitum est eum pectore laborare. Morbum optimi adolescentis valde doluere Moderatores, qui tamen illius recuperandi spe allecti, eum in Provinciam Mexicanam, ubi mitior aër id genus aegrotis prodesse censebatur, traiiciendum curarunt vertente anno 1885. Hic Pueblae, in Collegio Angelopolitano, sacerdotio initiatus studiorum curriculum feliciter est emensus. Mox erudiendae iuventuti operam dedit, brevi facta paucorum mensium Mexicopoli intercapedine.

Divinae Providentiae ductum fideliter secutus oram mexicanam ut alteram patriam adamare coepit eique omni qua posset ope in Domino prodesse. Linguam ante omnia « náhnatl » qua indigenae utuntur didicit adeo bene, ut paucos pares haberet ipsorum eruditorum iudicio.

Cum eius ingenium bibliographia summe delectaretur, iam inde a primo in Rempublicam ingressu cum eruditissimis viris amicitia coniunctus est; quo tempore adiutor etiam fuit P. Caroli Sommervogel in adornanda ea parte *Bibliothecae Scriptorum Societatis Iesu* quae ad Provinciam Mexicanam attinet. Librorum veterum amor studium archaeologiae mexicanae in

eo vehementer incendit, unde facile illi fuit gressum facere quoque ad illius regionis ethnographiam perscrutandam. Quam porro eruditionem sibi comparabat, eam vulgare coepit scriptis scite eleganterque exaratis (1).

Hisce de causis haud mediocrem famam apud incolas adeptus est, quam ornabat modestia, ut cives dicebant, summa et urbanitas ac religiosa comitas, qua statim omnium animos Pater sibi devinciebat. Quare supremis Reipublicae curatoribus, quibus ac praesertim Praesidi Porphyrio Diaz carus probatusque fuit, visus est aptus ut ad Tarahumaras excurreret, antiquitatis monumenta detecturus, quae Matritum mitterentur. Consilium enim complurium nationum fuit, instante anno saeculari a reperta America quarto, quam magnificentissime proponere Europaeorum obtutibus res varias propriasque populorum, quos olim Hispania in Nova Continente colonos habuit. Pater illico iter petiit in eam Tarahumarae partem, quae ad septemtriones iacet, et in ipsos troglodytarum specus penetravit, media inter discrimina non pauca, ita ut saepius de vita ipsa periclitatus sit. Eius tamen labor ex omnium sententia cessit, qui non verebantur dicere felicem exitum tribuendum esse abnegationi constantiaeque illi, quae Societatis opera comitari ac fortunare solerent quasque in P. Gerste admirati essent. Quamquam ipse multo feliciorem se fuisse arbitratus est, quod per eam occasionem potuisset Indis, non solum christicolis verum etiam idololatris, religionis munera depromere et tantum desiderium antiquae nostrae missionis inter Tarahumaras instaurandae excitare tam in illis incolis quam in Nostris, ut eiusdem mox restitutae auctor habitus sit. Postea in concilium provinciale a RR. DD. Archiepiscopo Antequerensi (Antequera-Oaxaca) adscitus, Praesulem prudentissimis consiliis iuvit.

Inter haec, cum valetudinem a vetere morbo aliquantum confirmatam haberet, Fesulas (Fiesole), ubi tunc degebat Praepositi Generalis Curia, a R. P. Ludovico Martin arcessitur die 29 martii 1893, ut Substituti Secretarii munere fungeretur; credebatur enim tranquillae huic, licet assiduae occupationi eius vires non impares esse. At eventus spem fefellit; quare paucos post menses eo onere

---

1) Videsis commentationem quam de P. A. Gerste scriptis concinnavit ephemeris mexicana, cui titulus *America-Española*, I (1921) 185-192.

liberandus fuit. Verum tanto viro, in quo praeclaras admirabatur dotes, cum privari se non pateretur Praepositus Generalis, voluit illum in Curia retinere, ut operam suam adiuvando Societatis Secretario navaret in nostro tabulario melius ordinando. Id accidit die 9 augusti. Quam porro Pater suscepit tabularii curam, eam usque ad diem qua letali morbo est correptus i. e. annos viginti sex nunquam deseruit. Anno 1915 cum bellum europaeum exardesceret, Patrem Nostrum in Helvetiam secutus est eique Zizerii adfuit, Vicesecretarii Societatis partes triennio fideliter sustinens.

Ineunte autem autumno anni 1918 a Patre Nostro Romam est remissus, ubi laborem sane non levem ordinandi tabularii, a tribus annis interruptum, instauraret. Sed paulo post Praepositus Generalis cum in dies sibi crescere videret negotia expedienda nossetque quantopere Pater historiae Societatis peritissimus et recto iudicio atque arte scribendi praeditus ipsum adiuvare posset in exarandis litteris quibusdam maioris ponderis, cuius peritiae specimen praeclarum dederat in conscribenda epistola « de delectu et institutione cleri sinensis » (*Act. Rom.* II (1919), 122-144), constituit illum cura tabularii liberare sibique propius adsciscere. Id consilii peroptatum accidit viro diligentissimo, qui nihil potius haberet quam ut Patri Nostro esset levamini; sed eo ipso die quo Romam venit novus tabularii custos, P. Gerste morbo tentari coepit: Deus servum fidelem ad se vocabat.

Gratum admodum sociis desiderium sui reliquit. Nam licet esset indole timidiore, studuit nihilominus nullo erga socios officio cessare; imo cum multi non solum e Curia, verum etiam ex Provinciis opera eius frequenter indigerent, omnibus diligentissime pro viribus satisfaciebat. Si quando autem arbitrabatur se vel taedio alios affecisse vel tantulum fraternae caritati esse adversatum, nil cunctabatur veniam a sodali demississime impetrare. Societatem habuit in summis amoribus atque deliciis: quidquid ad eam quoquo modo spectabat, colligebat curatissime, ita ut eum rerum nostrarum venatorem diceres. In eo etiam singularis eluxit ars miscendi cum aliis sermones. In quotidianis animorum relaxationibus eius colloquia avide ab omnibus capiebantur, cum de quovis historiae nostrae monumento vel reconditissimo prompte dilucideque dissereret aut ex vario doctrinae fonte scitu utilia et iucunda proferret aut denique argumenta sacra prae-

clare explanaret. De se tamen nunquam verba faciebat et non mediocres dotes quas Divina Providentia ipsi tribuerat, modestia et silentio tegebat.

Vir fuit multae pietatis in Deum. Nullam praeteribat occasionem fovendi religionem praesertim erga SS. Cor Iesu, Deiparam Virginem eiusque Sponsum. Quotidie per quoddam domus sacellum in viam cum Christo crucem ferente se dabat, eumque morem vel infirmus servavit, licet sibi tunc perincommodum; cum autem gradi haud amplius potuit, sedens Iesu patientis vestigia oculis legebat, depicta parvis in tabellis, quas ad manum habebat.

Si unquam antea, at in diuturno morbo, quo confectus est, apparuit vir esse illam vitam vivens, quae supra naturam viget. Angina pectoris tentari coeptus est die 24 novembris 1919, cui mox accessere pleuritis et cordis dolor, quibus Pater per solidum annum inter mortem et vitam reciprocavit. Toto tamen eo tempore nec semel unquam auditus est conqueri. Quidquid patiebatur cum Christi aerumnis comparabat interque diurnos cruciatus nocturnasque praefocationes haec solum verba repetebat, animo in Deum rapto: « Ita Pater! » Ab infirmorum custode nihil petere audebat, cum mallet eius ac Dei providentiae sese committere. Quotidie se ad aeternae beatitatis assecutionem praeparabat, sed id praesertim fecit uno ante mortem mense, cum voluit simul cum aliis Exercitia Spiritualia peragere invicta constantia ac fidelitate, licet incommodo haud levi. Earundem virtutum specimen illustre dedit pridie quam moreretur, cum licet fere intermortuus, puncta pro matutina meditatione vespere de libro committeret memoriae. Denique omnibus sacramentis, Curia cuncta adstante, rite expiatus est, et die 27 novembris 1920, paene absoluta prima mensa, animam agere coepit inter sodalium preces ac manu complectens perpetuam sui doloris sociam, Christi crucem. Hora tertia vix praeterlapsa caput ad eandem crucem suaviter inflectens spiritum placidissime emisit, Christo morienti similis, die sabbati Deiparae Virgini sacro et memoriae B. Leonardi Chimura Coadiutoris temporalis dedicato.

Vixerat annos 66, in Societate 47, professus quattuor votorum, Provinciae Belgicae alumnus.

Scripta P. Achillis Gerste.

1. *Archéologie et bibliographie mexicaines*, in *Revue des questions scientifiques*, 1888.

2. *Bibliographie mexicaine du seizième siècle. L'Inquisition au Mexique*, in *Études*, 1888, mars, pp. 414-431.

3. *La langue des Chichimèques.* (Compte-rendu du Congrès scientifique international des catholiques: 6me Section, *Philologie*). Paris, 1891, pp. 42-57.

4. *La langue des Chichimèques.* Étude ethnologique, in *Revue des questions scientifiques* XXX (1891) 81-108.

5. *La Juventud Mexicana á su excelso patrono San Luis Gonzaga con motivo del tercer centenario de su gloriosa muerte*, 1591-1891, Traducida libremente del francés..., Imprenta del Sagrado Corazón de Jesús, pp. 51.

6. *Note sur la médecine et la botanique des anciens Mexicains*, 1ª ed. Roma, 1909; 2ª ed., Roma, 1910.

Hi commentarii editi antea sunt in *Revue des questions scientifiques*, annis 1887 et 1888. Postea in iustum volumen redacti retractatique praemio « Loubat » ab Academia « des Inscriptions et Belles Lettres » in Gallia, anno 1910, donati sunt.

7. *Rapport sur un voyage d'exploration dans la Tarahumara* (Mexique, Nord-Ouest), Roma, 1914. In *Memorie della Pontificia Accademia Romana dei Nuovi Lincei*, vol. XXXII.

Causae et cultus sanctorum societatis.

(1920)

Causae.

B. Petrus Canisius. — Cum novissime miraculum a Deo patratum feratur ad intercessionem Beati Petri Canisii, inspectis de eo relationibus cum medicorum iudicio, petita est a Summo Pontifice reassumptio Causae ut super idem miraculum processus apostolicus institui quantocius possit.

Ven. Claudius de la Colombière. — Comparantur duo processus apostolici ad probanda duo miracula a Deo hoc anno patrata ad intercessionem Venerabilis unum Romae, alterum Bononiae.

Ven. Iulianus Maunoir. — Scripta de quibus disceptabatur, denuo in congregatione ordinaria approbata sunt, sed proponente Cardinali relatore nova congregatio praeparatoria indicta est ad tollendum omne dubium de Venerabilis prudentia.

Ven. Paulus Capelloni. — Absolutus quidem processus aposto-

licus continuativus super virtutibus et miraculis in specie, sed nondum Romam missus est.

Ven. Robertus Bellarmino. — Felicem eventum, ut notum est (1), habuit hoc anno causa de virtutibus heroicis huius viri, qui tam Ecclesiae quam Societatis ornamentum extitit praeclarissimum. Omnium desiderio, ni fallimur, satisfaciemus, si quomodo res acta sit, breviter perstringamus.

Causam Ven. Roberti Bellarmino post longam intercapedinem feliciter denuo suscipi posse ne ii quidem ex Nostris arbitrabantur qui totius eius historiae gnari sciverunt eam ipsam quidem optimam, ob impedimenta externa tantum olim derelictam esse. Sed Providentia Divina miro modo seligit tempora quibus gloriam et honorem servis fidelibus attribuat et nonnunquam capit opportunitatem et occasionem ex iis ipsis quae nobis videntur potius adversari fini obtinendo. Ita causae Ven. Roberti accidit.

Cum notissimus quidam in Urbe theologiae magister anno 1916 opusculo evulgato epistolam Patris Nostri *De doctrina S. Thomae in Societate fovenda* vehementer aggressus esset, inter alia dicens si Societas Doctorem Ecclesiae non haberet neque causa Ven. Bellarmino ad exitum bonum perduci potuisset, id etiam in causa esse quod theologi Societatis doctrinam S. Thomae non ea qua par est ratione aestimarent, S. Pontifex de iniustis his accusationibus indignatus ex P. Henrico Rosa, « Civiltatis Catholicae » moderatore quaesivit, quid de causa Venerabilis Bellarmino esset. Postquam audivit Benedictum XIV ipsum litteris suis ad Card. Tencin Archiepiscopum Lugdunensem, eam iustissimam declarasse, Summus Pontifex has epistolas quae in tabulario Vaticano asservantur ad se afferri iussit, ut ipse eas perlustraret. Cum ex ipsis aliisque monumentis historicis clare pateret, impedimenta quae causae obstiterant neque fuisse scholasticarum disputationum diversas sententias neque tricas ipsas a Cardinali Dominico Passionei nexas, verum potius timorem, ne tota Gallia magnae excitarentur turbae, astu Iansenistarum, qui una cum Parisiensis aulae Consilio (Parlement) memoriae Ven. Roberti acriter adversabantur, quippe qui eum iure putarent invictum doctrinae Gallicanismo contrariae assertorem, ipse Summus Pontifex auctor fuit, ut et *La Civiltà Cattolica* et Subpromotor generalis Fidei,

(1) *Acta Rom.*, III (1920), 179 sqq.

editis in lucem scriptis, documenta proferrent atque expenderent et sic rem praepararent. Accessit, ut P. Paulus Dudon Romam advocaretur, ubi, qua pollebat bellarminianae historiae notitia et novorum documentorum luce, opus concinnaret absolutissimum, Purpuratorum Patrum comitiis ac suffragiis praebendum. Per eam occasionem restituta est ad pristinam fidem *Autobiographia* P. Roberti, quam interpositio quorundam verborum depravarat et nonnullum facessiverat iudicibus negotium.

Dum haec geruntur, vita fungitur Em. Card. Philippus Giustini, cui commissum erat ut de Patre Bellarmino in Congregatione referret.

Huic iunio ineunte suffectus est causae relator, Em. Card. Aidanus Gasquet. Is a Postulatore volumen accepit complura opuscula continens, quorum alia recentia, alia erant antiqua, ut ipsi ceterisque Cardinalibus usui esset ad suffragium ferendum de dubio ab ipso Summo Pontifice Benedicto XV hisce verbis proposito: « An, attenta relatione RR. Promotoris Fidei circa causam de virtutibus Ven. Roberti Bellarmino, ita virtutes ipsae sufficienter discussae appareant, ut tuto procedi possit ad ulteriora ad effectum Beatificationis » (1).

Dies 16 novembris ad habenda comitia dictus est. Aderant conventui undecim Purpurati Patres, videlicet omnes qui Romana in Curia degunt, duobus tantum exceptis; praeterea quattuor Praesules Consultores, nimirum Secretarius, Promotor Fidei, Subpromotor, Protonotarius; cunctis porro suffragiis res decreta est. Eodem die sub vesperam ipse Secretarius et Subpromotor fidei in Universitate Gregoriana Postulatorem nostrum amice convenerunt rettuleruntque: concordi ovantique Patrum consensione proclamatas esse heroicas virtutes Patris Bellarmino.

Sed iam de re certior factus erat Summus Pontifex, qui voluerat, praeter morem, ut Praefectus S. Rituum Congregationis non antea e conventu domum suam eo mane discederet, quam ad se veniret congregatorum Patrum sententiam relaturus. Quam ut audivit, magnopere gavisus est et proximo die Promotorem Fidei ad nostrum Postulatorem misit, qui ipsius nomine Societati gratularetur nuntiaretque diem 12 decembris a se praestitui, ut decretum legeretur.

---

(1) Cf. *Memorabilia Soc. Iesu*, I (1919), 174 sq.

Verum accidit, ut die 9 decembris e vivis eriperetur ornatissimus Marchio Ioannes Antonius Della Chiesa, Summi Pontificis frater, ita ut decreti lectio a die 12 in alium reiici debuerit. Verum cum Summus Pontifex extremo anno occupatissimus esse soleat, spes vix erat fore ut decretum anno 1920 promulgari posset. Sed summa Sancti Patris benignitas hanc quoque difficultatem removit. Unicus fere dies ei liber erat 22 mensis decembris, quo die Summus Pontifex ante 13 annos episcopus consecratus fuerat: hunc sibi gratissimum diem designavit triumpho « Patris Bellarmino » quem ipse ita familiariter appellare voluit.

Magna Consistorii aula vix non plena auditoribus erat. Narravit Em. S. Rituum Congregationis Praefectus haud paucos Cardinales, cum amplissimi sui ordinis decus esset Robertus Bellarmino, quaesivisse, utrum ea vice a contraria consuetudine tantum discedi posset, ut sibi quoque facultas fieret veniendi ad decreti lectionem; sed visum est servari maiorum institutiones.

Non defuerunt multorum gratulationes; sed minime praetereunda Subpromotoris Fidei, Caroli Salotti, benevolentia, qui eruditos commentarios scripsit de tota hac causa in ephemeridibus *L'Osservatore Romano* (1) et *Il Corriere d'Italia* (2).

Nunc vero cum tria habeantur miracula non quidem recentia, sed quae diligentissimo peritorum iudicio a maioribus nostris communita fuerunt, spes est, fore ut eadem mox S. Congregationi proponenda probentur, quod unum superest, ut Venerabili Roberto Bellarmino Beatorum honores ab Ecclesia tribuantur.

S. D. Bernardus Franciscus de Hoyos. — Romae receptus processus apostolicus super virtutibus S. Congregationi traditus est et apertus. Nominatus relator Em. Card. Vico; modo curatur versio ex hispanico in italicum sermonem.

S. D. Petrus de Clorivière. — Coeptus Parisiis processus ordinarius de non cultu nec non perquisitio scriptorum.

* * *

P. Franciscus Hermannus Glandorff. — Perquiruntur documenta in ordine ad instituendum processum beatificationis huius Patris e Provincia Germaniae Inferioris, qui anno 1763 in pago

(1) 22 decembris 1920.

(2) 21 decembris 1920.

Tomochic Missionis Tarahumarensis (Mexico) magna cum fama sanctitatis mortuus est.

Cultus.

Annus ab obitu S. Ioannis Berchmans tertio saecularis.

Cum festa saecularia ab obitu S. Ioannis Berchmans ut per totum annum extenderentur, iam a mense novembri anni 1920 celebrari coepta essent, hic aliqua saltem exhibemus, quae maiorem partem mense novembri et decembri in honorem caelestis iuvenis facta sunt, alia multo plura in annum proximum reservantes.

P. A. Vermeersch (Prov. Belg.) industria et fervore auctor fuit ut Romae omni dominico die collegium aliquod vel adolescentium coetus peregrinationem ad Sancti sepulcrum institueret ibique Sacro assisteret; brevem concionem pueri audirent et S. Communionem reciperent. Collegium de Propaganda Fide initium fecit; alia sequuntur. Em. Card. Mercier die 12 dec. 1920 et RR. DD. Heylen, Episcopus Namurcensis 23 ian. 1921 huic piae erga S. Ioannem devotionis exercitio praeerant.

Consilium fuit anno saeculari statuas S. Ioannis et S. Aloisii in templi S. Ignatii fronte ponere. Id fieri tamen Commissio operibus artis conservandis praeposita prohibuit, rata aediculas illas ab architecto non esse factas, ut statuas reciperent, sed tantum ut frontis uniformitatem iucunde interrumperent.

In Belgio sub patrocinio Episcoporum et Praepositi Provincialis Societatis a sacerdotibus utriusque cleri et Congregationum Religiosarum Antistitis et saecularibus viris coetus est constitutus, qui festa tercentenaria curat; ei subordinati in dioecesibus singulis alii coetus ad eundem finem laborant. Episcopi vero ipsi litteris pastoralibus communibus S. Ioannem adolescentibus imprimis patronum et exemplar proposuerunt et omnes fideles ad saecularia sollemnia pie celebranda exhortati sunt. Subiecerunt se nolle praetermittere hanc opportunam occasionem quin gratum animum exhiberent erga Societatem quae rem catholicam summo cum studio semper promovisset. Eorundem RR. Praesulum iussu Lovanii singularis sollemnitas est celebrata pro alumnis Univer-

sitatis catholicae. Aliae praeparantur in eadem urbe, ubi cor Sancti in nostro Collegio asservatur, in patria S. Ioannis (Diest), Mechliniae, ubi studiis in Collegio archiepiscopali et nostro vacavit ac novitiatum peregit. Ad puerorum pietatem inflammandam, quotquot educationi utriusque sexus praesunt invitantur, ut lucubrationes de sancto iuvenum Patrono faciendas curent, quarum optimae collectae « Libro Aureo » edentur. Lovanii omnibus spectanda praebebuntur quae ad Sancti cultum pertinent, reliquiae, scripta, inter quae votum defendendi Immaculatam B. M. V. Conceptionem. Tandem ad memoriam huius anniversariae celebritatis retinendam, inter urbem Diest et Montaigu, quo ad celebre B. M. V. sanctuarium Ioannes puer peregrinari consueverat, novum templum, ipsi dedicandum, erigetur, quod simul incolis illius loci ab omni ecclesia sat remotis magnae erit utilitatis spiritualis. Pueris praeter ceteros honor parvis donis (25 centesimis) necessariam ad hoc opus pecuniam conferendi reservatur ita ut templum sit evasurum monumentum iuvenum belgicorum pietatis erga eorum Patronum.

Collegium Bruxellense Vetus S. Michaelis (rue des Ursulines) inde a mense augusto anni 1921 S. Ioannis Berchmans nomen sibi assumet.

Quomodo parochus quidam italus cultum S. Ioannis Berchmans inter suos promoveat, periodicum marianum *Stella Matutina* (1921,40) hoc fere modo refert. Vixdum R. D. Innocentius Sorrentino anno 1902 parochiam S. Nicolai in Pregiato di Cava dei Tirreni inierat, cum piam consociationem puerorum Sacro inservientium et circulum iuvenum sub S. Ioannis Berchmans nomine ac tutela constituit. Eiusdem Sancti statua affabre sculpta die 8 maii 1904 benedicta et magna pompa atque fidelium plausu per urbis viam principem portata et in Ecclesia collocata est. In altari Sancto Ioanni dedicato quotannis eius festum praemissis per quinque dominicas piis exercitiis sollemniter celebratur et ipso die festo Sancti simulacrum per vias circumfertur. Die 16 ian. anni 1921 festa saecularia celebrari coepta sunt Sacro sollemniter cantato, in quo iuvenes circuli omnes et plurimi fideles S. Communionem receperunt. Per annum saecularem omni feria III missa ad Sancti altare dicetur et secunda omnis mensis dominica ibidem comprecatio sollemnis et concio habebitur.

Varia.

Etiam in America sicut in aliis Assistentiis Provinciisque novendialia gratiae in honorem S. Francisci Xaverii passim in templis nostris atque adeo aliis summo splendore atque frequentissimo fidelium concursu celebrantur. In urbe Baltimore (Prov. Maryl.-N. E.) solet in 16 templis haberi; in nostro vero cotidie 9-10.000 hominum piis in honorem Sancti exercitiis intersunt. Washington (Prov. Maryl.-N. E.) item 10.000 fidelium cotidie in nostra ecclesia aderant. 12.000 Communionum per eos dies distribuebantur. Notandum vero est eadem novendialia in aliis quoque eiusdem urbis templis institui. In ecclesia nostra philadelphiensi (Prov. Maryl.-N. E.) 19.973 communiones a die 4 ad diem 12 martii (1921) numeratae sunt.

Die 26 iul. (1920) praesente Em. Card. de Cabrières et RR. DD. Episcopo Carcassonensi, adstantibus circiter 10.000 fidelium, in loco natali S. Ioannis Francisci Regis, Fontcouverte, eiusdem Sancti statua marmorea posita est a gratis civibus, quod omnes pagi viri et iuvenes praeter unum, qui solus Sanctum invocare detrectaverat, incolumes e bello rediissent. Signum est opus F. Andreae Besqueut, Prov. Tolosanae Coadiutoris temporalis.

Ad celebrandum diem quo ante quattuor saecula B. Petrus Canisius natus est (8 maii 1521), RR. DD. Besson, Episcopus Lausannensis, maiores sollemnitates Friburgi Helvetiorum fieri iussit. Patres vero Neerlandiae, Germaniae, Austriae felicem hanc occasionem nacti novo studio atque ardore cultum Beati promovere conantur, ut miraculis obtentis, Sanctorum honores eidem maturari possint.

Episcopi Germaniae ad congressum annuum Fuldae congregati libellum supplicem ad S. Sedem scripserunt, ut causa P. Philippi Jeningen promoveretur.

Item Hispani acriter et non sine laeta spe enituntur, ut Ven. P. Iosepho Pignatelli beatificationis honores obtineant. Quanto vero favore causa Ven. P. Claudii de la Colombière gaudeat, neminem litteras encyclicas de S. Margarita M. Alacoque vel obiter legentem effugiet.

Ad sanctuarium in Monte Martyrum Canadensium prope

Waubaushane (Canada) frequentiores venerunt peregrini mensibus iulio et augusto huius anni (1920); miracula vero, quae valde desiderantur et expetuntur ut causa PP. de Brébeuf et Lallemant et Sociorum promoveatur, nondum obtenta sunt, nisi in ordine spirituali.

Auriesville (Stat. Foed. Americae Sept.) locus, ubi P. Isaac Jogues S. I. cum sociis martyrium anno 1646 subiit, peregrinatio est effecta B. Mariae V. de Martyribus nuncupata. Saltem 14.000 hominum mensibus iulio et augusto curantibus Nostris illuc venerunt ut Mariam venerarentur et precibus suis honores Ecclesiae martyribus concedendos festinarent.

Patres Germaniae scriptis notitiam et cultum nostrorum coelitum promovere student.

P. Constantinus Kempf (Prov. Germ. Inf.) penes Herder Friburgi (Brisgoviae) edere coepit seriem biographicam Sanctorum, Venerabilium, Servorum Dei Societatis Iesu, cui titulus: « Jesuiten. Lebensbilder grosser Gottesstreiter » (1).

Duplex finis huic operi praefixus est. Primo enim loco intendit in Nostris renovare memoriam magnorum virorum qui tam fortia egerunt et passi sunt pro gloria summi Ducis nostri. Si verum est exempla trahere, eo magis trahent exempla domestica. E vita Sanctorum enim imprimis elucet, quantis donis Deus Societatem cumulaverit quamque praeclarum spectaculum virtutum maiores nostri mundo et angelis exhibuerint. Quare sperare licet fore ut frequens talium librorum lectio non solum ad aemulationem instiget, verum etiam vehementer incendat amorem vocationis, cum clare prae oculis cernatur, « quoniam filii sanctorum sumus ».

Alter scopus huius seriei attingit extraneos, imprimis iuvenes; a multis enim de Societate non noscitur nisi id quod ipsa non est, nimirum sciunt quidem accusationes ab adversariis prolatas esse calumnias, sed qui sit genuinus spiritus Societatis, ignorant. Si quis unquam, certe Sancti nostri imbuti erant vero S. Ignatii spiritu. Ex ipsorum igitur historia non iam arida doctrina, sed vita ipsa discitur, quomodo verus Societatis filius agat et sentiat, quam

(1) Quorumdam praeclarorum Societatis virorum vita etiam inseretur, quorum causa ad tribunal ecclesiasticum perducta non est.

praestantia instrumenta sanctitatis Institutum nostrum sodalibus suis praebeat.

Profecto non videtur melior defensio huius Instituti excogitari posse quam gloriosus ille excercitus Nostrorum, qui catalogo Sanctorum vel iam inscripti vel ad inscribendum propositi sunt. Accedit, quod magna pars historiae nostrae vita horum virorum continetur. Quae enim Societas ad maiorem Dei gloriam contulit praedicatione verbi divini, cura animarum, institutione iuventutis, operibus caritatis, scientiarum cultu, propagatione Evangelii inter infideles, profusione sanguinis, excolendis virtutibus domesticis, hic quasi vivis imaginibus ostenduntur.

Cum insuper grandia quaeque iuventutem ad imitationem maxime stimulent, non est dubium, quin tales libri multum conferant ad vocationes excitandas informandasque (1). Nam historia teste inter gratias externas, quae iuvenes ad vitam religiosam alliciunt, exempla virtutum eximium quendam locum tenent.

Hactenus vero editae sunt:

1. Vita B. Ioannis de Britto auctore RR. DD. Henrico Doering S. I. Episcopo Pocnensi (Vom Edelknaben zum Märtyrer. 1920, x-212. Mark 15,60. lig. 18,60)

2. Vita S. Ioannis Berchmans, auctore Sigismundo Nachbaur S. I. (Der heilige Johannes Berchmans aus der Gesellschaft Jesu, 1921, VIII-278. M. 17,60, lig. 24,00).

3. Vita B. Petri Canisii, auctore Ottone Braunsberger S. I. Editio 2ª et 3ª (Petrus Canisius. Ein Lebensbild. 1921, XII-334, lig. M. 26,00)).

4. Vita Ven. Roberti Bellarmino, auctore Emmerico Raitz von Frentz S. I. (Der ehrwürdige Kardinal Robert Bellarmin S. I., ein Vorkämpfer für Kirche und Papsttum, 1542-1621. Freiburg 1921, XIV-230. M. 24,00. lig. 30.00

Conscripta iam est: Vita S. Francisci Regis, S. Alphonsi Rodriguez, Servi Dei Petri de Clorivière (primi post restitutam Societatem in Gallia Provincialis; † 1820), P. Petri De Smet (missionarii saec. 19 apud Indos Americae septentrionalis). Paratur inter alias Vita S. Francisci Xaverii, S. Stanislai, B. Petri Fabri, Martyrum Iaponensium e Soc., Ven. Martyrum Aethiopiae e Soc.; Servorum Dei Martyrum Elicurensium (in Chile): Leonardi Lessii; Philippi Jeningen; Bernardi de Hoyos.

Praeterea 2 volumina huius seriei exhibebunt vitae atque virtutum conspectum omnium e Societate Sanctorum, Beatorum, Venerabilium Servorumque Dei, quorum causa ad tribunal ecclesiasticum perducta olim fuit vel nunc apud illud agitur. Quorum voluminum prius, uti sperare licet, proximo anno edetur.

---

(1) Ut ad hunc finem facilius obtinendum libri inter pueros iuvenesque latius spargi possint, 200-300 paginas formae 8ae non excedent.

VITA FUNCTI CUM FAMA SANCTITATIS.

P. Nicolaus Rodríguez (Prov. Cast.) 1830-1900.

In oppido Soto de Cameros, regionis dictae Rioja, regni Hispaniae, natus est die 5 decembris A. D. 1830 Pater Nicolaus Rodríguez. Iam a pueritia coronam martyrii concupiscere coepit, quam ad supremum usque spiritum desideravit. Adolescentiam mercaturae deditus transegit in Baetica; cumque aliquamdiu nimiae libertati morum indulsisset, anno 17 aetatis domo aufugit, eremiticae vitae amplectendae gratia. Ex via reductus, seminarium Sacri Montis Granatae ingressus est ac 25 annos natus se ad Ignatianam militiam vocatum sensit.

Tirocinium posuit in Domo Probationis ad Hagetmau in Gallia, sociorum exemplar in omni genere virtutum. Ingenium autem iuveni non suppetebat et ferunt cogitatum esse de eo dimittendo; vota tamen biennii ab illo nuncupata, ex eo quod epistola Praepositi Provincialis, qua venia denegabatur, in via amissa fuerit.

Consumpto post vota in litteris humanioribus anno, altero in philosophia, sciens se propter ineptum specimen, curriculum philosophicum abrumpere debere, dixit: « Me Deus doctum non vult, vult vero sanctum ». Et sanctissimus, omnium testimonio, evasit. Postquam annos duos theologiae operam dedit Legione, sacerdos factus anno 1860, Manresam venit ad tertiam Probationem; qua finita, statim in Missionem insulae Fernando Poo missus est, ubi per annos fere octo ardentissimo zelo ac multas inter aerumnas laboravit. Multa mira sibi in illis insulis accidisse ipse Pater, qua erat humillima simplicitate, narrabat. Cognoscens pueros geminos recens natos esse in distante admodum loco et de vita periclitari, viam aggressus est; media iam nocte, cum pericula magna subiisset superessetque adhuc longa via ac tria flumina transeunda, prudentiae duxit diem exspectare. Sed eodem momento, in densissima silva, in regione ubi nemo hispanice sciebat, vocem hispanicam audit: « Anda, cobarde! » (Perge, ignave!). Currere incipit, invia nemora transilit, flumina traiicit, summo mane ad tugurium venit: mortuus erat unus de pueris; alio baptizato, missionarius dormivit aliquantulum; surgenti ei nuntiatur

alterum quoque puerum interea obiisse: exspectaverat tantum aquam salutarem; id vero Patrem certiorem fecit, vocem quam audierat caelitus venisse.

Missione ad Fernando Poo clausa, P. Rodríguez in Lusitaniam venit atque ad Covilhão per 25 annos vitam duxit, Moderator illius Residentiae Societatis. Templum ibidem SS. Cordi Iesu erexit tantique apud omnes sua sanctimonia valebat, ut aliquando turbas populares, quas neque Episcopus neque civiles magistratus placare poterant, ille paucis ac simplicissimis verbis sedaverit. Quae per tot annos ibidem perfectus simul Superior et indefessus operarius praeclara gessit, insignis animorum fructus, veneratio sodalium pariter et civium erga ipsum, longiorem historiam expostulant.

Sed sacras expeditiones semper desiderans, iterum ac saepius Moderatores ut ad eas destinaretur rogavit. Obstabat aetas 66 annorum; obstabat macerationibus fracta valetudo; obstabat ingens plaga in femore aperta iam inde a tempore in Missione Fernando Poo transacta; quae hucusque celata, anno 1895, postquam in Hispaniam remeavit, manifestata est. Omnia vicit animi fervor et cum asperrimam chirurgi dissectionem, oculis in imaginem Crucifixi intentis, immotus subiisset, postquam convaluit in Columbiam ad Cartagena de Indias, anno 1896 missus est, ubi usque ad mortem in domo S. Petri Claver, iuxta sacras eius reliquias miram vitam degit.

In illis ardentissimis plagis et in difficili ad flumen Magdalenae Missione, incredibile quanto opere quamque frugifero pro animabus Christo lucrandis laborarit. Oppida, pagos, tuguria indefessus senex lustravit, vulgo « Pater Claver » appellatus, illius sane eximiae caritatis ac perpetuae mortificationis imitator perfectus.

Graviter aegrotans, medico indicandam putavit plagam ex ardore solis et ex itineribus rursus apertam; quam videns medicus expavit et dixit: « Vere sanctus vir iste est, qui tantas expeditiones, tali affectus ulcere obire potuerit! » Paucos post dies, in festo S. Petri Claver, in domo huius prodigiorum teste, die 9 septembris 1900, P. Rodríguez, apostolus nigritarum et in Africa et in America, placidissime obdormivit in Domino.

Praesul carthaginiensis, cui a confessionibus Pater erat, eum in agonia adiuvit et mortuum suis manibus induit; funus voluit agere ritu sollemni pontificali et, quamquam precibus Nostrorum

permotus id omisit, post Officium ac Missam (cui Seminarium, Clerus ac Religiosi civitatis adstiterant) ornamenta episcopalia induit atque eodem comitatu simul cum magna populi frequentia in coemeterium venit, ubi oratione eloquentissima elogium fecit venerandi Patris.

Huius ossa translata postea sunt in templum S. Petri Claver et deposita in quadam arca, excavata in columna, quae reliquias S. Petri Claver usque ad eius beatificationem servavit.

Sunt qui testentur multos et spirituales et temporales favores, intercessione Patris Rodríguez, impetratos esse a Deo Domino Nostro, cui sit honor et gloria in servis suis. Amen.

P. Franciscus de Paula Tarín (Prov. Tolet.) 1849-1910.

P. Franciscus de Paula Tarín natus est Godelletae, in oppido provinciae Valentinae, anno 1849 nonis octobribus.

Puer gymnasium Patrum Scholarum Piarum frequentavit. Dein superiora aggressus studia desistere coactus est ob infirmam valetudinem.

Anno 1873 pertaesus criminum, quae in rerum publicarum perturbatione patrabantur, constituit saeculo valedicere ac se Poyannum (Poyanne in Gallia) contulit, ut Societati nomen daret. In Hispaniam remissus est anno 1878, ut studia Philosophiae instauraret Carrione. Postmodum Salmanticae, in publica academia lauream Philosophiae et Litterarum adeptus est.

Anno 1880 Oniam venit ad studia Theologiae peragenda et suo tempore sacris initiatus est (a. 1883). Iam hoc tempore coepit studio excellere salutis animarum; delegerat enim ex adolescentibus oppidi complures idoneos, quos ad virtutem et bonas artes institueret.

Anno 1885 missus ad Portuense Collegium Marianam Congregationem sollerter rexit. Ibi, cum ludis praecesset alumnorum, ab aliquo ex illis casu vulneratus est in crure, cui plagae mederi distulit, ne affectos pestilentia, quae tunc grassabatur, negligere cogeretur. Praefectus disciplinae nominatus, coepit relicto lectulo, humi cubare vel in scamno quam consuetudinem, quoad vixit, tenuit.

In deversoriis manducabat quae apponebantur, admonere ta-

men solebat hospitem, ne lautiora pararet. Ac siquando selectiora offerebantur obsonia: « Ista quidem », aiebat « missionariis obsunt: nobis apponite salsum piscem, quo cibo vocem aiunt clarescere in concione ».

Fuit Murciae ad Sancti Hieronymi Socius Magistri Novitiorum anno 1887, peragens simul tertiam Probationem, qua expleta, coepit impensius vacare missionibus, nulla fatigatione deterritus.

Compluribus annis, quibus eius vestigia persequi licuit, scimus eum a missionibus nunquam cessavisse nisi annuis Exercitiis detineretur aut ad comitia provincialia vocaretur; fecerat enim professionem quattuor votorum die 2 februarii anni 1891.

Per duos et viginti annos, quibus in sacras expeditiones incubuit, eius vitae ratio haec fere fuit: Mane hora tertia excutiens somnum horas canonicas recitabat et orationi vacabat. Diluculo ad templum properabat et cymbalo signum faciebat, ut oppidani, se duce, vias percurrerent rosarium canentes. Hora sexta inter Missam ab alio sacerdote celebratam S. Sacrificii mysteria populo e suggestu exponebat. Dein sedebat ad confessiones audiendas usque ad horam undecimam, qua hora sacrum faciebat. Post prandium circuibat aegrotantium domos et scholas puerorum, quos canere docebat hymnos sacros. Hora octava, coacto in templum populo, concionabatur per horam et finita concione, sedebat ad tribunal poenitentiae usque ad mediam noctem. Tunc caput inclinans in ipso confessionali vel in subsellio, tres horas quieti dabat.

Eum populus avide auscultabat et unice diligebat atque Apostolum appellabat ubique, praesertim vero in Baetica, Beturia et Marchia.

Passim enim reportabat de animarum hoste insignes victorias. Anno 1888, qui centenarius fuit ab instaurata in Hispania unitate catholica, triginta milia peregrinorum congregavit ad Virginis aediculam, quae a Murcia prope abest. Alias, cum Beturiam concionando peragraret, novem coegit oppida ad Virginis aedem non longe a Lusitaniae finibus. Nullae eum difficultates deterrebant. Cum recruduissent ulcera cruris, tamen nonnullorum oppidorum incolas deduxit per saxosa viarum ad sanctuarium Dominae Nostrae de Luce (N. S. de la Luz), quod est in monte prope Murciam. Quo in itinere pueros, qui ambulare non valebant, in humeros tollebat. In Consuegra, quod est oppidum Provinciae

Civitatis Regiae, populum in partes divisum et reconciliari recusantem, perorando flexit. Iussit enim sacristas signum campanae dare et interposita mora repetere; quo temporis spatio, quasi per « Inducias Dei », ut ipse vocabat, reconciliari festinarent. Cernere erat alios ad aliorum domos properare veniam quaesitum et datum vicissim, ante quam « Induciae » complerentur.

Inter hos triumphos, quibus animae salvae fiebant, Missionarii valetudo ingravescebat. Torquebatur assiduis viscerum doloribus et phthisi tabescebat, ita ut eius sudaria sanguineis conspersa sputis reperirentur. Tamen a concionando non destitit; sed in suis angustiis parvam coronam (vulgo camandulam appellatam) Beati Didaci collo inserebat aut Sancti Borgiae cilicium induebat, quibus quasi clypeis munitus, suggestum ascendebat.

Eum saepius ad necem quaesiverunt inimici, a quorum insidiis ope divina ereptus fuit. Narrant virum improbum, cuius amicam ad bonam frugem Pater converterat, eum ulciscendi desiderio ad villam arcessivisse nocte intempesta, ut aegri confessionem audiret; tum duos molossos acerrimos, quibus ad villae custodiam utebatur, catena solvisse, ut in Patrem ingredientem irruerent. Sed insana hominis machinatio divino consilio frustrata est. Nam ut Pater foribus appropinquavit, ambo canes obviam ei prodierunt cauda adulantes catellorum more. Quo prodigio commotus homo ad pedes Missionarii procidens veniam imploravit et peccatorum confessionem instituit.

Inter ceteras appellationes, quibus Tarinum homines honestabant, aptissima fuit, qua Apostolus SS. Cordis vocatus est. Missionibus enim suis id praecipue intendisse videtur ut eiusdem SS. Cordis cultum ubique propagaret. Quamobrem ad eius honorem, amplius quadringentas Congregationes per Hispaniam australem instituit. Librorum de cultu SS. Cordis, ut memorant bibliopolae, plus decies centena milia distribuit; multo plura scapularia et scuta, quae figerentur in ianuis, et tabellas ad domorum consecrationem, ubique diffudit.

Hispali (Sevilla) fuit Superior Residentiae ab anno 1899 ad 1904, quo quinquennio constat eum nunquam pernoctasse in lecto. Mane ipse socios excitabat et ministrabat, si qui Pater profecturus summo mane Sacrum faciebat. Ianitor eum saepius pro-

dire vidit gerentem sub axilla sarcinam aliquam, vestes vel cibos, quos a divitibus acceptos egenis dispertiret.

Anno 1904, fractus iam morbo et labore, intermissas missiones resumpsit neque ullum ei tempus ab hoc anno usque ad a. 1910, quo cessit e vita a missionibus vacuum fuit.

Cum missionem perageret in pago quodam Gaditanae provinciae, scamnum in crus ulceribus affectum cecidit quo morbi vis non parum ingravescebat. Tamen coeptum laborem non interrupit eoque confecto ad S. Ferdinandum perrexit ut ibi quoque concionaretur. At in ea urbe sensibus destitutus facere non potuit quin cessaret et Hispalim remigraret. Hic annua Exercitia nihilo segnius coepit, sed morbi vi multum aucta, relinquere coactus est, et ulcera, Superioris iussu, medico ostendere. Tunc apparuit crus horride tumefactum et lividum, tumor, qui infra genu serpebat, femur invaserat: sub ulceris hiatu patebant ossa et vix medicinae restabat locus. Mox febri aestuans a Superiore cubitum ire iussus est et paulo post, amissa reparandae valetudinis spe, sacramenta lacrimis perfusus accepit. Iam morti proximus oravit adstantes, ut sibi ob oculos ponerent imaginem Sancti Xaverii animam agentis ante Sinarum litora, quam contemplans et Christum cruci affixum deosculans efflavit animam, anno 1910, die sacro Virginis Guadalupensis (12 dec.), quam singulari pietate semper coluerat.

Ad venerandum defuncti corpus accessit universa civitas. Omnes properabant corporis tactu imagines consecrare et rosaria. Sublatus postridie est in coemeterium frequentissimo populi comitatu. Et cum iam esset humandus, vox complurium erupit non decere communi sepulcro recondi virum insignem: sepeliendum esse in templo Societatis. Quare intermissa est sepultura, donec facultas sepeliendi in ecclesia a regio ministerio obtineretur. Eam impetravit Comitissa de domo Galindo et corpus Missionarii sepultum est in aede SS. Cordi dedicata. Interea cadaver triduo insepultum nullum prae se tulit corruptionis indicium.

Municipium Hispalense ad grati animi significationem viam urbis memoriae Patris Tarín dicavit inscripto in capite viae eius nomine.

Populus patrata a venerato Missionario nonnulla miracula memorat, quae nondum satis comprobata sunt.

P. Gulielmus Doyle (Prov. Hib.) 1873-1917.

P. Gulielmus Doyle, cuius Pater Noster in adhortatione sua prima ad Provinciarum Procuratores mentionem fecit (*Act. Rom., III* [1920] 243), natus die 3 martii 1873, ingressus est in Societatem 31 martii. 1891. Post probationem et humanitatis studia magistrum egit 1894-1898 in Collegio Clongowes, ubi illius Collegii Periodicum « The Clongownian », superatis animo forti non paucis difficultatibus, instituit. Post philosophiam denuo in Collegia Clongowes et Belvedere reversus (1901-1904) verbis et exemplo pueros ad solidam pietatem adduxit. Inito theologiae curriculo anno 1904, die 28 iulii 1907 sacerdotio est initiatus. Mox cum in tertia Probatione magnum fervorem in se excitasset, totum se dedit consequendae perfectioni et virili pietati. Si P. Gulielmum spectabas, antiquos Hiberniae Sanctos revixisse diceres, tanta erat sponte suscepta corporis afflictatio, tantus numerus invocationum, quibus semper coniunctus cum aeterna Bonitate esse studuit. Aliis tamen non videbatur nisi homo disciplinae religiosae amantissimus et caritate erga fratres plenus. Mirum sane non est Patrem ex hac intima cum Deo consuetudine magnos fructus fecisse in missionibus popularibus et Exercitiis, quibus summo cum studio et industria se dabat. Praesertim ipsi cordi erat domum Exercitiorum condi in Provincia Hiberniae et, nisi bellum opus impedisset, id nunc perfectum fuisse conicere licet. Ut pueris et puellis opportunitatem praeberet cognoscendi vitam religiosam et statum sacerdotalem, duos libellos conscripsit: *Vocations* (aug. 1913, nunc 10 edit. 100.000) et *Shall I be a Priest?* (Fiamne sacerdos? mart. 1915; nunc 7 edit. 40.000) quibus Deus usus est instrumentis ad multas vocationes excitandas. Bello exorto se obtulit P. Provinciali ut milites spirituali auxilio iuvaret. Ex die 15 nov. a. 1915 servitio primum in castris et postea in acie ipsa addictus, inter maxima pericula eadem semper cura eademque caritate ministerium sacrum exercuit tanta omnium vel protestantium admiratione, ut post eius mortem multae regni britannici ephemerides facta Patris summis laudibus celebraverint. Die 16 augusti 1917 P. Doyle, cum vulneratis in pugna apud Ypres assisteret, ipse bellico missili eoque maximo discissus occubuit vita et morte demonstrans in Societate « spiritum religiosum et disci-

plinam divinae gratiae auxilio ut plurimum vigere, immo eximias plane virtutes proferre ». (Adhortatio P. N., l. c.).

Haec excerpta sunt ex libro auctoris ALFRED O' RAHILLY, *Father William Doyle S. I.*, 2 edit. London 1920, Longmans, Green and C°., in 8° XII-379. 1ª editio, quae mense februario 1920 in lucem prodierat, post 5 menses iam exhausta fuit; 2ª, 1500 exemplarium mense iulio eiusdem anni emissa, divendita est, priusquam e prelo venit.

Corpus P. Di Francisci transfertur.

Die 21 iulii 1920 Mutycae (Modica, Prov. Sic.) corpus P. Ioannis B. Di Francisci, qui die 13 iulii anni 1757 eximia sanctitatis fama mortuus est, ex antiquo Societatis templo, nunc vero clauso et in granarium mutato, in ecclesiam novae Residentiae praesente Ordinario loci et servatis omnibus iure praescriptis translatum est.

II.

DE SINGULIS PROVINCIIS.

VISITATIO PROVINCIARUM.

Ass. Italiae, Prov. Romana:	P. Franciscus Nalbone (Sic., Assistens Italiae) 17 dec. 1919-15 dec. 1920.
» » Prov. Neapolitana:	P. Carolus Miccinelli (Rom.) 1 dec. 1919–31 maii 1920.
» » Prov. Veneta:	P. Rudolphus van Oppenraaij (Neerl., Assistens Germ.) 3 maii 1920–29 oct. 1920.
Ass. Germaniae, Prov. Belgica:	P. Gulielmus Power (Neo Aurel.) 7 nov. 1919–13 apr. 1921.
Ass. Galliae, Prov. Franciae:	P. Aemilius Thibaut (Belg.) 19 nov. 1919–29 apr. 1920.
» » Prov. Tolosana:	P. Aemilius Thibaut (Belg.) 22 oct. 1920–23 maii 1921.
Ass. Hispaniae, Prov. Aragoniae:	P. Petrus Boetto (Taur.) 8 dec. 1919–3 dec. 1920.
» » Prov. Castellana:	P. Petrus Boetto (Taur.) 8 dec. 1920–10 oct. 1921.

Ass. Angliae, Prov. Canadensis:	P. Gulielmus Power (Neo Aurel.) 14 apr. 1917-6 iul. 1918.
Ass. Americae, Prov. Maryl.-Neo Ebor:	P. Norbertus de Boynes (Franc.) 11 dec. 1919–7 feb. 1921.
» » Prov. Missouriana:	P. Everardus Beukers (Neerl.) 31 aug. 1920–13 sept. 1921.

VISITATIO MISSIONUM.

Miss. Philippina (Prov. Arag.):	P. Ioannes Guim (Arag.) 1919-20.
» Iaponica:	P. Ioannes Guim (Arag.) 1919-20.
» Kiang-Nan (PP. Hisp. et Taurinens.):	P. Ioannes Guim (Arag.) 1919-20.
» Bombayensis:	P. Iosephus Bressers (Belg., Miss. Bengal.) 16 aug.–16 dec. 1920.
» Brasil. Sept. (Prov. Lus.):	P. Marcellus Renaud (Mex.) 15 iul. 1920–11 maii 1921.

STUDIORUM SUPERIORUM INQUISITIO.

P. Augustus Bulot (Prov. Lugd.) Inspector studiorum superiorum creatus (*Act. Rom.*, III [1919] 145), invisit a. 1919-1920: Collegia Jerseiense (Phil., Franc.), Orense (Theol., Lugd.), Angiense (Theol., Camp.), Lovaniense (Theol. et Phil., Belg.), Traiectense (Maastricht, Theol., Neerl.), Vetusbuscense (Oudenbosch, Phil., Neerl.), Valsense (Phil., Tolos.); a. 1920-1921: Woodstockense (Theol. et Phil., Maryl. - Neo Eb.), Marianopolitanum (Montréal, Theol. et Phil., Canad.), S. Ludovici (St. Louis, Theol. et Phil., Miss.), Montis S. Michaelis (Phil., Calif.).

PROVINCIARUM ADMINISTRATIO.

Nominationes Superiorum maiorum.

Administrationem suscipiunt anno 1920:

14 feb. — R. P. Camillus Crivelli Provinciae Mexicanae Praepositus.

29 iun. — R. P. Antonius Argano Provinciae Taurinensis Praepositus.

30 iun. — R. P. Isidorus Vogels Provinciae Neerlandicae Vicepraepositus;

2 aug. — R. P. Valentinus M. Sanchez Missionis Peruvianae Superior.

25 aug. — R. P. Ferdinandus Gutiérrez del Olmo Provinciae Legionensis Praepositus.

12 oct. — R. P. Ferdinandus Willaert Provinciae Belgicae Vicepraepositus;

1 nov. — R. P. Ioannes B. Battisti Provinciae Venetae Praepositus.

21 nov. — R. P. Ioannes Guim Provinciae Aragoniae Praepositus.

26 nov. — R. P. Iesus M. Fernández Missionis Columbianae Superior.

Mutati Provinciarum fines.

Residentia Opaviensis (Opava, quae urbs nunc sub Cecoslovachorum ditione est) kalendis iuliis (1920) a Provincia Poloniae Viceprovinciae Cecoslovachiae ceditur.

Insulae Canarienses quae adhuc ad Provinciam Toletanam pertinebant, die 15 aug. ab hac seiunguntur et Provinciae Castellanae adscribuntur. Societas ibi habet domum unam, Canariense Collegium in urbe Las Palmas.

Domus novae, instauratae, dissolutae.

Ass. Italiae. — Summa cum laetitia omnium Provinciae Romanae sociorum tirocinium quinquaginta abhinc annis a sua antiqua sede ad S. Andreae in Quirinali avulsum die 11 novembris Romam reverti potuit in villam amoenam (Carpegna) post Basilicam Vaticanam sitam. Novitii romani, postquam domum ad Castrum Gandulfi relinquere debuerunt, per complures menses in domo Probationis Provinciae Taurinensis commorati, gratissimam semper servabunt memoriam summae caritatis et dilectionis Patrum ac Fratrum taurinensium, quibuscum fraternam habuerunt consuetudinem. Post Novitiorum in Urbem adventum sollemniore quadam pompa celebratum est festum S. Stanislai, cuius insignis reliquia in novam sedem delata super altare eminebat. Imago vero Matris Pietatis inter effigies duodecim Apostolorum

ibidem exstantes apte erat inserta. Huic festo ad communem laetitiam augendam una cum P. Provinciali et domorum romanarum Superioribus interesse voluit ipse Pater Noster. — Istituto S. Andrea per le Missioni estere, Villa Carpegna, fuori Porta Cavalleggeri, Roma.

Consentiae (Prov. Neap.) quae est urbs Calabriae citerioris praecipua, cum et Superiores optarent sedem aliquam figere, ut Societatis opera inter accolas, religiosae institutionis egenos simul et cupientissimos, propagarentur, et locus esset vocationum ferax et Societatis studiosus, tres Patres et unus domesticae rei Adiutor non sine spe maioris aliquando domus, Residentiam constituere coeperunt, quam B. Camillo Constantio e Societate, Martyri ac gente Calabro, dedicatam voluere. — Cosenza, Piazza Giano Parrasio, 13.

Ass. Germaniae. — Viceprovincia Cecoslovachiae Novitios suos e Velehradensi in Tyrnaviensem domum transtulit, ubi antea Provincia Hungariae tirocinium habuerat. — Trnava Stefánikova ul. 4.

Novitii hungarici Tyrnaviam relinquentes primum quidem in urbem *Szeged* (Madách. u. 17) deducti sunt; nunc vero pro iis prope Budapest, ipsum regni caput, in pago *Érd* instruitur domus Probationis situ quidem pulcherrima, supellectili vero modestissima et bibliotheca — pro dolor — fere omnino egens.

In urbe *Szeged*, cum omnis spes Nostros fallere videretur, successit tandem philosophis locum invenire, quo anno proximo e Collegio Colocensi (Kalocsa) se recipere studiisque quiete vacare poterunt. Sic paterna Dei Providentia supplevit Provinciae Hungariae gravem duarum domorum — Posoniensis et Tyrnaviensis — iacturam, quas fratribus Viceprovinciae Cecoslovachiae tradens Societati servavit.

Ad Germaniae Provinciae novas domos quas anno superiore (*Mem. S. I.* I, 1919, 179) enumeravimus, addendae sunt: in parte sept. Res. *Duisburgensis* (Duisburg-Neuenkamp, Rectorat Hl. Kreuz); Stationes *Dusseldorpiensis* (Düsseldorf, Augustastr. 18), *Monasteriensis* (Münster, Engelschanze), *Tremoniensis* (Dortmund, Johannesstr. 13); *Godesbergense* Collegium inchoatum S. Aloisii (Godesberg, Augustastr. 8.) ad parentum gaudium et puerorum utilitatem labores Collegii Sittardiensis sublati in Germania

prosequitur. In Dania Collegium *Ordrupiense* ob difficillima tempora claudi debuit, sed ne fideles illius regionis cura spirituali carerent, Patres et Fratres aliquot, Residentiam constituentes remanserunt.

In parte merid.: Stationes *Straubingensis* (Straubing, Am Platzl 13), *Stutgardiensis* (Stuttgart, Mörikestr. 44); domus Exercitiorum *Rottmannshöhe* (Post Leoni a. Starnbergersee); *Norimbergae* Patres nostri petente Vicario Generali dioecesis bambergensis interim susceperunt curam 8-10.000 catholicorum in extrema urbe habitantium, quibus ob nimiam parochiae magnitudinem provideri, ut par est, non potuit.

Novitiatus Viceprovinciae Jugoslaviae e domo Zagrebiensi in Labacensem est translatus; Zagrebiae Scholastici philosophiae studentes remanent.

Residentia *Oosterholtana* (Oosterhout; Prov. Neerl.) non sine magno maerore optimorum et Societati valde addictorum civium clausa est, ut Patres ad alios maiores labores sive in Provincia sive in Missione suscipiendos liberi evaderent.

Poloniae Provincia theologiae auditores rettulit in Collegium Cracoviense, e quo bello pulsi erant; in eadem domo Seminarium Parvum Societatis ad tempus institutum est.

In urbe *Vilna* (Wilno, ul. Wielka 88) Collegium inchoatum est; in *Lodz* vero (pl. Koscielny 8) Nostri instante Em. Card. Kakowski urbis parochiam maximam 75.000 animarum suscipere debuerunt. Cum Patres poloni relinquerent parochiam *Karwinensem* quam per 24 annos administraverant, Vicarius Generalis Em. Card. Vratislaviensis amplissimas eis egit gratias, quod rem catholicam in regione illa strenue et feliciter contra socialismi impugnationes defendissent et laboribus suis indefessis in quolibet ministerio spirituali omnibus admirationi fuissent.

Ass. Galliae. — In urbe *Colmar* (Prov. Camp.) nova Exercitiorum domus, instante RR. DD. Episcopo aperta est dependens a Residentia Argentinensi (Strasbourg).

Pictaviense Collegium (Poitiers, Prov. Franciae), quod coniunctum erat cum Residentia, ab hac separatur.

« Action Populaire » cuius socii rebus socialibus ad normam catholicae doctrinae describendis summo fructu operam navant, domo Rhemensi in bello destructa sedem prope Parisios (Noisy-

le-Sec, 188 rue de Brément, Seine) transtulit. Mox vero Lutetiam ipsam migrabit.

Algeri Patres lugdunenses Collegium Dominae Nostrae et S. Aloisii sacrum inchoaverunt.

Ass. Hispaniae. — Die 18 apr. Societas (Prov. Argent. – Chil.) in urbem *Chillanensem* (Chillan, Casilla 268, Chile) post 150 annos exilii redux domum Probationis et Seminarium Parvum aperuit. Summa benevolentia a loci Ordinario eiusque duobus Auxiliaribus, iucundissima laetitiae significatione ab utroque clero et ingenti bonorum civium multitudine Patres excepti sunt. Quinque ibi recensebantur Novitii et undecim alumni Seminarii Parvi Societatis; sperare vero licet copiosam vocationum segetem: multi enim spectatissimi patresfamilias exoptant Deumque rogant, ut aliquis e filiis suis ad Societatem vocetur.

Guadalaxarae (Guadalajara, Avenida Libertad 1337; Prov. Mex.) primum post dispersam Provinciam Collegium in ipsa republica mexicana inchoatum est in aedibus conductis. Spes aliquando affulsit antiquum nostrum Collegium recuperandi, at cito evanuit. Adsunt 120 alumni.

Die 25 aprilis a. 1920 domus Exercitiorum *Chamartinensis* (Prov. Tolet.) aperta est coniuncta cum eiusdem nominis Matritensi Collegio. RR. Episcopus Matritensis, cum domus inauguraretur, adhortationem habuit primusque una cum aliis suae dioeceseos sacerdotibus Exercitia ibi peregit. Domus fere 90 cubicula continet et amplam aulam.

Die 12 maii templum novum Residentiae *Malacitanae* (Málaga, Prov. Tolet.) ab urbis Episcopo consecratum est. Die dominico proximo magnifica pompa et frequentissimo hominum concursu, qui summo fervore hymnos sacros concinebant, per plateas et vias publicas sacrae imagines S. Stanislai, S. P. Ignatii, B. M. V. Immaculatae, Sacratissimi Cordis Iesu e vetere templo in novum delatae sunt. Cui sollemnitati interfuerunt Vicarius Generalis dioeceseos (Episcopo infirma valetudine impedito), Decanus cum compluribus Canonicis ecclesiae Cathedralis, uterque Gubernator civilis et militaris, Praefectus urbis cum plurimis sui consilii sociis. Maximum solatium Patribus attulit summum civium studium publice hac occasione testandi suum erga Societatem amorem et gratum animum ob labores per 40 annos a Nostris susceptos ad bonum spirituale civitatis procurandum. Urbis

consilium (ayuntamiento) rogante ipso Praefecto decrevit ut platea in qua ecclesia nova cum Residentia sita est, deinceps « Plaza de S. Ignacio » appellaretur. Templum ipsum stylo gothico pulcherrime exstructum et duabus altis turribus ornatum plus tria milia hominum continet.

Ass. Americae. — Provincia Missouriana parvam Residentiam et parochiam *Conexensem* (Conejos), olim Missionis Coloradensis, Episcopo tradidit, qui eam PP. Theatinis commisit.

In Missione Brasiliae meridionalis (Prov. Germ.) domus in urbe *Parecy Novo* quae antea Residentia fuit et tribus his annis Seminarium Parvum Societatis adnexum habuit, in domum Probationis est mutata. Quinque Patres tertiam Probationem peragunt, Novitii 4 adsunt, 20 alumni.

Vita Domestica.

In Provinciis non paucis approbantibus Patribus Generalibus in consuetudinem venit, ut Patribus quoque occasio offerretur Exercitia Spiritualia communiter peragendi. Laeti huius usus fructus variis e partibus nuntiantur.

Multa cum admiratione in antiquae Societatis annalibus scriptum legimus de Patribus, qui incredibili patientia et animi fortitudine per totam fere aetatem pueros prima linguarum classicarum rudimenta docuerunt. Atqui hac in re Societas recens pristinae cedere vix videtur.

P. Franciscus Bonnike (Prov. Neerl.) ex antiqua et nobili Hollandiae familia ortus, postquam Rector simul et Magister Novitiorum domui Probationis praefuit, postquam Collegium Maximum Traiectense per sex annos rexit et Residentiam Rotterodamensem gubernavit, per 17 annos invicta constantia et omnium aedificatione infimam grammaticam pueros docuit. Interrogatus cur discipulos suos non ad altiores classes sequeretur, demisse respondebat: non satis scientiae ad haec in se inesse. Postea per quinque annos in variis officiis de Provincia sua optime meritus die 14 martii (1921) h. 11 vesperi obiit; hora 9 vero, Procuratoris munere cum fungeretur, aliquid annotaverat in libro rationum; pridie s. unctionis sacramento iam munitus erat. Annos habuit 79, Societatis 60.

In Collegio Orensi (Lugd.) congregantur maxima omnium caritate plus centum scholastici ad 12 Provincias atque ad 14 gentes diversas pertinentes.

Oeniponti (Austr.) inter Theologos praeter academiam ordinariam floret ea quae a S. Thoma nuncupatur, in qua selecta e S. Doctoris operibus capita leguntur et interpretationi subiciuntur.

Scholastici kurseongenses (Miss. Bengal.) in academia de rebus indicis professore librorum religiosorum Indiae peculiariter perito moderatore rerum indicarum notitiam eam addiscunt in iisque se exercent, quae magno usui sibi fore praevident in obeundo sacro ministerio penes excultos indigenas.

Mense februario Theologi S. Beunonis Collegii (Angl.) in Residentia S. Mariae urbis St. Helens de Sacra Scriptura praelectiones habuerunt.

Magistri Scholastici Collegiorum partis septentrionalis Prov. Californiae vacationes maiores una peragunt, deinde in Collegium quoddam se conferunt ad Exercitia Spiritualia simul peragenda. Per reliquum vacationum aestivarum tempus scholas anno proximo habendas praeparant et a quattuor Patribus ad hoc munus diligenter selectis documenta accipiunt de ratione et via in schola sequenda et notitiam disciplinarum ipsarum augent praelectionibus moderatorum auditis. Quibus peractis in suum quisque Collegium proficiscitur. Idem fit in australi eiusdem Provinciae parte et in Prov. Marylandiae-Neo Eboracensi.

Cum in hac Provincia experimentum peregrinationis fieri nequeat, Novitii bini per aliquod tempus ad parochum quendam ruralem mittuntur ut eum pueros catechesim docendo et opera manualia in templo peragendo adiuvent.

Nemo ignorat, quam difficile sit hisce temporibus servos aptos atque fideles obtinere ad res domesticas Collegiorum curandas. Patri Nostro e variis Collegiis nuntiatum est Scholasticos atque etiam Patres munditici in ambulacris et scholis curandae partem aliquam in se suscepisse non sine Fratrum nostrorum et externorum aedificatione.

Ex Alaskae Missione (Prov. Califor.) Superior quidam ad Patrem Nostrum refert: « Fratres nostri Coadiutores in arduos labores cotidie incumbentes bene omnino de Societate merentur ».

Ex alia Missione in Africa Superior domus scribit: « Statio nostra gaudet optimis Fratribus Coadiutoribus qui totis viribus

operam suam navant: unus impigre et perite curam agit praedii; alter mira dexteritate fabri lignarii artificium exercet: supellex domus Dei admirationi est omnibus qui templum invisunt; tertius comis semper et omnibus carus, nunc scholam aedificat, nunc curat culinam, nunc medicinas praebet indigenis, nunc "ad omnia" ».

Cum universa fere aedificia Residentiae S. Francisci (Missionis apud Indos, Prov. Miss.) die 20 ian. 1916, incendio destructa essent, domus nova pro pueris 300 pedes longa, 40 lata cum duabus alis (300: 40 pedum) mense octobri eiusdem anni incredibili Fratrum studio atque labore ex caemento solide aedificata fuit (1). Anno 1918 domus Nostris destinata finita erat et nunc (1920) etiam templi muri iam restituti sunt. Magistratus civiles vix intelligere potuerunt quomodo in difficillimis his temporibus aedificia nostra ex cineribus tanta celeritate exsurgerent; unus ex iis admiratione plenus ait: « Vos, nescio quo modo, plus uno dollario efficitis quam gubernium quinque ». Adiungit Superior Fratrum Coadiutorum industria explicari id quod vir ille intelligere nequibat.

Praedia Residentiae Tanaïlensis (Miss. Syriae) ad Tanaïl et ad Ksara sita quae Turci per quattuor annos occupaverant, immo potius diripuerant, industria atque sollertia Fratrum Coadiutorum pristinam ubertatem recuperaverunt et non spernendos fructus his duobus annis protulerunt.

Quod his solis iam satis declaratur, quanto nimirum auxilio boni et apti Fratres nostris missionariis sint, id confirmatur ex frequentibus Episcoporum et Superiorum Missionum ad Patrem Nostrum petitionibus habendi Fratres Coadiutores; sed ob hominum penuriam iis non semper satisfieri potest, ut accidit Missioni Guianae Britannicae, quae ne unum quidem Fratrem se habere dolet.

Die 18 maii a. 1920 mortuus est Frater Coadiutor Gulielmus McKeon (Prov. Angliae), vir solis ac siderum studiosus, quorum imagines arte photographiae accuratissime exprimebat; ob id laudes meritus Regiae Societatis Astronomicae Britannicae. Laboravit 42 annos in specula Stonyhurstensi, cuius fama per totam Angliam sparsa huic fidissimo Coadiutori temporali, viro religiosa observantia quoque eximio, magnam partem debetur.

---

(1) Cf. *Acta Rom.*, II, 1916, 233 sq.

Anno superiore, ut in *Mem. S. I.* I (1919) 104 sq. notatum est, nonnulli Provinciae Missourianae Patres aliquam gradus Fratrum Coadiutorum nostrorum explicationem in vulgus dandam compluribus lucubrationibus curaverunt. Neque sine fructu. Nam e non paucis qui scriptis illis allecti hunc gradum petierunt, fere viginti iuvenes bonis dotibus praediti iam in Novitiatu versantur.

Provincia Franciae antea iam de eadem re edidit *Les Frères Coadjuteurs de la Compagnie de Jésus*, par le P. Léon Duponchel, Paris, 1918, Diéval, 32 pp., in-24°.

Ut quae hoc libello exponuntur, vita ipsa declararentur atque illustrarentur, eadem Franciae Provincia narrationes aliquas quae de quibusdam Fratribus Coadiutoribus in *Lettres de Jersey* et in Historia Missionis Madurensis a P. Saint-Cyr conscripta primum exhibebantur, denuo typis exscribendas curavit. Sunt vero hae:

1° *Les Frères Coadjuteurs Léonard Lavigne et Joseph Pailler de la Compagnie de Jésus.*

2° *Les Frères Coadjuteurs Joseph Cloérec et Adrien Van Paassen* Jersey, 1919, Bigwood, 32 pp., in-32°; uno volumine sunt recusi hi libelli anno 1920 (Enghien, Decalonne).

3° *Deux Frères Coadjuteurs Missionnaires: Joseph Chevola et Pierre Rivier de la Compagnie de Jésus;* Jersey, 1919, Bigwood, 24 pp., in-16°.

Provincia Tolosana edidit: *Jean Guichot et Jean Baptiste Lamothe, Frères Coadjuteurs de la Compagnie de Jésus*, par le P. V. Marmoiton, Marcinelle-Charleroi, 1920, Dupuis, 32 pp., in-16°

Prov. Taurinensis evulgavit de eadem re libellum: P. Giov. N. Parnisetti, *Posso anch'io divenir perfetto?. Ai lavoratori di tutte le categorie un vecchio amico degli operai.* Seminario Missioni Estere, Gozzano (Novara), 1921, 48 pp., in-16°.

Societatis historia.

Libris qui ad mentem d. 21 Congregationis XXIV de historia Societatis editi exhibebantur *Act. Rom.*, II (1916) 237 sq. et *Act. Rom. Appendice bibliographica anno centenario restitutae Societatis edita* (Prati, 1915), nunc addi possunt:

Italia: TACCHI VENTURI PIETRO, *Storia della Compagnia di Gesù in Italia.* Vol. II, *Dalla nascita del Fondatore alla solenne ap-*

provazione dell'Ordine (1491-1540). Roma, 1921, « La Civiltà Cattolica », 8°, LXIV–424. — L. 45.

Germania: DUHR BERNHARD, *Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge in der zweiten Hälfte des XVII. Jahrhunderts.* Totius operis vol. III, München-Regensburg, 1921, Manz, 8°, XII-924. — Mk. 150.

Gallia: BURNICHON JOSEPH, *La Compagnie de Jésus en France. Histoire d'un siècle* 1814-1914. 8°. Tome II, 1830-1845 (1916), pp. 736; t. III, 1845-1860, (1919) pp. 840, Paris, G. Beauchesne.

BRUCKER JOSEPH, *La Compagnie de Jésus, esquisse de son Institut et de son histoire* (1521-1773), Paris, 1919, G. Beauchesne 12°, VIII-842.

Hispania: ASTRÁIN ANTONIO, *Historia de la Compañia de Jesús en la Asistencia de España, vol. VI; Nickel, Oliva, Noyelle, González*, 1652-1705. Madrid, 1920, Administración de «Razón y Fe», 8°, XIV-890,

Anglia: POLLEN JOHN HUNGERFORD, *The English Catholics in the reign of Queen Elizabeth. A study of their politics, civil life and government.* 1558-1580. *From the fall of the old church to the advent of the counter-reformation.* London, 1920, Longmans Green and Co. 8°, XII-388.

Canada: LECOMPTE EDOUARD, *Les Jésuites du Canada*, tome premier, 1842-1872. Montréal, 1920, Imprimerie du Messager, 8°, 334.

America: HUGHES THOMAS, *History of the Society of Jesus in North America, Colonial and Federal. Text vol. II from* 1645 *till* 1773. With six maps. London, 1917, Longmans, Green and Co. 8°, XXVI-734,

Missiones.

Colombia: MUÑOZ LUIS I., *Notas históricas sobre la Compañia de Jesús restablecida en Colombia y Centro América*, 1842-1914. Oña, 1920, Colegio, 8°, VIII-184.

Insulae Philippinae: PASTELLS PABLO, *Misión de la Compañia de Jesús de Filipinas en el siglo XIX.* 8°, vol. I (1916), XXVIII-528; vol. II (1916), 492; vol. III (1917), 508. Barcelona, Lib. Editorial Barcelonesa.

Paraguay: PASTELLS PABLO, *Historia de la Compañia de Jesús en la Provincia del Paraguay (Argentina, Paraguay, Uruguay, Perú, Bolivia y Brasil) según los documentos originales del Ar-*

chivo General de Indias. 8°, tom. I (1912), XXXIV-598; tom. II (1915), 780; t. III (1918), 548. Madrid, Victoriano Suárez.

Res familiaris.

Provincia Campaniae in bello maximis periculis exposita (*Mem. S. I.*, I (1919) 96 sqq.) auxilium S. Ioseph, cui peculiari pietate se devoverat, saepe miro sane modo in domibus et bonis servandis experta est.

Qui pagum angiensem cognovit, vix crediderit domum nostram reliquis multo ampliorem et commodiorem, in qua invenire erat aquarum erogationes, luminis electrici et calefactionis instrumenta, multa cubicula et amplas valde scholarum et triclinii aulas, aptam proinde imprimis ad usum nosocomii vel ministeriorum quorumcumque, immunem evasisse ab hostili occupatione, cum in eodem pago etiam moniales e duobus suis monasteriolis eiectae fuerint.

Haec insuper recolas: iuvenes nostros circiter 50 studiis per idem tempus operatos esse, quibus addendi sunt PP. et FF. ad 30; victum illis et domibus nostris in Belgio, in communi penuria subministratum esse; ab anno 1917, ea quae magis deerant, lac, carbonem, vinum pro Missa et fere omnia a S. Ioseph semper petita et semper impetrata: nunquam denegatam licentiam, saepe difficillimam obtentu, transeundi de domo ad domum, ita ut Nostri ante vel post theologiam magisterio et tertiae Probationi operam dare possent; R. P. Rectoris servatam libertatem, cui praesens periculum creare videbatur minimum quid inconsulte a quolibet e suis dictum aut factum vel generosa in sublevandis fugitivis popularibus constantia vel aliquis generalis obsidum delectus; indagationes varias de cupro, de lana, de vino, de linteis, vix aliquid delibasse; ab omni globo, etiam aviatorum quibus pagus non caruit, immunitatem; pugnam opportuno loco cessantem triginta fere hinc kilometris; inducias opportuna hora indictas, cum vespere hora 4 statio viae ferreae disiicienda nuntiaretur; mandatum derelinquendi domum ab aliquot diebus quidem promulgatum nec tamen exactum.

Locum equidem dare militibus adversae partis necesse fuit; sed tarde et parce: cubicula nonnulla in plano loco et in prima contabulatione, a mense feb. a. 1915; carcerem ibi constituerunt. Ab initio a. 1918 concedenda fuit ala una domus neque tamen

ordo in nostra parte ideo turbatus est. Humanior quidam dux sponte impedivit, ne quid amplius Nostris subtraheretur. In ultimo bello, mensibus scil. septembri et octobri, dum acies in dies magis appropinquat, vix pauca cubicula relinquere iussi sumus.

Multiplicatae vero sunt preces; imprimis, cotidie duo sacra in honorem S. Ioseph celebrabantur; numisma S. Ioseph ad ianuam uniuscuiusque nostrum cubiculi est appensum; statua S. Ioseph in fastigio quodam domus est collocata; lampas ante eius statuam in templo iugiter accensa.

Post bellum vero die 18 aug. 1920, ad unam ex frontibus domus aptatum est simulacrum S. Ioseph, cui adiungebatur, ad morem regionis, inscriptio: Sanctus Ioseph custodit Collegium.

Insuper S. Salvatoris Patri altare sculptura affabre elaboratum in sacello domestico consecratum est et cum aliae Provinciae domus alio modo a S. Patriarcha protectae atque defensae essent, Congregatio Provincialis, mense iulio anni 1920 Florinas convocata, in acta haec inscripsit: « Postulatur ut pro tutelari assistentia quam erga nos exhibuit S. Ioseph, gratitudinem testentur et haec Congregatio Provincialis dum habetur et postea Provincia Campaniae tota, renovando specialem Consecrationem quae olim a Societate universa habita est ».

Provincia Marylandiae-Neo Eb. ut Scholasticorum sustentationem securiorem redderet, consociationem (Woodstock Aid Association) instituit (cf. *Mem. S. I.*, I (1919), 182) inter fideles, praesertim paroeciarum quas administrat, quorum praecipue interesse debet, ut sacerdotibus suis formandis provideatur; socii huius foederis quotannis unum dollarium donant. Insuper benefactorum liberalitati proponitur institutio bursarum: 300 doll. quae satis sunt ad unum Scholasticum per annum sustentandum, 8000 doll. quibus educationis unius Scholastici sumptibus perpetuo satis fit. Antea iam eadem Provincia ad benefactorum nostrorum consolationem in folium, cuius prima pagella pulchra S. Ignatii imagine ornatur, exscripserat ex Constitutionibus omnia quae S. Parens statuerat, ut Societatis gratus animus significaretur iis qui sua liberalitate eius opera promovent.

In tanta omnium rerum caritate alii alia excogitaverunt, quibus sumptus ingentes minui possent. In Provincia Belgica cui hac in re magnus domorum numerus non ita longe inter se distan-

tium favet, Pater quidam electus est qui curam ageret emptionum communium Provinciae (Cur. agit. empt. com. Prov.), non eo sensu ut ipse merces emeret, itaque quasi emporium commune Provinciae constitueret quod domus omnes adirent; sed ut eas duplici modo adiuvaret, nempe internuntii et pactoris munus agendo. Domos enim de condicionibus mercatus edocet, utrum certae rei pretium augeri an minui praevideatur eosque quorum interest, monet, si opportunitas offertur mercedem quandam modico pretio emendi. Quod praestat per plagulam typis mandatam « Notes économiques ». Praeterea pactorem agit inter domos singulas et officinas (fabriques), mercatores maiores societatemque aliquam cooperativam catholicam cui omnes domus nomen dederunt; ita pretia haud leviter imminuuntur, quia et merces multo maiore quantitate emuntur et mercatores atque agentes interpositi excluduntur.

In Provincia Poloniae Pater designatus est (Cur. approv. coll. et dom.) qui si bona occasio offeratur, res in communem domorum nostrarum usum emat; insuper in eadem Provincia experimenti causa, vestificina centralis est instituta ad novas vestes conficiendas.

Collegium Valsense (Prov. Tolosanae) quoque initium fecit societatis inter Assistentiae Galliae domos condendae, ut coniunctae maiorem ciborum pannorumque numerum ementes, minore singulae pretio necessaria sibi procurare possent. Praeterea etiam quolibet mense plagula cui titulus « Entre Procureurs » autographice scripta iis mittitur qui eam accipere cupiunt. Integra tamen libertas omnibus relinquitur emendi ubi maior opportunitas offerri videtur. Iam 30 fere domus huic foederi nomina dederunt.

Cum gubernium anglicum condiciones gravissimas poneret, ut iura P. Bramley (Prov. Lusit.), subditi sui, in Collegium Campolitense et Residentiam Ulisiponensem contra rempublicam lusitanam apud tribunal internationale Hagae-Comitis institutum prosequeretur cumque spes vel modicae restitutionis impetrandae valde incerta evaderet, Patres nostri lusitani intercessioni anglicae renuntiare debuerunt. Quae cum ita sint, Provinciae Lusitaniae omnis spes erepta est saltem partem damni sibi restitutum iri.

Ministeria.

Cura iuvenum extra Collegia nostra.

Inter studiosos Universitatis bruxellensis quae, sicuti lovaniensis catholicis, liberalibus inservit ad suas propagandas doctrinas, P. P. Charles (Prov. Belg.) anno 1919 circulum condidit, cuius socii nunc fere 20 sunt (nonnulli socialistae sine fide). 15° quoque die conveniunt; eorum sincerus animus, urbanitas, ardor in inquirendis quaestionibus scientiae atque religionis laudatur. Quidam veri apostoli collegarum suorum evaserunt, reliquorum animis non sine fructu cogitationes saniores insitae sunt.

In consociationem viennensem (Prov. Austriae), « Logos » circiter 30 academici maturi ingenii, viri bello probati, colliguntur. Duabus in hebdomade horis lectioni et meditationi Novi Testamenti se dedunt; discussio subnectitur. Praeterea in philosophiam christianam et theologiam inducuntur. Haec consociatio in alias quoque Austriae urbes (St. Pölten, Linz, Melk) inducta est, ut ubique vitam christianam inter viros cultos promoveret.

Oeniponti (Innsbruck) in Austria domus Academica quidem ob tempora difficillima erigi non potuit, sed Congregatio Mariana academicorum etiam domesticis necessitatibus suorum providere studet. Sic officium est institutum, ubi iuvenes modo advecti consilium invenire possunt atque auxilium in iis quae ad procurandam habitationem et victum, quae ad praelectiones in variis facultatibus seligendas spectant. Patet nihilominus praecipuam Congregationi praestitui curam animarum; ita missionem pro auditoribus Universitatis tantum habendam curavit et ad Exercitia Spiritualia clausa peragenda delectos iuvenes in monasterii cuiusdam solitudinem deduxit. Congregatio Academica 106 sodales ex omnibus Facultatibus colligit.

Scholarum mediarum discipuli eiusdem urbis in sex pro eorum aetate et vario scholarum genere diversas Sodalitates Marianas congregantur, ut sub purissimae Virginis tutela a morum et fidei periculis defendantur et apostoli collegarum suorum evadant; sunt 279 sodales.

Lincium, quod est caput Austriae Superioris, convocati sunt a Nostris legati omnium Congregationum quae in hac provincia

pro discipulis scholarum mediarum erectae sunt; 130 mense iulio venerunt. Summus qui Provinciae praeest magistratus ipse iuvenes humanissimis verbis salutavit. Negotiis inter se agitatis animo aucti et novo ardore accensi domos redierunt; 40 vero antea Exercitia Spiritualia triduo peregerunt.

Patres Germaniae in coetum « Neu Deutschland », auctore Em. Card. Hartmann institutum, discipulos quam plurimos scholarum mediarum colligunt. Qui cum anno fere a fundatione peracto ad sepulcrum S. Bonifatii Fuldam mense aug. a. 1920 convenirent, 183 consociationes in omnes reipublicae germanicae partes distributas cum 15.000 adscriptorum recensuerunt; quorum 1500 intra duos menses post conventum fuldensem Exercitiis Spiritualibus exculti sunt.

Lugduni in Gallia complures Patres in iuvandis iuvenibus qui in Universitate student occupantur. De medicinae Facultate supra (p. 310 sqq.) rettulimus. Pro aliarum Facultatum auditoribus aperta est domus Academica (Maison des Étudiants Catholiques) in qua omnia illis praebentur quae ad vitam spiritualem et ad omnem mentis corporisque cultum spectant. Fere 300 iuvenes hac ratione excoluntur.

Ad id genus domum Nancei (Nancy, Prov. Camp.) erigendam Noster quidam operam cum sacerdote saeculari et Patre aliquo ex Ordine Praedicatorum fertili concordia coniunxit. Continuo 160 Universitatis alumni huic consociationi nomen dederunt.

Item Gratianopoli (Grenoble, Prov. Lugd.) coetus Universitatem celebrantium constitutus est: aulae, libri, periodica de variis scientiis quibus operam dant, praesto sunt.

260 discipuli scholarum superiorum parisiensium, inter quos 200 alumni scholae polytechnicae habebantur, Nostris moderatoribus, Exercitia Spiritualia peregerunt. Quidam ad vitam perfectiorem vocati, saeculum reliquerunt.

Cum pueri qui in lyceis publicis (Lycées de l'État) profanas disciplinas addiscunt, institutione religiosa careant, Patres lugdunenses ut huic malo remedium afferrent, coetus instituerunt, in quibus doctrina christiana explicatur et pietas sacramentorum frequenti receptione colitur; humanitate atque suavitate moderatoris allecti amplius centum adolescentes eo conveniunt. Huiusmodi coetus qui Icosii (Alger) florebat, viam stravit et initium fuit aperti modo in eadem urbe Collegii Societatis (v. p. 372).

Opus praecipuum quo Collegium Bahiense (Miss. Bras., Prov. Lusit.) utilitatem spiritualem proximorum promovet est Congregatio Mariana, patrocinio Immaculatae Conceptionis et S. Ioseph commissa, pro iuvenibus qui studiis in Universitate gubernii dant operam; sodales sunt 84.

Praeter alia pulcherrima exercitia et opera huius Congregationis hoc anno instituta est « Domus Academica » vulgo « A Republica Mariana » appellata, in qua academici vitam degunt communem, remotis periculis maximis quibus iuvenes — in hac praesertim urbe — fere omnes succumbunt. Ratio autem administrandae huius domus est simplicissima: ei praeest unus e iuvenibus, a P. Moderatore designatus, qui et disciplinae et rei familiaris curam gerit. Singuli suam partem expensarum communium solvunt; ratio vero dati et accepti atque tota res pecuniaria quovis mense a Nostris sedulo recognoscitur, ut omne periculum perniciosae perturbationis removeatur. Cum autem huiusmodi operi sustinendo impares sint academicorum collationes, donec domus propria obtineatur, praestantiores aliquae urbis matronae, haud ignarae quanti Ecclesiae atque patriae intersit iuvenes, multae aliquando in populum auctoritatis, a morum fideique periculis defendi, foedere coniuncto domum Academicam pecunia iuvare et favore tueri coeperunt. Laude singulari hic mulierum coetus dignus est habendus, quod a Nostris nihil nisi aliquid consilii modeste exspectans, opus ita strenue aggreditur ut nunc de aedificio suis sumptibus emendo agat et Societati nostrae offerendo ad bonum iuvenum perpetuo procurandum.

Tot iam in domum Academicam admitti cupiunt, ut multi differri debeant. Fructus operis pulcherrimi apparent: iuvenes pietati (circiter viginti cotidie, alii plerique octavo quoque die aut saepius ad S. Synaxim accedunt) et labori pariter dediti, alacres, amore et fiducia erga Nostros pleni, inaudito adhuc vitae purae exemplo omnibus civibus iucundissimae sunt admirationi.

Cura militum.

Cum post bellum magnae copiae militum madecassensium in Gallia remanerent et in ea Germaniae parte, quam Galli occupaverant, illis auxilium spirituale ferre variis modis Nostri conati sunt. Ad ripas Rheni fere 6500 Madecassenses sunt quorum duo milia catholicorum.

Eorum curae spirituali Pater quidam Prov. Campaniae, qui magisterio in insula Madagascar peracto indigenarum linguam callet, ab summo exercitus illius duce ipso est addictus. Qua ratione fit, ut multi iuvenes, qui in patria nunquam missionarium viderant, fidem catholicam cognoscant et amplectantur. Mense aprili anni 1921 Pater e tribus annis, quos huic operi insumpserat 500 iuvenes diligenter in doctrina christiana institutos baptizaverat et plus quam 200 catechumeni aquas salutis exspectabant. Qui labor eo magis necessarius est, quod protestantes quoque conantur Madecassenses ad se allicere neque semper frustra. Ceterum hi probe intelligunt protestantismi auctoritatem inter Gallos non esse magnam.

Ut vero quam plurimis prosit, capellanus noster periodicum octo paginarum lingua madecassensi conscriptum quovis mense edit, cuius 2000 exemplarium non solum in Gallia et Rhenania distribuuntur, sed usque in Syriam mittuntur, ubi etiam Madecasseuses stipendia merentur. Quanto cum eorum solatio et fructu id fiat, vix dici potest, cum longe a patria et familia avulsi homines, suavis plerumque indolis, desiderio consumantur et in castris non paucis corporis et animi periculis opponantur. Quamquam fieri non potest ut scandala omnia arceantur, tamen parti fere dimidiae catholicorum laus haec praeclara tribui debet eos fidem et mores prae se ferre, quae in terra omnino catholica vere exemplo sint. P. Picavet autem, Superior Missionis Betsileensis (Prov. Camp.) scripsit indigenas e militia reduces eosque etiam qui nuper in castris baptizati essent, christiano more vivere, in orando constantes, uno verbo eos esse qui meliora sectarentur, id quod propter auctoritatem qua inter cives fruuntur, catholicae religionis augendae latiusque propagandae laetam spem facit.

Etiam navi qua futuri classis gallicae duces vehuntur, ut artem suam penitus addiscant, unus e Nostris ab iis, qui res navales in Gallia administrant, capellanus denuo additus est; antequam iter longum quinque mensium suscipientes portu brestensi solverunt. viginti iuvenes Patre illo moderatore Exercitia Spiritualia peregerunt.

In urbe Nanceio (Nancy) Pater quidam Prov. Campaniae praeest coetui militum (« Foyer Jeanne d'Arc ») qui praesentibus Episcopo, urbis magistratu, summi ducis legato aliisque proceribus die 14 nov. a. 1920 inauguratus est. Ad hoc opus insti-

tuendum plurimum contulit, « Gallicarum Feminarum Consociatio », quae etiam nunc res necessarias procurat et expensis satisfacit. Cum autem haec societas ex statutis suis nulli religioni faveat, recte dici potest oleastro philanthropico insertam esse olivam christianae caritatis. Nam complures iuvenes iam baptizati sunt, complures S. Communionem ibi primum acceperunt; ad omnes ter in hebdomada variae conciones habentur; die dominica Sacrum hora militibus commodiore celebratur; feria IV ad benedictionem SS. vocantur. Cotidie etiam cibi pro militibus parantur, ut inter probos socios sine morum et crumenae detrimento cenam reperiant. Id unum timetur, ne aedes multitudinem hospitum mox capere non possint.

Opus iam multis annis Romae in Collegio Pio Latino Americano institutum ad bonum spirituale militum procurandum etiam hoc anno non parvum incrementum habuit. Plus quam septingenti milites ibi praeceptum paschale adimplevere. Libellus precum, cui titulus « Manuale religioso del soldato », quamvis expensae magnae pro charta et typographorum labore faciendae essent, denuo editus est ita ut iam 160.000 exemplarium inter milites distributa sint. Supremi duces atque praefecti exercitus et classis huic operi benigne favent; nonnunquam eorum aliqui sollemnioribus religionis ritibus interfuerunt atque eos qui curae militum se dedicant, maxima laude prosecuti sunt.

In Jugoslavia Pater quidam, cum Episcopus Labacensis et dux generalis id optarent, in sex stationibus militibus ut s. sacramenta paschalia rite susciperent, duodecim breves institutiones praebuit.

Burgis (Prov. Castellanae) mense ianuario instaurata est in templo nostro Communio Reparatrix militum. Hebdomada sancta vero eorum plurimi in sacello domestico Exercitia Spiritualia peregerunt; sabbato sancto inter Missam sollemnem circiter 70 duces iique fere omnes veste militari induti ad S. Communionem accesserunt.

Plurimum vero Patres hispani spiritum christianum in exercitu promovent Congregationibus Marianis, quas favore regis ipsius commendatas instituerunt in tirociniis, ubi duces educantur.

Non sine magna admiratione legi possunt, quae de morte sancta officialis cuiusdam hispanici capellanus refert. D. Emmanuel Igual Cuarental in proelio cum Mauris die 10 maii a. 1921

commisso, fortiter pugnans graviter vulneratus est. In nosocomium allatus dolores incredibili patientia vicit et mortem praesagiens ipse s. sacramenta instanter petiit nihil aliud iam curans quam ut voluntati Dei plane se subiceret. Cum filio febri aestuanti pater, qui ad eum consolandum accurrerat, labia recrearet aqua et reficeret, ille supplicavit ne id faceret, sed Christo in cruce sitienti similem se fieri pateretur. Per 24 horas sitis cruciatus, amore Domini Nostri motus constanter pertulit, dum, die 2 mensis iulii, singulare christianae fortitudinis et caritatis exemplum, animam Creatori suo reddidit. Hic iuvenis sodalis fuit Congregationis minoris in templo nostro barcinonensi institutae et consilium iam ceperat petendi ut in Societatem admitteretur.

In urbe Barranquilla (Miss. Columb., Prov. Castell.) fere 80 milites prima mensis feria VI SS. Domini Nostri corpus suscipiunt.

Cum antea in tirociniis exercitus et classis Flumine Ianuario (Rio de Janeiro) officia christiana plane negligerentur atque etiam aversio a religione serperet, ita ut paucissimi alumni et magistri fidem profiteri et sacramenta recipere auderent, ex eo tempore, quo Noster quidam milites et nautas non solum inferiorum ordinum, sed duces praecipue, divulgato inter eos cultu erga B. Virginem a Victoriis ad meliorem frugem reducere enixus est, ingens morum mutatio notata est. Concionibus et privatis colloquiis melius edocti et ad Virginis pedes suaviter attracti, fere omnes vivunt modo qui virum christianum decet, sacram mensam frequentant et nihil antiquius habent quam ut modo acceptum gladium ad altare B. Virginis deferant, ut ei sollemniter benedicatur. Qui ritus magno tribunorum militarium concursu et populi admiratione in templo nostro celebratur.

Doctrina christiana.

Inter externos discipulos Collegii ad Thermas in Urbe sectio instituta est consociationis illius, quae Iuvenum Exploratorum (Boy-scouts) vocatur. Inter eos doctrinae christianae studium ita viguit, ut in publico generali puerorum certamine ab Urbis Vicariatu indicto exploratores illi primum consecuti sint praemium ac laudes amplissimas meruerint. Convictorum vero sodales Mariani maiores eiusdem Collegii in finitima parochia S. Mariae Angelorum summa diligentia parvulos catechismum docent.

Idem Collegii Stratensis (Prov. Rom.) convictores ad propriam et aliorum utilitatem praestant.

In Seminario Ferrentino (Prov. Rom.) Nostri consociationem ludi magistrorum magistrarumque instituerunt, quae maxime curet christianam puerorum educationem in scholis publicis.

Cum Budapestini (Prov. Hung.) ob penuriam sacerdotum et scholas hiberno tempore non raro clausas ignorantia doctrinae christianae semper cresceret, ne pueri praesertim pauperes etiam maius in summa hac re detrimentum acciperent, unus e Nostris cursum catecheticum trium annorum coepit ad instituendas et comparandas catechistas quae in scholis et occasione oblata extra scholam doctrinam christianam docerent. Ut tota res maiore firmitate muniretur, catechistae illae in «Confraternitatem Doctrinae Christianae» Romanae aggregatam coniunctae sunt.

Londinii atque aliis etiam in Angliae partibus ad veterem, quem in annalibus domesticis atque in vitis Sanctorum nostrorum saepe commemoratum invenimus, usum redire incipiunt docendi nimirum doctrinam christianam in urbis viis apertis, ubi frequens est populus, simili ratione atque S. Paulus in acropolim ascendens Atheniensium multitudinem docuit et Christus Dominus ipse mediis in urbibus et oppidis populo panem caelestem verbi divini praebuit.

In suburbio londinensi Wimbledon, hortante Episcopo, singulis sabbatis habetur publica explicatio fidei in via aliqua principe (Catholic Evidence League), quibus explicationibus circiter 300 auditores interesse solent. Quae res ut melius securiusque procedat suadente Episcopo singulis hebdomadis in Collegio nostro SS. Cordis habetur schola, qua ii qui publice locuturi sunt, viri et mulieres, exercentur atque instituuntur. Quam scholam circiter 40 frequentant. Antequam alicui permittitur ut in via praedicet, examen subire debet apud quattuor Nostros. E compluribus candidatis tribus data est haec facultas. Toti operi invigilat senatus (committee) compositus e sex Patribus, uno sacerdote saeculari, quattuor laicis.

Scholastici aliqui Universitatis S. Ludovici (Prov. Miss.) iam ex anno 1916 omni dominica parvulos nigros in ecclesia parochiali S. Elisabethae catechismum docent simul cum catechistis nigris. Assiduitas horum puerorum in frequentanda doctrina christiana laudatur.

Praeparatio ad sacerdotium.

Cum in non paucis terris ob varias horum temporum difficultates atque pericula numerus vocationum sacerdotalium magno cum Praesulum maerore decrevisset vel certe iam non sufficeret auctae fidelium multitudini, Nostri etiam in hac re summi momenti Ecclesiae servire cupientes, alias in aliis Provinciis vias inierunt, ut Divinae Providentiae instrumenta se praebentes vocationes excitarent atque omni modo iuvarent.

Commemoranda hic imprimis sunt quae P. I. Delbrel per multos iam annos perscribens periodicum libellum, cui titulus est « Le recrutement sacerdotal » inter Gallos hac in re praestitit. Quod periodicum in bello intermissum rursus mense ianuario a. 1920, numero 61° edito, instauratum est. Intervallo trium mensium nondum peracto superavit fere eum subscriptorum numerum (865), quem antea per 14 annos vix obtinere potuit.

In Anglia P. Edmundus Lester pueris iuvenibusque qui ob praeviae educationis defectum aliter nullo modo sacerdotes fieri possent, viam ad presbyteratum aperire enititur. Duae domus S. Tharsicii sacrae prope domum Exercitiorum in londinensi suburbio Oosterley sitam comparatae sunt: 60 alumni quorum aetas est inter annum decimum nonum et vicesimum nonum, cura et vigilantia P. Lester ibi praeparantur. Alii 24 penes PP. Benedictinos ad oppidum Fort Augustus in Scotia, alii penes alios Religiosos collocati sunt. Minime vero obligantur ad certam Religionem ingrediendam. Attamen in Societatem nostram iam 5 adlecti sunt, inter Canonicos Regulares 3, inter PP. Capuccinos 3, inter Salesianos 14. Se parant autem ad Societatem 22, ad Franciscanos 15, ad Carthusianos 4, ad Servos B. M. V. 9, ad Albos Patres 9, ad Benedictinos 7, ad Collegium Missionum exterarum 9, ad alios Ordines 6, ad Clerum saecularem 21, ita ut nulla sit Angliae dioecesis quae non habeat aliquem candidatum inter hos iuvenes.

Cum universi fere 200 recenseantur, facile intellegitur quanta pecunia ad eam multitudinem sustentandam requiratur. Futuris sacerdotibus tamen non defuit liberalitas catholicorum Angliae, qui fere 50,000 lib. sterl. saluberrimo huic operi donaverunt.

Episcopi et religiosarum familiarum Superiores opus, quod

sibi magno auxilio fore praevident, summo favore et magnis laudibus exceperunt. Iuvenum vero spiritus est optimus.

Idem P. Lester ad vocationes sacerdotales fovendas atque firmandas coepit libellum periodicum edere, cui titulus « Introibo », quod tanta delectatione excipiebatur, ut ab ipso exordio 6000 subscriptorum colligeret qui pretium (2 sh. 6 d.) iam solverant, antequam primum fasciculum acceperunt. (Manresa Press, Roehampton, London S. W., 15, 24 pp., in-8°).

In Austria quoque unus e Nostris magnam partem habuit instituendi foederis « Canisiusbund » cui praecipue propositum est iuvare adolescentes pauperes qui sacerdotium consequi cupiunt neque tamen ceterae iuventuti studiosae auxilium suum denegat, cum ibi maximi momenti sit ne catholici, in communi inopia pauperrimi, a studiis et proinde a gravioribus muneribus paulatim excludantur.

Cura carcerum.

Opus quod et commendatione Salvatoris ipsius et traditione a primis Patribus fideliter transmissa Nostris semper carum erat, est vinctos in carceribus visitare atque verbo Dei sacramentisque reficere.

Budapestini (Prov. Hung.) unus e Nostris felicissimo eventu labores in carceribus suscepit. Malefactores e seditionum temporibus non paucos, qui fere sine religiosa institutione ac cura languerant, primum per hebdomadam integram vespertina concione iis veritatibus excoluit, quae in Exercitiorum prima hebdomada proponi solent, deinde ad sacramenta invitavit eo successu ut fere 90 pro centenis confessione vitam expiarent et sacrum Christi corpus sumerent. Porro post S. Communionem piarum feminarum opera hisce pauperibus in carcere esurientibus prandium parandum curavit. Praeterea ex hoc tempore omni die dominica inquantum fieri potest Sacrum in carceribus celebratur. Ante festa Paschatis ubique in carceribus detenti, piorum exercitiorum triduo diligenter comparati, ad sacramenta accesserunt. Non paucis idem Pater libertatem impetravit. Initium iam est factum instituendae in aliis quoque regni urbibus « missionis carcerum ».

Patres Residentiae S. Mariae Bristolensis (Prov. Angliae) invitati plurimas in carcere conciones habuerunt. Oeniponte (Prov. Austriae) iam e multis annis unus e Nostris omni dominica Mis-

sam dicit in carcere et doctrinam christianam vinctis explicat. Idem fit in Collegio Bahiensi (Miss. Bras. Sept., Prov. Lus.) et in Collegio Florianopolitano (Miss. Bras. Merid., Prov. Germ.). Patres Prov. Belgicae vero quotannis in compluribus carceribus Exercitia Spiritualia tradunt.

Protestantes.

In animo quidem erat commentatione aliqua explicare, qua ratione Nostri sectarum conatus fere ubique terrarum Catholicos pervertendi repellant, sed ob brevius tempus ad referendum concessum pauca admodum de hac re nuntiata sunt, quae tamen cum utilitate carere non videantur, hic subiungimus.

Maiore sane quam ante a. 1914, e Provincia Tolosana refertur, Protestantes utuntur industria et alacritate. « Salutistae » millenaristis suis praedicationibus, libris, foliis omnis generis non unam Ecclesiam catholicam, sed etiam protestantismum adoriuntur. « Calvinistae », translata sua Facultate theologica Monte Albano (Montauban) Montem Pessulanum (Montpellier), crebris ac dissertissimis conferentiis Catholicos allicere conantur. Accedit ut hinc quidem operibus misericordiae, ludis, bibliothecis, sanatoriis, quae omnia nulli religioni adversaria dicuntur Catholicorum benevolentiam sibi affectent, inde vero urbanissime cavillentur « Romanos » meras caeremonias pluris facere et suam piissime iactent adorationem in spiritu.

Haec plerumque, haec aperte. Non desunt tamen « Calvinistae » qui, sine fucata ulla erga omnes cultus seu reverentia seu indifferentia, ostiatim sermonibus ac libellis clerum catholicum incusent, quod ultimi belli fuerit auctor et fautor. Quodsi a catholica fide ad protestantismum paucissimi fideles deficiunt, nimis multi certe Protestantium amicitiam et consuetudinem in dies minus respuere assuescunt.

Oeniponti (Innsbruck, Austria) post bellum Adventistae libellis bibliisque in populum sparsis atque publicis concionibus celebratis errores suos latius diffundere conati sunt. Quibus congressibus Nostri quidam interfuerunt, ut miserrimorum hominum fallacias detegerent. Adventistae in angustias redacti res suas discuti amplius non permiserunt. Cum nihilominus non pauci homines simplices eorum sermonibus atque scriptis deciperentur, Nostri populo in ea urbis parte congregato, ubi opifices habitant fre-

quentiores, vanas esse Adventistarum opiniones atque mera commenta non sine magno audientium fructu demonstraverunt. Ad eundem finem etiam ephemeridibus usi sunt.

Adsunt in Germania superiore, sicut in aliis Germaniae regionibus, sat multi conatus haereticorum ad pervertendos Catholicos, qui partim a protestantismo publice constituto (Landeskirchen), partim a sectis variis minoribus proficiscuntur. Adest Foedus Evangelicum (Der Evangelische Bund) per totam Germaniam et Austriam inde ab anno 1887 pervulgatum, quod verbo et scriptis « evangelium » a « periculo Romano » vindicare vult et inter Lutheranos multos asseclas habet. Anno 1920 agitationem quandam provocare tentabant contra novum Codicem Iuris Canonici, qui legem Tridentinam de matrimoniis mixtis ad Germaniam extendit et privilegium contrarium Protestantibus favorabile sustulit. Successum nullum habuerunt. Adest porro inter eosdem « Societas Evangelizationis » ad Protestantismum inter Catholicos propagandum anno 1899 constituta, cuius actio a primo fervore aliquantum decrevisse videtur et in publico nunc vix animadvertitur.

Inter sectas peregrinas primum locum mereri videtur americana illa Adventistarum, quae specie pietatis biblicae sat multos etiam Catholicos ad conciones suas allicit, maxime mulieres, et conscientias non paucas per aliquod tempus saltem perturbare solet. His similes sunt Indagatores Biblici (Ernste Bibelforscher), Baptistae, Irvingiani aliaque minoris momenti conventicula. Adest etiam Associatio Christiana Iuvenum americana (Y. M. C. A.). Monachii (München) aliisque in locis, ubi res exigebat, aliqui e Nostris tentaminibus eorum publice et privatim obstiterunt cum fructu non spernendo.

Patres Prov. Germaniae e mense augusto a. 1919 ad aug. 1920 151 conversiones curaverunt.

In Anglia Protestantismus obsolescit eiusque ipsum nomen vilescit: Agnosticismus, Modernismus, Spiritismus, Theosophia, Christiana quae dicitur Scientia vigent. Angli tamen libenter auscultant, si quis Catholicus, sive clericus sive laicus, de Deo et Filio Eius Iesu Christo, de Ecclesia et sacramentis, de infallibilitate Papali verba facit, haud sane per modum controversiae, sed per modum explicationis familiaris simul et accuratae. Patres Collegii S. Francisci Xav. in urbe Liverpool epistolis certiores redditi de iis quae in Neerlandia Nostri facerent ad Protestantium

animos Ecclesiae conciliandos, simile quid instituere coeperunt: singulis hebdomadis in templo nostro concio habetur Protestantium rationi sentiendi atque cogitandi praecipue aptata et hi incipiunt frequentes venire.

De Prestonensi Residentia haec referunt: « Catholici nostrae curae commissi ferventes sunt; Missio frequentissimo concursu celebrata est, ita ut templum omnes fideles capere non posset, sed alios qui extra Ecclesiam errant, Anglicanos vel nullius religionis homines attingere adhuc non potuimus. Nam in templum nostrum intrare non audent, ne in hominum rumores veniant; neminem enim civium parvi oppidi latet quid alius faciat. Catholici vero homines nescio qua verecundia retenti de rebus religiosis cum Protestantibus non loquuntur. Per tres annos et amplius Pater, qui virorum excultorum congregationi (Gentlemen's Sodality) praeest, omnem lapidem movet, ut animos eis erigat ad veritatem catholicam inter fratres errantes diffundendam, sed adhuc sine fructu. Cuius tamen rei opportunitas nunc post bellum, et propter bellum summa est. Tamen non desperamus — is qui scribit, adiungit — et alii Patres mecum excogitant novam rationem attingendi eos quoque, qui non sunt ex nostro ovili ». Quo fructu id factum sit, vel his numeris solis declaratur: Preston: (6500 Catholici) a. 1919 13 conversiones, a. 1920 40 conversiones.

In parochia nostra Boscombe (Prov. Angl.) inter 90-100.000 incolarum ad tria milia Catholicorum habentur. Hoc anno 30 ex errore ad fidem et veritatem redierunt. Ex aliquibus mensibus Patres instituunt in aula templo finitima pro Catholicis et acatholicis « Religious Enquiry Meetings », in quibus difficultates possunt proponi, quas Pater solvit.

In alia ecclesia multi quoque Protestantes Missae nocturnae in Nativitate Domini interfuerunt et proximis diebus ad videndum Praesepe devote veniebant.

Patres Residentiae SS. Cordis in Accrington octavo quoque die scribunt in ephemeride huius urbis praecipua commentationem de doctrina et vita catholica. Inde fit, ut fere cotidie in plateis homines alioquin ignoti ad eos accedant, qui hac de re colloqui volunt, et multae epistolae eadem de re accipiantur praesertim obiectiones continentes. Quae difficultates in ephemeride illa imprimuntur addito monito proxima die dominica vespere concionatorem in templo nostro iis esse responsurum; tempore in-

dicato templum refertum est hominibus catholicis et multis quoque acatholicis. Qua ratione plures quam unquam antea catechumeni habentur.

In Residentia SS. Nominis urbis Manchester bis singulis hebdomadis institutio acatholicorum fit cum bono fructu.

E SS. Cordis Residentia in Bournemouth referunt sat multos ad fidem converti. Ibidem die festo quodam Praefectus urbis (Mayor) qui est catholicus in templum nostrum venit cum omni apparatu et comitatu suo, lictoribus, vigilibus, etc. ad ducentos homines, omnes Protestantes. Cantata est Missa sollemnis, concio habita de S. Petri primatu, musici quod ipsorum erat praestiterunt: omnibus, Catholicis atque acatholicis, est satisfactum.

Per Nostros in Anglia et Scotia ad Ecclesiam reducti sunt:

anno	1870	398
»	1890	746
»	1910	725
»	1919	974 (1)
»	1920	1175

Hic est numerus maximus qui intra hos quinquaginta annos obtentus est. Conversiones universae quae ex a. 1870 usque ad annum 1920 per Nostros in Anglia et Scotia factae sunt, 36.543 numerantur.

In Missione Guianensi Brit. (Prov. Angliae) 115, in Zambesiana (Prov. Angliae) 138 haeretici in Ecclesiam a Nostris recepti sunt.

In Canada Protestantes praeterquam in quebecensi regione maiorem incolarum partem constituunt, sed Catholicorum fidem non multum impetunt. Vel ipsa societas Y. M. C. A. (Young Men Christian Association) parum proficit apud nostros iuvenes catholicos, quos ad se allicere vix conatur. Cum nonnulli tamen magno fidei et morum discrimine in eam cooptarentur ob plurimas eius illecebras et commoda, iam ex anno 1918 commentationibus quibusdam periodico « Vie Nouvelle » pervulgatis, summum huius consociationis periculum iuvenibus declaratum est atque demonstratum; in libellum collectae sunt hoc anno, paulo antequam Sanctum Officium Catholicis totius orbis societatem istam aliasque id genus magno verborum pondere denuntiavit.

(1) Eodem anno 1919 universae conversiones in Anglia et Scotia fuerunt 10592.

Praeterea, ut iuvenes catholici facilius inter se coniungerentur atque fidem moresque securius et altius excolerent, fundata est, anno 1904, ad instar A. C. J. F. in Gallia, Consociatio Catholica Iuvenum Canadensium (A. C. J. C.) quae, in omnibus Canadae partibus instituta, quotannis belle crescit.

In urbe Quebec insuper empta est et apparata iam a compluribus annis domus magna nostraeque Residentiae finitima, quo conveniunt iuvenes ad ludendum, ad scenas agendas, maxime vero ad coetus litterarios et apologeticos tum privatim tum publice celebrandos.

Summo cum studio sectae americanae, praesertim Methodistae inter gentes Americae meridianae errores suos spargere student; ingenti pecuniarum vi in urbibus maioribus collegia aperiunt et iuvenes virosque ad consociationes suas convocant, quibus amplissimae aedes praesto sunt. Ex altera tamen parte in Missione Brasiliae australis (Prov. Germ.) fere non est domus, quae non aliquas saltem conversiones Protestantium exhibere possit; in eadem missione e mense augusto 1919 ad m. aug. 1920 haeretici 61 Nostrorum curis in Ecclesiae gremium reverterunt.

Cura virorum.

Exclusis mulieribus viri affluunt. Anicii (Le Puy, Prov. Tolos.) cum concionibus in honorem SS. Cordis Iesu mulieres maxime, ne dicam unice, interessent, consilium initum est statis diebus feminas a sacello prohibendi. Tunc viri praeter spem multi affluxerunt ita ut RR. DD. Episcopus ipse praesentia sua ultimum eorum conventum laetus honestaret.

In Provincia Austriae moris est, ut inter missiones populares ad exhortationem iuvenibus propriam, cum haec concio sicut ceterae publica semper habita sit, omnes indiscriminatim, etiam mulieres, admittantur. Nunc vero aliqui missionarii percipientes adolescentes aegre ferre feminarum curiositatem, eas ab hac concione prohibere coeperunt eo felici successu, ut illi multo plures atque laetiores adsint.

Mense iulio a. 1920 in urbe Glasgow est instituta Societas (Guild) Medicorum Catholicorum qui una cum sacerdotibus tractant de rebus ad medicinam simul et disciplinam moralem attinentibus. Capellanus huius coetus electus est Rector Collegii Glascuensis S. Aloisii; socii semel in mense in aulam aliquam Collegii conveniunt.

Varia ministeria.

Pater Belga anno 1920 in Galliam est missus ut ibi populares linguae flandricae qui immani bello patria pulsi erant, visitans solatiis religionis reficeret et patrio sermone recrearet. Per annum et dimidium itinere laborioso 169 urbes pagosque obiens, 428 familias 2240 animarum invisit; 554 confessiones audivit, 15 pueros ad primam Communionem praeparavit aliaque non pauca s. ministerii officia praestitit, semper et ubique summa caritate a clero saeculari et a Nostris receptus atque adiutus. Ut quid hi numeri significent, recte intelligatur, notandum est plurimos esse infantes et parvulos inter extorres, porro non paucos illorum gallice loquentes ordinario parochorum ministerio uti. Ceterum patet miseros homines a patria atque avitis consuetudinibus crudeliter avulsos, etiam vitae christianae aliquid detrimenti fecisse; sed firma spes est his malis aptissimum remedium pro summo hominum desiderio mox allatum iri — reditu in patriam.

Alii duo Patres Provinciae Belgicae curam spiritualem susceperunt opificum, suorum popularium, qui plurimi in urbe Remensi (Reims) ac regionibus finitimis occupabantur.

Fructuosissimus erat apostolatus quem Pater quidam Prov. Neapolitanae inter populares suos urbem Glasgow incolentes — sunt circiter 5000 — exercuit. Viri Congregationis Marianae, inter quos complures e secta francomurariorum erepti et multi qui per annos sacramenta neglexerunt, singulis mensibus ad s. mensam accedunt. Instituta porro est altera Sodalitas mulierum italarum, quae non parum augetur; Societas vero Catholica Itala (Unione Italiana) duplo maiorem quam antea sociorum numerum habet et scholam in qua itali pueri et puellae a catholicis magistris docentur, sustinere coepit.

Cum in templo nostro urbis Washington (Prov. Maryl.-N. E.) mense novembri novendialis supplicatio pro animis fidelium defunctorum haberetur, mille homines cotidie intererant. In eadem parochia fere omnes fideles nocte Nativitatis Domini communicaverunt.

Prope Collegium Quinqueecclesiense (Pécs, Prov. Hung.) quod extra urbem situm est, multi homines infimae plebis habitant; cum pro difficillimis temporibus templum nondum iis aedificari potuerit, unus e Nostris in derelicta aedicula mille passibus distante, S. Xaverio quondam a Patribus antiquae Societatis erecta, cul-

tum divinum instauravit eo successu, ut homines qui antea torvis oculis et summo odio sacerdotes aspiciebant, iam meliores evaserint atque adeo Patrem contra operarium communistam fortiter defenderint.

Abhinc non multis annis, pagus nomine « Duas Pedras », prope urbem Fluminis Ianuarii situm (Miss. Bras. Centr.) fere omni religionis auxilio destitutus erat. Cum ecclesia parochialis paulo longius distaret, (neque vero tantum ut a praecepto audiendae Missae fideles excusarentur), fere omnes eius incolae longe a Deo et a sacramentis vitam miseram degebant, iuvenes et pueri sine ulla religiosa institutione crescebant. Hic lamentabilis rerum status animum unius e nostris magistris commovit. A Superioribus petiit et impetravit facultatem singulis dominicis pueros docendi. Primis quidem temporibus necesse fuit uti aula aliquantulum decentiore privatae cuiusdam domus, quae brevi homines accurrentes recipere non potuit. Tanta fuit mutatio animorum, ut florescente iam pietate, omnes una voce templum proprium habere cuperent. Locus idoneus gratuito donatus est, eleemosynae undique collectae, facultates opportunae ab Ordinario impetratae opusque tandem coeptum est. Mira alacritate omnes etiam pauperrimi operam suam praestare voluerunt, sive laborando, sive lateres, petras, ligna aliaque necessaria vehendo, ita ut celeriter parvum, sed pago plane sufficiens templum erigeretur sollemniterque Sanctis Apostolis Petro et Paulo dicaretur. Inde nunquam cessavere Patres Collegii die dominica Missam in novo templo celebrare, populum docere, parvulos doctrinae christianae elementis imbuere.

III

DE MISSIONIBUS.

Administratio.

Novi Epp., Praef. Ap., Sup. Reg.

R. P. Ludovicus Van Hoeck, per Bullam die 20 iulii 1920 datam Episcopus novae Sedis Patnensis (1) designatus, in Consistorio die 15 decembris habito renuntiatur.

R. P. Eduardus Parry, Superior regularis Missionis Zambe-

(1) *Acta Rom.*, III (1919), 27 sq.

sianae (Prov. Angl.), Praefectus Praefecturae Apostolicae Zambesianae nominatus, die 18 nov. 1919 munus suum iniit.

R. P. Iacobus López de Rego (Prov. Tolet.) d. 22 iul. 1920 Provicarius Apostolicus Vicariatus Insularum Marianarum et Carolinarum creatur.

* * *

Administrationem suscipiunt:

5 aug. — R. P. Iacobus López de Rego Missionis Insularum et Marianarum Carolinarum Vicesuperior.

9 aug. — R. P. Franciscus X. Delany Missionis Jamaicensis Superior.

Missiones nuper susceptae.

Missionem *Patnensem* (in India) anno superiore a Societate susceptam Pater Noster Provinciae Missourianae attribuit. Cum vero gubernium anglicum facultatem ingrediendi in illam regionem semper differret, Patres sex huic Missioni destinati ante finem huius anni non potuerunt proficisci.

Missio in insulis *Carolinis* et *Marianis* a S. Congregatione de Propaganda Fide Societati committitur. Ad quam excolendam Pater Noster deligit missionarios ex omnibus Provinciis hispanicis ea ratione ut Vicesuperior Missionis a nullo interim Provinciali, sed ab ipso Praeposito Generali pendeat (1). Mense decembri 1920 igitur 22 missionarii (11 PP. et 11 FF.) e quattuor Provinciis Hispaniae collecti, Massilia solverunt in Iaponiam, ut inde in Missionem insularum Carolinarum et Marianarum se conferrent. Sedes figent in insulis Seypán et Rota (Marianae), in Truck, Mortlock, Ponape, Palaos (Carolinae). Opera D. Yamamoto, ferventissimi catholici, gubernium iaponicum huic missioni semel et exceptionis gratia 10.000 yen concessit; quod est primum subsidium a gubernio iaponico Missioni catholicae oblatum; insuper missionariis nostris permissum est navibus iaponicis eodem pretio minimo uti quod milites solvunt.

E portu Singapur P. Tarragó et F. Cerdá (uterque Prov. Arag.), in aliam navem transeuntes, cursum in Novam Guineam versus deflexerunt curam ibi suscepturi magnae plantationis quam PP. Capuccini provida mente coeperant, ut ex eius fructibus Missionis sumptibus satisfieri posset. In urbe Tokyo novi missionarii

(1) *Acta Rom.*, III (1920), 280-282.

a Nostris summa caritate, a Delegato Apostolico sincera benevolentia, a magistratibus iaponicis magnis honoribus excepti, omnes ab rei classiariae administro in aedes consociationis navalis ad convivium splendide invitati sunt.

Cum tandem in Carolinas insulas pervenissent, indigenae laetitia et gaudio desideratos diu Patres salutaverunt et variis munusculis donarunt, magistratus vero iaponici eos summa observantia receperunt iisque in omnibus rebus maximo auxilio fuerunt.

Postquam S. Congregatio pro Ecclesia Orientali Societatem invitavit, ut curam Missionis in *Georgia* aperiendae susciperet, Pater Noster die 19 martii anni 1920 hanc expeditionem Provinciae Neapolitanae obtulit, quae libenter eam acceptavit, cum, Missione Novi Mexici et Coloradensi inter Provincias Missourianam et Neo Aurelianensem divisa Sociis neapolitanis iam non esset campus in exteris nationibus.

Destinati sunt Georgiae ex Prov. Neapolitana P. Ioachimus Mosca, qui Missioni praeesset et Frater Coadiutor Vitus Colangelo; cum in illa republica praeter linguam georgicam praesertim gallica et russiaca usui sint, adiuncti sunt P. Ludovicus Baile ex Prov. Lugdunensi et P. Stanislaus Tyszkiewicz (Prov. Austriae) ex Russia oriundus. His Patribus a S. Sede impositum erat, ut catholicos excolerent et schismaticos bonae voluntatis viam ad unitatem docerent totamque regionem perlustrantes, quid ad rem catholicam ibi augendam fieri posset explorarent.

Missionarii die 16 novembris ad S. Patrem admissi et Apostolica benedictione recreati se iam accingebant ad iter suscipiendum, cum pridie quam profecturi erant rumor (postea comprobatus) est sparsus bolschevicos russos irruptione in Georgiam facta rerum potitos esse. Quae cum ita essent, missionarii iter suum distulerunt. Quam prudenter id fecissent, postea cognitum est, cum Georgiae Administrator Apostolicus RR. DD. Natalis Moriondo O. P. qui Patres exspectaverat, per S. Congregationem iis mandavit, iter differrent, nuntios meliores exspectarent. Ne tamen tempus perderent, Socii neapolitani interim in Provinciam redierunt et alii duo Patres propius ad campum ipsis demandatum accedentes Constantinopolim se contulerunt ut ibi profugos russos, qui post cladem ducis Wrangel illuc convenerant, adiuvarent. Spes eventum non fefellit; nam non paucos nec mediocris conditionis homines ad Ecclesiam reduxerunt et parvo convictu aperto fere triginta pueros russos e summa miseria eripuerunt.

NUNTII EX MISSIONIBUS.

Missio in Syria et Armenia (Prov. Lugd.).

Damasci summis obiciebantur Nostri periculis, cum Faiçal princeps, regis Hedjaz filius, novum imperium arabicum instituere conaretur et mahumetani odiose scriptis excitati et superstitionis furore excandescentes christianis mortem atque excidium minarentur. Cui tempestati Nostri cum ceteris religiosis prudenter cedentes urbem ad tempus reliquerunt; unus tantum Frater Coadiutor, qui utpote patria arabus aliquatenus contra plebis rabiem protegebatur, annuentibus Superioribus remansit. Fractis vero paucos post dies principis Faiçal copiis, Patres redire potuerunt et domum suam inviolatam invenerunt.

Paulo ante victoriam a Gallis ex Arabis reportatam ingentes tumultus turbaverunt eam Missionis partem, quam Belad Bechara vocant. Mahumetani enim, qui in illa regione degunt permixti cum Christianis, horum pagos, impetu facto, direptos et spoliatos incendio dederunt et multos Christianos horrenda saevitia trucidarunt. Parva domus, quam Nostri in pago Ain Ibl sibi constituerant, ut Patres ad scholas visitandas vel ad sacrum ministerium exercendum in eam regionem venientes haberent quo deverterent, a seditiosis incendio destructa est una cum schola finitima et pro temporum iniquitate aedificia nondum refici potuerunt. Unde fit ut haec pars Missionis, Nostris ob insignes fructus ibi collectos valde cara, derelicta maneat, donec cum subsidia tum missionarii a Divina Providentia parentur.

Operariorum penuria Missionis labores generatim retardantur. Accedit quod infelix ille populus per hos annos periculorum perpetuo metu, extrema egestate, exilii miseriis, insectationibus Turcorum tanta passus est, ut nemo profecto miretur, quod etiam pietas et religio non parvum detrimentum ceperit, praesertim cum auxilium cleri Christianis fere deesset. Nunc tamen studio et opera missionariorum e variis Congregationibus paulatim res in meliorem statum redeunt. De Universitate Berytensi et scholis Missionis vide supra p. 296.

Specula quae in praedio Ksara (inter Libanum et Anti-Libanum sito) iam ante bellum a P. Bonaventura Berloty coepta, post pacem initam instaurata est, spem tantam facit, ut rerum periti

qui locum visitarunt dictitent eam quod ad partem seismographicam et magneticam attinet, mox inter primarias locum esse obtenturam.

In Armenia quoque incredibili patientia inter armorum strepitum et seditionum tumultus Nostri pristina opera in aliquibus Residentiis suscitare conati sunt. At frustra; nam ex domibus suis eiecti et quasi obsides a Turcis per complures menses detenti tandem autumno anni 1921 Missionem in qua laborare iam non licebat, non absque magnis difficultatibus relinquere debuerunt.

Adanae vero in Cilicia schola inchoata est, qua brevi 263 discipuli colligi potuerunt; paulo quidem post in hac quoque urbe hostium incursionibus infesta res diu ancipites manserunt, sed Patres labores suos prosequi potuerunt.

Missio Bengalensis (Prov. Belg.).

In Missione Bengalensi anno 1920 recensentur 159.743 catholici et 47.402 catechumeni, in Assamensi 4.692 catholici et 831 catechumeni. Singulis sacerdotibus in Bengala laborantibus obtingunt:

1.500 km²;
163.400 homines;
900 catholici;
268 catechumeni.

Summus Pontifex Seminario Kandyensi (1), quod est athenaeum superiorum studiorum clero saeculari Indiae munificentia Leonis XIII b. m. constitutum, hoc anno denuo 50.000 libellarum donavit atque Em. Card. Praef. S. C. de Propaganda Fide 25.000 lib. eidem attribuit ut angustiae maximae, quibus Seminarium premitur, paullum levarentur. Seminarium Archidioeceseos Calcuttensis in Ranchi situm et Societati commissum habebat 17 philosophiae et theologiae auditores indigenas, e quibus tres ad dioecesim Vizigapatamensem, unus ad Missionem Tibetanam, reliqui vero ad Archidioecesim Calcuttensem pertinebant. In fine anni duo initiati sunt sacerdotio. Quae ordinatio quarta ab exordiis Seminarii fuit; 13 sacerdotes Archidioeceseos Calcuttensis ex eo

(1) Situm quidem est in insula Ceylan, sed pertinet ad Missionem Bengalensem.

iam prodierunt; praeter hos alii 7 sacerdotes indigenae, in seminario Kandyensi educati, in Missione Bengalensi laborant.

In Schola Apostolica Ranchensi 30 pueri indigenae sunt, qui cursus scholae S. Ioannis Berchmans eum in finem frequentant, ut periculo publico rite superato sive in Seminarium dioecesanum sive in Novitiatum Societatis recipi possint.

Domus Ranchensis anno praeterito quidem erecta est in Domum Novitiatus, attamen in ea nondum sunt Novitii, sed qui habentur, adhuc in tirocinium Missionis Madurensis in Shembaganur mittuntur; Ranchii vero tertia Probatio omnibus Indiae Missionibus communis habetur, ad quam decem Patres hoc anno convenerunt.

Missio in Chota Nagpore (Prov. Belg.).

Ut tota vastae Missionis in Chota Nagpore administratio facilior atque securior evaderet, ex anno 1908 in districtus dividi coepta est, quorum nunc quinque habentur: Ginabaharensis, Khuntensis, Ranchensis, Rengariensis, Tongensis. Ultimus tempore est Ginabaharensis qui duas recenter in regno Iashpur coeptas Stationes comprehendit, quarum una — Ginabahar — in Residentiam erecta alteram — Gholeng — dependentem habet. Cum regnum Iashpur suas habeat leges et consuetudines proprias, hae duae domus in districtum, ab aliis Residentiis in territorio britannico sitis separatum, coniunctae sunt. Horum districtuum Superiores quotannis convocantur, ut et disciplinae religiosae et dioecesanae administrationi efficacius provideatur.

Duae ecclesiae saeculares, i. e. ad dioecesim, non ad Societatem pertinentes, hoc anno a Nostris perfectae sunt, una in Dhanbad, in Kesramal altera.

Consecratio Familiarum ubique celebratur, praesertim vero laudandum est studium fidelium Stationis Mandar, ubi pagi integri SS. Cordi se devoverunt et missionarii non sine magno gaudio cernunt hoc sacro ritu frequentiam sacramentorum non parum auctam esse.

In nonnullis Residentiis, quarum territorium latius patet, novae Stationes praeparantur in quibus, cum primum sacerdotum et rei familiaris copia id permittet, missionarius sedem stabilem figet, ut divisione paroeciae facta fideles, qui nunc a templo et sacer-

dote longius absunt, diligentius in vita christiana exerceri possint et regnum Christi inter ethnicos efficacius extendatur.

Collegium S. Francisci Xav. Calcuttense scholam continet humanitatis atque cursus Universitarios. Illius alumni sunt praecipue Europaei et catholici et protestantes; in his 800 auditores numerantur fere omnes indigenae non christiani, quos Nostri ad pericula Universitatis Calcuttensis facienda parant. Collegium nostrum inter reliqua non pauca huius urbis semper eminuit scientiis naturalibus et mathematicis. Hoc anno Nostri ab Universitate rogati cursum superiorem Litterarum adiecerunt.

In Collegio S. Ioseph Darjeelingensi humaniora docentur et alumni ad certa munera publica praeparantur; discipuli quorum longe maior pars catholicam fidem profitetur, e variis vastissimi indici imperii partibus in hanc salubrem montium regionem a parentibus libenter mittuntur.

Schola Ranchensis S. Ioannis Berchmans, Domui Probationis annexa, educationem atque diligentiorem in litteris institutionem praebet indigenis nostris catholicis, qui ex variis missionis districtibus ut convictores mittuntur, necnon aliquot pueris paganis in urbe ipsa habitantibus; alumnos suos parat ad examen admissionis in Universitatem Patnensem. Haec schola Ranchensis alteram quoque adiunctam habet in qua ludimagistri Missionis erudiuntur. Ranchii igitur sunt:

Seminarium Archiepiscopale S. Alberti;
Schola S. Ioannis Berchmans;
Schola Apostolica;
Schola ludimagistrorum.

Calcuttae schola S. Antonii pro pueris indigenis etiam humilis conditionis magnis quidem angustiis premitur, sed bene procedit. Hoc anno novum aedificium, undique emendicata stipe, constructum est et discipuli classis superioris examen ultimum coram gubernii legatis primum subierunt.

* * *

Puellis educandis in Chota Nagpore operam navant duae Congregationes Sororum, una europaea (Ursulinae ex Thildonck in Belgio), altera indigenarum (Filiae S. Annae), abhinc viginti annos condita. Cum Sorores indigenae auxilio europaearum iam non indigere viderentur, initio huius anni omnino solutum est

vinculum quo adhuc duae hae congregationes iungebantur. Sorores europaeae numero 20 in quattuor Stationibus principibus manent, indigenae vero (50), praeter novitiatum in Ranchi situm, octo parvas communitates in variis Missionis partibus habent; unde laeti fructus sperantur pro familiis christianis.

In regione bengalensi (Calcutta et Morapai) similis indigenarum Sororum Congregatio constituta est; cum vero paucae sint, adhuc vivunt sub ductu Sororum Lauretinarum (ex Hibernia).

Missio Madurensis (*Prov. Tolos.*).

Societas in India iam ex aliquo tempore domos omnes habet, in quibus Sociorum institutio fiat et perficiatur: tirocinium, studia humana et philosophica sunt Shembaganuri in Missione Madurensi; theologia vero Kurseongi et tertia Probatio Ranchii in Missione Bengalensi.

Hoc anno primus e brahmanarum classe humilem amplexus Christi sequelam in tirocinium Shembaganurense admissus est.

In Schola Apostolica quam 12 iuvenes mense decembri anni 1918 inchoarunt, nunc recensentur 36 alumni diversi quidem casta (Maratti, Assari, Paravers, Agambadi, Vellages), sed omnes caritate atque concordia iuncti. Hi sex annos instituuntur et scholas frequentant Collegii S. Mariae. Ante illud tempus pueri qui sacerdotes fieri volebant, in orphanotrophio alebantur.

Cum in urbe Madras nullum exstaret collegium catholicum, ubi iuvenes ad gradus Universitarios adipiscendos praepararentur, complures vero ibidem eiusmodi scholae florerent ethnicorum et protestantium, Archiepiscopus Patres madurenses rogavit, ut Collegium suum Trichinopolitanum in urbem Madras transferrent. Varias ob causas huic voluntati obsequi Nostri non potuerunt et aliae quoque Congregationes religiosae ab opere tanti moliminis aggrediendo deterrebantur. Anno 1918 RR. Praesul id tandem obtinuit, ut tres Patres trichinopolitani sibi concederentur qui scholam secundariam S. Gabrielis regendam susciperent. Nunc vero spes est fore ut, cum S. Sedes ipsa id exoptet, Collegium Universitarium in illa urbe a Nostris erigatur.

Missio Madurensis ipsa anno 1920 numerabat 267.092 christifideles; multimodas eius scholas (elementorum, secundarias, industriales etc.) 27.587 discipuli frequentabant.

Missio Nankinensis (Prov. Franciae).

Visitator Apostolicus missionum inter Sinas, RR. DD. de Guébriant, ad Changai appulit die 22 mensis februarii (1920); postridie complures Superiores et Procuratores ad se convocavit; die 24 in Tong-ka-don nosocomio, quod christianus quidam indigena erexerat, concionem habuit ad 100 ex civitatis primoribus fidelibus qui modo Exercitia Spiritualia absolverant. Die 25 Missam in templo Zi-ka-wei celebravit et de Ecclesiae apostolicitate breviter ad turbam verba fecit. Postea missionarios ad secessum annuum congregatos excepit necnon seminaristas qui sacris ordinibus suscipiendis se parabant. Proximo die invisit Carmelitarum et Auxiliatricum domos et orphanotrophium T'ou-sè-wè. Die 28 in urbem Hong-kong profectus est. Quotidie in domo Procuratorum Parisiensis Societatis Missionum Exterarum conventum habuit omnibusque tam Europaeis quam Sinis sui copiam fecit.

Patres Collegii S. Ignatii in Zi-ka-wei, 70um festum anniversarium diei natalis scholae medio mense novembri (1920) celebrantes, Summi Pontificis benedictione confortati sunt; Praeses vero reipublicae sinensis misit tabulam, in qua ipse calamo inscripserat quattuor magnas litteras, quibus significatur: « Fama adaequat Schall et Verbiest ». Qui olim huius scholae alumni fuerant, ad festa celebranda convenientes societatem inter se inierunt. Universi discipuli Collegii ex anno 1856 usque ad annum 1920 sunt 3956, inter quos 98 sacerdotes et 28 religiosi non sacerdotes numerantur (plus quam 3%). Nunc 428 discipuli recensentur.

Quanto institutio christiana in Universitate Aurorae (Schola B. Petri Canisii in Lou-ka-wè. Miss. Kiang-nan, Prov. Franc.) eam quam laicam vocant superet, res ipsae haud obscure demonstrant. Cum enim in publicis et in Protestantium scholis discipuli, toti mercibus iaponicis prohibendis, destruendis rapiendisve intenti, ab omni fere labore cessent, nostri continenter quieti et studiis addicti permanent. Id etiam magis apparet in iuvenibus qui ad studia prosequenda in Europam mittuntur. Nostri sorte sua contenti assiduo labore excellunt, magistrorum memores saepe honeste in unum conveniunt; illi vero ut plurimum imparati, decepti moleste ferunt conditionem saepe miseram, rerum novarum cupidi semper prompti sunt ad seditiones fovendas.

Non iam solum in urbe Peking, sed etiam Nanking inter ma-

gistratus nonnulli inveniuntur, qui olim Universitatem nostram frequentaverunt. Nunc 235 auditores in ea habentur.

Ab anno 1900 usque ad annum 1920 numerus christianorum in Missione Kiang-nan plus duplo crevit, nimirum in Kiang-sou ex 1 ad 1,73 in Ngan-hoei autem ex 1 ad 5,30.

Sollemnes in honorem B. M. V. pompae mense maio variis locis e. g. in Liu-hoan-tsi (Ngan-hoei) et in Dang-mou-ghiao (Kiang-sou) celebratae in fidelibus devotionem et amorem, in reliquis vero reverentiam erga Matrem Dei et sanctam fidem auxerunt.

Ad montis Zô-cè templum B. M. V. dicatum, mense octobri pii peregrini non pauci ex vicina provincia Tche-kiang Dei Genitricem venerabundi venerunt, alii ex Hang-tcheou via ferrea, alii ex Hou-tcheou cymbis utentes; optimum religionis atque pietatis exemplum omnibus praebuerunt.

Incolae urbis Chang-hai calamitate finitimarum provinciarum, quae dura fame premebantur, commoti aliquot milia puerorum et adolescentium in domos suas receperunt; 30 pueri orphanotrophio nostro in T'ou-sè-wè commissi sunt. Huius instituti maior pars ultimis anni 1919 diebus incendio destructa est.

Mense iunio Pater quidam scribebat in regione sua multas excitari turbas, discipulorum adversus magistros simul et Iapones, rusticorum adversus magistratus, latronum adversus cives. Ipse vero, cum iter faceret, die 12 mensis iulii incidit in manus 250 latronum, quorum turma dimissis praesertim militibus, aliquot insuper christianis et compluribus ex Europa reducibus operariis, constabat. Obsides iam aderant circiter 300, tam mulieres quam viri. Dum christiani frustra rogant subpraefectos ut Patrem liberare conarentur, dumque latrones ad aliam regionem fugiunt, ille cum ipsis sex diebus mansit, plerumque bene tractatus. Primum ad eius redemptionem 300.000 patacarum expostulabantur; postea, cum advenisset administrator christianus, hic tanquam obses suffectus est in locum Patris, qui a latronum ducibus ad mandarinos missus est ut iis veniam et in exercitum cooptationem impetraret. Cum ad praedones rediit, iam alii numero circiter 600 iis se adiunxerant, qui conditiones pacis a mandarinis statutas respuerunt. Pater tamen sine pretio remissus est administratorque christianus, postquam per quattuor hebdomadas eorum fugae interfuit, pariter sine pretio restitutus est, pridie festi diei Assumptionis.

Missio Tche-li merid.-orient. (Prov. Camp.).

Cum a mense augusto a. 1919 usque ad mensem septembrem 1920 pluvia deficeret (his mensibus in urbe Sienhsien tantum 52 mm. pluviometrum indicavit), fames exorta est post hominum memoriam gravissima. Paucis dumtaxat locis tertia pars solitae messis collecta est; in reliquis nulla fuit. Terra duos vomeres profunda dissolvebatur in pulverem; mox grana omnia, omnia cibaria consumuntur; flumen quo quae necessaria sunt hominibus comportari debent, sole siccitateque exhauritur cumque in his regionibus ad ignem alendum alia materia non adsit ac varius frutex, nihil habetur quo frigus arceatur. Malesuada fames imperare incipit: unde latrocinia, neces, suspendia, veneficia. Magnae hominum turbae ut famem effugiant alio devertunt, sed populi finitimi miseros advenas repellunt; sunt qui omnibus escis quae supererant una suprema cena consumptis, sibi ipsi mortem consciscant. Cuiusvis sectae superstitionisque homines supplicationes instituunt atque voluntariis corporis afflictationibus deorum iram expiare conantur.

In summa hac calamitate misero populo caritas atque Nostrorum labor non defuit. RR. DD. Lécroart, Vicarius Apostolicus, scholas aperiendas curavit, in quas parvuli colligerentur ut una cum doctrina quotidie acciperent quinque numulos (5 cents = 50 centimes), quibus ipsi eorumque parentes, quamvis aegre, vivere possent; numerus horum discipulorum ad 20.000 auctus est. Ad quod opus sustentandum non parva auxilia suppeditata sunt a consiliis ex omnium nationum hominibus constitutis quae aes plurimum acceperunt praesertim a Sinis, qui in America mercaturam exercentes non raro magnas opes sibi comparant. Cum his consiliis Protestantes praeessent, caverant, ne illis scholis religio propagaretur. Sponte vero magna discipulorum pars, profana institutione finita, ad audiendam doctrinam christianam venit (1). Attamen neque propriis Missionis scholis (numero 2075, mense iul. 1921), in quibus maxime fidei veritates docentur defuit generosa catholicorum Galliae caritas: ex regionibus ipsis bello vastatis magna pecuniae vis est missa ad fratrum

(1) Huius generis scholae mense iulio 1921 erant 1739 cum 37.717 discipulis e quibus 22.438 ethnici.

sinensium egestatem sublevandam. Ratio illa qua Episcopus et Patres in quantum per opes licuit, omnes ipsosque ethnicos adiuverunt multorum animos tam vehementer perculit ut baptismum peterent. « Pueri, modo pagani », scribit quidam e Nostris, « doctrinam christianam, cuius sunt avidissimi, lactis instar hauriunt. Ipsi, cum parentes ad superstitionis ritus a maioribus traditos confugere vident, eos vehementer monent et exhortantur ne id faciant, dicentes hac ratione daemoni honorem Deo soli debitum nefarie tribui animamque propriam inferno devoveri. Nuper audivi parvulum ante duos menses nondum christianum rogantem a nobis pias precationes ut familia eius converteretur. Mirum est quomodo gratia divina in puerorum animis operetur. Virgo quaedam (ex iis quae catechismum docent) mihi dixit: cum doctrina christiana eis explicatur, diceres eos iam novisse veritates quas docere incipimus. Audiuntur per vicos discipuli laudes B. Mariae Virginis cantantes; nuper in moenibus urbis, quae ab ethnicis fere solis incolitur, pueri salutationem angelicam cecinerunt. Ipsi catechumeni miseros qui fame vel morbo pereunt, morientes baptizant » (1).

Quotannis 3-7000 hominum in hac Missione ad fidem convertuntur, sed fidei obstaculo gravissimo adhuc est haberi religionem catholicam veluti propriam gentium exterarum.

Per autumnum anni 1920 studia theologica modeste coepta sunt in Tai-ming-fou (4 Schol. Soc. et 5 seminaristae saeculares; Nostri autem primo anno ibi confecto studia in Europa prosequuntur).

In eadem urbe abhinc paucos annos una erat familia catholica. Nunc autem templum modo perfectum, quod duo vel tria milia hominum continet, omni die dominico expletur vel fere expletur.

In typographia Missionis (in urbe Sienhsien) 50-100 operarii occupantur. Lexicon sinense-gallicum, a PP. Couvreur et Wieger compositum, praecipue in Germania et Russia frequenter vendebatur.

---

(1) Melius autem quam verbis explicatur numeris quantopere res catholica in Missione Tchelensi merid.-orien. hoc anno famis aucta sit.

	Numerus discipulorum:	catechumenorum:
mense iul.	1920: 11.131	1920: 7.408
»	1921: 40.617	1921: 46.066
	augm. 364 %	augm. 673 %

RR. DD. Lécroart precibus atque auctoritate obtinuit, ut missionarii germani e Societate Verbi Divini (Steyl) iamiam expellendi in missione sua (San-Tong) remanere possent.

Missio Iaponica.

Schola Tokyensis ob magnam magistrorum penuriam lente quidem, sed continenter instituto itinere progreditur. Numerus eorum qui, ut ad eius cursus admittantur petunt, quotannis augetur.

Fere 30 nostri discipuli rogaverunt ut in religione christiana instituerentur. Praeterea P^i^. Hoffmann novus non parvae spei campus apertus est, cum invitaretur ut apud alumnos scholae praeparatoriae ad Universitatem imperialem de nostra fide dissereret. Cum optimus quisque totius Iaponiae discipulus in eam summae auctoritatis scholam ingredi conetur, ii qui Patrem ibi audierunt, iuvenes revera selecti e milibus dici possunt. 50 vel 60 alumni primae orationi de fine vitae interfuerunt.

Ad similia disputanda eundem Patrem vocaverunt etiam in Universitatem Keiyo, quae est antiquissima et celeberrima Universitatum privatarum. Uno verbo dici postest animos praecipue politorum hominum, at non horum tantum miro quodam impetu trahi ad nostram sanctam fidem.

P. Ios. Dahlmann mense iunio a. 1920 in facultatem philosophicam Universitatis imperialis professor ordinarius, ut dicunt, cooptatus est. Adhuc ibi lector tantum litteraturae germanicae erat.

MISSIO IAPONICA

INEUNTE ANNO 1921

DOMUS TOKYENSIS

(Kojimachi, Kioicho 7, Tokyo, Iaponia.)

R. P. IOANNES GUIM

Visitator Missionis (Prov. Arag).

P. Hermannus Hoffmann, Sup. Miss. a die 24 sept. 1910; Doc. hist. phil., theod., eth., ling. germ. — Prov. Germ.

P. Henricus Boucher, Min., Proc., Praef. eccl. et val., Doc. ling. angl., coll. pp. pro litt. ann., Cons. an. 11. — Prov. Franc.

P. Dahlmann Iosephus, Adm., Praef. spir., Doc. litt. germ. et graec. in Univ. Imperiali et litt. germ. in schola nostra, Script. — Prov. Germ.

P. Gettelman Victor, Doc. phil., oecon. nation., ling. angl., Conf. dom., Cur. agit typogr., Cons. an. 8. — Prov. Missour.

P. Gross Ioan. a Cruce (Extra domum) stud. rebus commerc. in Univ. Coloniensi. — Prov. Germ.

P. Guasch Antonius, Doc. ling. hisp. et germ. — Prov. Arag.

P. Keel Robertus, Doc. litt. et ling. germ. et angl., geograph. et arithm. commerc., Praef. bibl. — Prov. Missour.

P. Mac Neal Marcus colligit pecuniam pro fundat. Univ. — Prov. Maryl.-N.E.

P. Pockstaller Theodorus, Doc litt. germ. et ling. angl. — Prov. Germ.

P. Tsutsihashi Paulus, Doc. ling. sin. et math., Conf. dom., Cons. an. 8. — Prov. Franc.

Sacerdotes 9.

CONVENTUS INDORUM CATHOLICORUM.

Catholici Indi (Americani autochthones), ex gente dicta « Sioux », conventum apud Missionem nostram S. Rosarii (Prov. Miss.) in Statu Dakota Meridionali, a die 16 ad diem 20 iulii, concursu frequente, pietate notabili, magno gaudio celebrarunt, fructu non parvo inde secuto. Finis eiusmodi conventuum est tum religiosus tum socialis; nimirum primus, ut per illud tempus instructio amplior ignaris sane compluribus impertiatur, ut fervor novus in omnibus excitetur, ut occasio quam plurimis praebeatur recipiendi sancta sacramenta; secundus, ut quaestiones ad bonum morale Indorum pertinentes ab ipsis discutiantur.

Convenae plus trecenti more Israelitarum in deserto, in tentoriis per colles scholae nostrae circumiacentes erectis habitabant, dum in media valle tabernaculum peramplum pinis silvestribus exstructum, ad Sacra sollemniora necnon ad congressiones generales destinatur. Tria milia hominum et amplius numerabantur. Gens illa « Sioux » eo notata est, quod inter om-

nes autochthonum tribus ultima sese gubernio americano submiserit.

Primo die adfuit RR. DD. Lawler, Ordinarius illius dioecesis (Lead, South Dakota), ut conventui sollemniter initium daret; qui etiam eodem die, assistentibus nostris missionariis nonnullisque aliis sacerdotibus, octoginta neophytos, fere omnes adultos, sacro chrismate confirmavit. Adfuit etiam toto conventus tempore, R. D. Ketcham, ab Indis cognominatus « Aquila vigilans », qui per annos vigintiquinque, primo ut missionarius dein ut moderator consilii Missionibus Catholicis apud Indos tuendis (Director of the Bureau of Catholic Indian Missions), ita strenue et devote adlaboravit ut iis carissimus factus, hac quoque occasione magnae laetitiae significatione ab omnibus exciperetur.

Singulis diebus tria Sacra in templo horis tempestivis oblata sunt, inter quae complures ad Sacram Synaxim accesserunt; hora vero nona in tabernaculo Missa sollemnis celebrata est, Indis ipsis hymnos vernaculos cantantibus. Reliquo die fideles rudiores doctrina christiana instituebantur et confessiones frequentes audiebantur. In his operibus catechistae indigenae missionariis maximo adiumento sunt, quippe qui non tantum rudes sedulo edoceant, sed et reliquos qui spirituali auxilio indigent diligenter exquirant eosque ad Patres adducant.

Horis pomeridianis congressiones generales habitae sunt, ipsis Indis non tantum sententiam dicentibus, sed etiam ordinem discussionis secundum regulas in eiusmodi conventibus acceptas moderantibus. Quaestiones vero religiosae et morales tractabantur ad ipsorum Indorum utilitatem et profectum pertinentes, ut de prolis educatione, de familia christiana, de malo divortii, de periculis fidei moribusque imminentibus. Mulieres etiam nativa eloquentia, miro aestu sententiam dicebant. Viri et mulieres, hinc inde separati et in circulo dispositi, in solo gramineo sedebant, oratores in medio stantes per nonnullas continenter horas attentis auribus auscultabant, approbationem opportune significantes exclamatione « hauh! hauh! » repetita et manuum plausu. In sessione generali die dominica habita matrona quaedam indica, e Protestantium secta ad catholicam fidem conversa, quae litteris exculta olim in officiis gubernii washingtoniensis stipendium meruerat, contra usum herbae cuiusdam soporiferae, vulgo « pevote » dictae, concinne et valide peroravit.

Duo proposita concordi acclamatione rata habuerunt: nimirum, 1° instandum esse apud gubernium, ut commercium ususque illius herbae noxiae lege ferenda prorsus prohiberetur; 2° a Gubernatore Status Dakota Meridionalis petendum esse, ut omni quo posset modo contra malum divortii ingravescens strenue ageret.

Negotiis absolutis et indicto conventu die 19 iul. proximi anni apud Rivum Corvorum (Crow Creek) celebrando, boni Indi domum sese receperunt, fide non parum firmati ac pietate refecti.

PARS TERTIA

STATISTICA QUAEDAM

ANNI MCMXX

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE
INEUNTE ANNO MCMXX

Assistentiae	Provinciae et Viceprovinciae	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	Augmentum Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
Italiae	Romana	185	89	80	354	— 1	— 6	2	— 5
	Neapolitana	96	55	62	213	—63	—42	—23	— 128[1]
	Sicula	106	45	72	223	— 8	— 1	1	— 8
	Taurinensis	156	62	49	267	— 4	4	— 4	— 4
	Veneta	205	57	96	358	— 7	4	— 1	— 4
	Socii Assist. Italiae	**748**	**308**	**359**	**1415**	**—83**	**—41**	**—25**	**— 149**
Germaniae	Austriae	202	66	88	356	—74	—32	—49	— 155[2]
	Belgica	672	411	196	1279	3	1	2	6
	Cecoslovachiae	60	18	36	114	60	18	36	114
	Germaniae	664	237	309	1210	3	39	— 5	37
	Hungariae	98	56	58	212	3	—	— 6	— 3[2]
	Jugoslaviae	51	27	35	113	9	23	8	40
	Neerlandica	294	155	132	581	— 6	11	— 2	3
	Poloniae	235	91	138	464	— 6	— 8	—	— 14
	Socii Assist. Germaniae.	**2276**	**1061**	**992**	**4329**	**— 8**	**52**	**—16**	**28**
Galliae	Campaniae	416	174	110	700	6	14	—10	10
	Franciae	435	131	153	719	— 6	5	— 8	— 9
	Lugdunensis	399	123	147	669	— 9	—13	— 5	— 27
	Tolosana	397	155	118	670	— 4	15	— 7	4
	Socii Assist. Galliae	**1647**	**583**	**528**	**2758**	**—13**	**21**	**—30**	**— 22**
Hispaniae	Aragoniae	362	266	319	947	—10	22	2	14
	Argentino-Chilensis[3]	174	82	140	396	—	—	—	—
	Castellana	391	261	338	990	— 1	22	12	33
	Legionensis	229	154	163	546	— 2	17	7	22
	Lusitana	163	77	109	349	— 3	1	4	2
	Mexicana	163	83	78	324	— 3	—	—	— 3
	Toletana	278	176	223	677	—11	18	8	15
	Socii Assist. Hispaniae	**1760**	**1099**	**1370**	**4229**	**—30**	**80**	**33**	**83**
Angliae	Angliae	430	206	114	750	— 5	28	— 3	20
	Canadensis	150	207	115	472	1	—10	— 3	— 12
	Hiberniae	213	131	56	400	3	5	— 2	6
	Socii Assist. Angliae	**793**	**544**	**285**	**1622**	**— 1**	**23**	**— 8**	**14**
Americae	Californiae	191	188	106	485	2	7	3	12
	Maryland.-Neo Ebor.	424	527	129	1080	17	—	— 8	9
	Missouriana	456	400	166	1022	33	58	5	96
	Neo Aurelianensis	159	99	47	305	24	9	8	41
	Socii Assist. Americae	**1230**	**1214**	**448**	**2892**	**76**	**74**	**8**	**158**
	Universi ineunte anno 1920	**8454**	**4809**	**3982**	**17245**	**—59**	**209**	**—38**	**112**
	» » » *1919*	8513	4600	4020	17133				
	Augmentum	**—59**	**209**	**—38**	**112**				

[1] Diminutio tribuenda est assignationi Missionis Novi Mexici Provinciis Americanis.
[2] Viceprovincia Cecoslovachiae a Provinciis Austriae et Hungariae separata est.
[3] Cum adhuc desideretur Provinciae Catalogus, qui referuntur numeri ad an. 1919 spectant.

PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU
INEUNTE ANNO MCMXX

MISSIONES	PROVINCIAE	Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
IN EUROPA					
Albania	Veneta	5	—	1	6
	Universi	5	—	1	6
IN ASIA					
Armenia	Lugdunensis.	20	—	8	28
Ceylon — *Gallensis*	Belgica	22	3	4	29
» — *Trincomaliensis*	Campaniae	16	—	3	19
India — *(Assam)*[1]	Belgica	6	—	—	6
» — *Bengalensis*	»	144	38	32	214
» — *Bombayensis*	Germaniae.	35	1	6	42
» — *Poonensis*		14	—	1	15
» — *Goana*	Lusitana	16	1	5	22
» — *Madurensis*	Tolosana	124	35	28	187
» — *Mangalorensis*	Veneta	48	11	13	72
Iaponia	. . . . .	9	—	—	9
Sinae — *Cantonensis*	Lusitana	5	2	2	9
» — *Nankinensis*	Franciae	150	11	42	203
» — *Tche-Li Merid. Or.*	Campaniae	59	6	14	79
Syria	Lugdunensis.	70	—	42	112
	Universi	738	108	200	1046
IN AFRICA					
Aegyptus	Lugdunensis.	40	—	18	58
Africa Merid. — *Zambesiana:*					
» — *Coloniae Capitis*	Angliae	20	—	9	29
» — *Rhodesiae Meridionalis*		38	—	23	61
» — » *Septentrionalis*	Poloniae	8	—	8	16
Congo — *Kwangensis*	Belgica	28	7	15	50
Madagascar — *Tananarivensis*		46	1	13	60
» — *Maurice*	Tolosana	5	—	4	9
» — *Réunion*		2	—	1	3
» — *Betsileensis*	Campaniae	36	—	11	47
	Universi	223	8	102	333
IN AMERICA					
Inter aborigenes *Alaska*	Californiae	13	—	10	23
» *Canadensis*	Canadensis	18	1	17	36
» *Dakotae Meridionalis*	Missouriana	12	2	20	34
» *Guianensis*	Angliae	20	—	—	20
» *Montium Saxosorum*	Californiae	18	1	14	33
» *Tarahumarensis*	Mexicana	8	—	10	18
Jamaica	Maryl.-Neo E.	18	—	1	19
	Universi	107	4	72	183
IN OCEANIA					
Malesia — *Celebes*		7	—	—	7
» — *Flores*	Neerlandiae	4	—	6	10
» — *Java*		48	5	2	55
» — *Mindanao*	Aragoniae	39	—	28	67
	Universi	98	5	36	139
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1920.		1171	125	411	1707
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1919.		1148	157	415	1720
Augmentum		23	—32	— 4	—13

[1] Haec Praefectura nobis commissa belli tempore adhuc a Nostris administratur.

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE
INEUNTE ANNO MCMXXI[1]

Assistentiae	Provinciae et Viceprovinciae	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	Augmentum			
						Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
Italiae	Romana	186	89	81	356	1	—	1	2
	Neapolitana	100	60	64	224	4	5	2	11
	Sicula	109	49	67	225	3	4	— 5	2
	Taurinensis	158	73	52	283	2	11	3	16
	Veneta	206	67	101	374	1	10	5	16
	Socii Assist. Italiae	**759**	**338**	**365**	**1462**	**11**	**30**	**6**	**47**
Germaniae	Austriae	208	62	89	359	6	— 4	1	3
	Belgica	690	407	197	1294	18	— 4	1	15
	Cecoslovachiae	74	33	53	160	14	15	17	46[2]
	Germaniae Inf. et Sup.	687	264	306	1257	23	27	— 3	47
	Hungariae	90	59	46	195	— 8	3	—12	— 17[2]
	Jugoslaviae	51	23	38	112	—	— 4	3	— 1
	Neerlandica	296	164	127	587	2	9	— 5	6
	Poloniae	232	90	142	464	— 3	— 1	4	—
	Socii Assist. Germaniae	**2328**	**1102**	**998**	**4428**	**52**	**41**	**6**	**99**
Galliae	Campaniae	426	176	110	712	10	2	—	12
	Franciae	439	144	149	732	4	13	— 4	13
	Lugdunensis	392	136	155	683	— 7	13	8	14
	Tolosana	416	143	122	681	19	—12	4	11
	Socii Assist. Galliae	**1673**	**599**	**536**	**2808**	**26**	**16**	**8**	**50**
Hispaniae	Aragoniae	365	271	321	957	3	5	2	10
	Argentino-Chilensis	170	101	134	405	— 4	19	— 6	9
	Castellana	385	269	344	998	— 6	8	6	8
	Legionensis	228	161	165	554	— 1	7	2	8
	Lusitana	166	75	106	347	3	— 2	— 3	— 2
	Mexicana	163	81	78	322	—	— 2	—	— 2
	Toletana	276	185	217	678	— 2	9	— 6	1
	Socii Assist. Hispaniae	**1753**	**1143**	**1365**	**4261**	**— 7**	**44**	**— 5**	**32**
Angliae	Angliae	440	199	115	754	10	— 7	1	4
	Canadensis	150	221	119	490	—	14	4	18
	Hiberniae	218	129	62	409	5	— 2	6	9
	Socii Assist. Angliae	**808**	**549**	**296**	**1653**	**15**	**5**	**11**	**31**
Americae	Californiae	196	196	104	496	5	8	— 2	11
	Maryland.-Neo Ebor.	436	530	121	1087	12	3	— 8	7
	Missouriana	470	408	167	1045	14	8	1	23
	Neo Aurelianensis	163	92	45	300	4	— 7	— 2	— 5
	Socii Assist. Americae	**1265**	**1226**	**437**	**2928**	**35**	**12**	**—11**	**36**
	Universi ineunte anno 1921	**8586**	**4957**	**3997**	**17540**	**132**	**148**	**15**	**295**
	» » » *1920*	8454	4809	3982	17245				
	Augmentum	**132**	**148**	**15**	**295**				

[1] Cum hic Prospectus potius statum anni 1920 exhibeat, inter statistica huius anni eum inserimus.
[2] 34 Socii Prov. Hungariae interim Viceprov. Cecoslovachiae adscripti sunt.

PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU
INEUNTE ANNO MCMXXI

MISSIONES		PROVINCIAE	Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
IN EUROPA						
Albania		Veneta	5	—	1	6
		Universi	**5**	—	**1**	**6**
IN ASIA						
Armenia		Lugdunensis.	20	—	8	28
Ceylon	*Gallensis*	Belgica	23	6	4	33
»	*Trincomaliensis*	Campaniae	16	—	3	19
India	*(Assam)* [1]	Belgica	6	—	—	6
»	*Bengalensis*	Belgica	159	50	30	239
»	*Bombayensis* [2]	. . . . .	35	1	6	42
»	*Goana*	Lusitana	20	1	6	27
»	*Madurensis*	Tolosana	152	56	34	242
»	*Mangalorensis*	Veneta	50	12	13	75
»	*Poonensis*	Germaniae.	12	—	1	13
Iaponia		. . . . .	10	—	—	10
Malesia	*Celebes*	Neerlandiae	7	—	—	7
»	*Java*	Neerlandiae	58	7	7	72
Philippinae	*Mindanao*	Aragoniae	40	—	25	65
Sinae	*Cantonensis*	Lusitana	7	3	2	12
»	*Nankinensis*	Franciae	152	9	41	202
»	*Tche-Li Merid. Or.*	Campaniae	57	6	14	77
Syria		Lugdunensis.	75	9	43	127
		Universi	**899**	**160**	**237**	**1296**
IN AFRICA						
Aegyptus		Lugdunensis.	35	1	16	52
Africa Merid.	*Zambesiana:*					
»	*Coloniae Capitis*	Angliae	15	—	9	24
»	*Rhodesiae Meridionalis*	Angliae	39	—	24	63
»	» *Septentrionalis*	Poloniae	8	—	8	16
Congo	*Kwangensis*	Belgica	32	7	17	56
Madagascar	*Tananarivensis*		46	4	12	62
»	*Maurice*	Tolosana	5	—	3	8
»	*Réunion*		3	—	1	4
»	*Betsileensis*	Campaniae	34	—	10	44
		Universi	**217**	**12**	**100**	**329**
IN AMERICA						
Inter aborigenes	*Alaskana*	Californiae	14	—	10	24
»	*Canadensis*	Canadensis	18	1	16	35
»	*Dakotae Meridionalis*	Missouriana	12	2	21	35
»	*Guianensis*	Angliae	20	—	—	20
»	*Montium Saxosorum*	Californiae	18	—	14	32
»	*Tarahumarensis*	Mexicana	10	—	10	20
Jamaica		Maryl.-Neo E.	19	—	2	21
		Universi	**111**	**3**	**73**	**187**
IN OCEANIA						
Carolinae et Marianae		Hispanicae	13	—	12	25
		Universi	**13**	—	**12**	**25**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1921			**1245**	**175**	**423**	**1843**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1920			1171	125	411	1707
Augmentum			**74**	**50**	**12**	**136**

[1] Haec Praefectura nobis commissa belli tempore adhuc a Nostris administratur.
[2] Numeri anni superioris hic exhibentur.

NUMERUS SOCIORUM SINGULARUM PROVINCIARUM CUM NUMERIS INCOLARUM ET CATHOLICORUM COMPONITUR (1920).

PROVINCIAE.	Incolae	Catholici	Socii	Pro 10.000 catholicorum Socii
	1	2	3	4
Romana	9.000.000	9.000.000	356 (314)[1]	0,39 (0,35)
Neapolitana	7.800.000	7.800.000	224	0,29
Sicula	3.700.000	3.700 000	225	0,60
Taurinensis	5.200.000	5.200.000	283	0,55
Veneta	11.650.000	11.650.000	374 (344)[2]	0,33 (0,29)
Austriae	6.100.000	5.800.000	359 (274)[3]	0,62 (0,47)
Belgica	7.700.000	7.400.000	1.294	1,75
Cecoslovachiae	14.000.000	12.000.000	160	0,13
Germaniae Inf.	40.500.000	11.570.000	1.257	0,58
Germaniae Sup.	22.700.000	9.420.000		
Hungariae	7.500.000	4.700.000	195	0,42
Jugoslaviae	13.000.000	4.460.000	112	0,25
Neerlandica	6.200.000	2.060.000	587	2,85
Poloniae[4]	28.000.000	18.000.000	464	0,26
Campaniae	8.400.000	8.400.000	712	0,85
Franciae	15.900.000	15.900.000	732	0,46
Lugdunensis	7.750.000	7.750.000	683	0,88
Tolosana	8.200.000	8.200.000	681 (563)[5]	0,83 (0,68)
Aragoniae	6.100.000	6.100.000	957 (923)[6]	1,57 (1,51)
Argentino-Chilensis	14.700.000	14.000.000	405	0,29
Castellana	2.200.000	2.200.000	998 (846)[7]	4,54 (3,85)
Legionensis	4.800.000	4.800.000	554	1,15
Lusitana	6.150.000	6.150.000	347	0,56
Mexicana	15.500.000	14.000.000	322	0,23
Toletana	7.900.000	7.900.000	678 (602)[8]	0,86 (0,76)
Angliae	42.000.000	2.400.000	754	3,14
Canadensis	9.200.000	3.100.000	490	1,58
Hiberniae	4.400.000	3.250.000	409 (363)[9]	1,26 (1,12)
Californiae	10.800.000	915.900	496	5,40
Maryland.-Neo Ebor.	35.540.000	8.716.800	1.087	1,25
Missouriana	23.060.000	6.053.100	1.045	1,73
Neo Aurelianensis	36.280.000	1.550.600	300	1,93

NOTA. – Numeros quos in columnis 1 et 2 exhibemus vel ex Provinciis ipsis accepimus vel ex annuariis hausimus; aliqui, cum census publicus post bellum nondum notus sit, valde dubii videntur.

In columnis 1 et 2 indicantur ii tantum « incolae » et « catholici » qui in ipsarum Provinciarum territoriis degunt neque vero qui in Missionibus habitant. Quia vero aliquae Provinciae solito plures vocationes ex Missionibus vel ex alienis territoriis accipiunt, id augmentum numeris intra parenthesim ad columnas 3 et 4 appositis detractum est.

[1] Demptis sociis 42, ex Brasilia oriundis,
[2] » » 30, ex Indiis (18) et Albania (12) oriundis.
[3] » » 85, ex Germania (71) et Helvetia (14) oriundis.
[4] Prov. Poloniae terras populosas nunc comprehendit, e quibus quia laboribus Nostrorum ad hoc usque tempus occlusae erant, vocationes accipere fere nondum potuit.
[5] Demptis sociis 118, ex Indiis (66) et Hispania (52) oriundis.
[6] » » 34 ex insulis Philippinis oriundis.
[7] » » 152 ex Colombia oriundis.
[8] » » 76, ex Aequatoriana republica (71) et Peru Boliviaque (5) oriundis.
[9] » » 46 ex Australia oriundis.

SOCII INDIGENAE MISSIONUM INDICARUM
ANNO MCMXX

MISSIONES [1]	PROVINCIAE	Sacerdotes	Scholastici	Conditores	Universi
Bengalensis	Belgica . . .	1	5	1	7
Gallensis (Ceylon)	Belgica . . .	1	2	—	3
Madurensis.	Tolosana . .	33	24	25	82
Mangalorensis	Veneta . . .	13	9	3	25
Trincomaliensis (Ceylon) . . .	Campaniae .	1	6	—	7
Universi . . .	. . . . .	**49**	**46**	**29**	**124**

[1] In missionibus Bombayensi, Goana, Poonensi non habentur Socii indigenae.

DINUMERATIO CONGREGATIONUM B. MARIAE V.

PRIMAE PRIMARIAE AGGREGATARUM A DIE 1 IANUARII AD 31 DECEMBRIS 1920

	Pueri	Studiosi	Iuvenes	Sacerdotes et Clerici	Viri	Viri et Iuvenes	Virgines	Filiae Mariae	Mulieres	Mulieres et Virgines	Utriusque sexus	Summae
EUROPA												
Anglia	1	—	—	—	1	—	9	—	14	—	5	30
Austria	14	14	18	2	10	—	85	—	19	3	1	166
Belgium	1	—	16	—	—	—	32	—	—	—	—	49
Cecoslovachia	2	3	—	—	—	—	14	—	4	7	2	32
Gallia	1	7	4	—	—	—	66	—	2	—	3	83
Germania	2	12	49	1	5	2	241	1	1	—	2	316
Helvetia	1	—	9	—	—	—	19	1	1	—	—	31
Hibernia	—	—	1	—	1	—	—	—	1	4	—	7
Hispania	1	—	12	—	2	—	15	9	2	—	3	44
Hungaria	1	7	—	—	3	—	23	—	6	—	—	40
Italia	4	6	10	—	3	—	11	7	7	—	5	53
Jugoslavia	—	2	2	—	—	—	12	—	11	—	—	27
Lusitania	—	—	1	—	1	—	1	—	2	—	—	5
Neerlandia	2	—	9	—	2	—	12	—	1	3	—	29
Polonia	—	3	3	—	1	—	15	—	16	1	—	39
ASIA												
India	1	1	2	—	1	—	5	—	2	1	2	15
Sinae	—	—	—	—	—	—	—	—	2	—	1	3
Philippinae	1	1	2	—	1	—	2	—	—	—	1	8
AFRICA												
Varia loca	—	3	1	—	1	—	6	—	12	—	1	24
AMERICA												
Argentina	—	—	—	—	—	1	3	—	—	—	—	4
Brasilia	—	—	3	—	—	—	2	—	1	—	—	6
Canada	—	—	2	—	—	1	12	—	—	—	—	15
Chile	—	—	2	—	—	4	2	—	—	—	—	8
Mexico	1	—	1	—	2	1	2	—	4	17	2	30
Status Foederati	5	4	26	—	12	—	101	—	35	1	28	212
Varia loca	3	1	5	—	—	—	2	1	2	—	1	15
AUSTRALIA												
Varia loca	1	—	—	—	—	—	7	—	2	3	—	13
Summae	42	64	178	3	46	9	699	19	147	40	57	1.304

NUMERUS DISCIPULORUM

AUTUMNO 1920

I

IN IPSIS PROVINCIIS

PROVINCIAE ET VICEPROVINCIAE	SCHOLARUM	
	Mediarum	Superiorum
Romana	1.095	787
Neapolitana	690	107
Sicula	371	—
Taurinensis	595	—
Veneta	374	—
Assist. Italiae	**3.125**	**894**
Austriae	402	270
Belgica	7.513	403
Cecoslovachiae	482	—
Germaniae	739	—
Hungariae	740	—
Jugoslaviae	320	30
Neerlandica	1.261	—
Poloniae	427	—
Assist. Germaniae	**11.884**	**703**
Campaniae	2.657	—
Franciae	2.400	750
Lugdunensis	1.828	—
Tolosana	775	22
Assist. Galliae	**7.660**	**772**
Aragoniae	1.532	—
Argentino-Chilensis	2.499	97
Castellana	895	300
Legionensis	1.167	184
Lusitana	105	—
Mexicana	245	—
Toletana	1.794	705
Assist. Hispaniae	**8.237**	**1.286**
Angliae	2.906	—
Canadensis	1.674	32
Hiberniae	989	72
Assist. Angliae	**5.569**	**104**
Californiae	2.159	270
Maryland.-Neo Ebor.	10.131	3.206
Missouriana	7.279	7.418
Neo Aurelianensis	1.609	375
Assist. Americae	**21.178**	**11.269**
Universi	**57.653**	**15.028**

NUMERUS DISCIPULORUM

II

In Missionibus

Missiones	Provinciae	Scholarum Mediarum	Scholarum Superiorum
IN EUROPA			
Albania	Veneta	73	—
IN ASIA			
Armenia	Lugdunensis.	250	—
Ceylon — *Gallensis*	Belgica	480	—
» — *Trincomaliensis*	Campaniae	600	—
India — *Bengalensis*	Belgica	1.632	902
» — *Bombayensis*	. . . . .	1.160	1.050
» — *Goanensis*	Lusitana	2.300	—
» — *Madurensis*	Tolosana	2.547	952
» — *Mangalorensis*	Veneta	1.417	332
» — *Poonensis*	Germaniae	340	—
Iaponia — *Univ. Tokyensis*	. . . . .	—	160[1]
Malesia — *Iavensis*	Neerlandiae	310	—
Philippinae	Aragoniae	1.600	—
Sinae — *Cantonensis*	Lusitana	70	—
» — *Nankinensis*	Franciae	428	235
» — *Tcheli Mer. Or.*	Campaniae	90	—
Syria	Lugdunensis.	590	413
	Universi	**13.814**	**4.044**
IN AFRICA			
Aegyptus	Lugdunensis.	550	—
Africa Merid.	Angliae	260	—
Madagascar — *Tananarivensis*	Tolosana	263	—
	Universi	**1.073**	—
IN AMERICA			
Acquatoriana	Toletana	392	—
Brasiliensis — *Sept.*	Lusitana	693	—
» — *Centr.*	Romana	982	—
» — *Merid.*	Germaniae	1.437	40
Colombiensis	Castellana	1.486	101
Cubae	Legionensis	1.190	—
Peruviana	Toletana	1.294	—
	Universi	**7.474**	**141**
Australiae	Hiberniae	**818**	**122**
Universi in Missionibus		**23.252**	**4.307**
Univer i in Provinciis		**57.653**	**15.028**
		80.905	**19.335**
Universi s holarum mediarum et superiorum		**100.240**	

[1] Numerus mensis aprilis 1921, quando scholae instauratae sunt.

MISSIO KWANGENSIS

Prov. Belgicae

ANNUS	Catholici	Catechumeni	Baptismi		Confessiones	Communiones	Matrimonia
			puer. cath. parent.	infidelium (adult. et puer.)			
1901-1902 . .	2.424	1.619	39	610	21.269	19.209	78
1902-1903 . .	2.543	2.095	36	612	19.426	16.293	39
1903-1904 . .	2.580	2.178	45	597	19.963	19.983	71
1904-1905 . .	2.778	2.153	64	601	17.793	19.222	81
1905-1906 . .	3.164	3.313	85	1.215	21.322	24.804	119
1906-1907 . .	3.590	4.063	133	1.237	27.646	31.402	122
1907-1908 . .	4.145	4.128	157	1.368	31.664	36.116	127
1908-1909 . .	4.592	4.145	145	800	43.245	45.685	101
1909-1910 . .	5.013	3.994	183	1.090	45.331	49.735	126
1910-1911 . .	5.665	3.372	254	1.297	61.087	74.501	241
1911-1912 . .	6.655	2.915	327	1.115	75.391	99.953	212
1912-1913 . .	6.936	2.635	329	975	73.134	103.327	283
1913-1914 . .	8.265	2.683	473	999	82.579	118.592	223
1914-1915 . .	9.184	3.891	504	689	94.095	133.479	254
1915-1916 . .	10.450	5.595	680	822	89.101	182.331	234
1916-1917 . .	11.665	5.508	740	935	96.765	196.298	328
1917-1918 . .	12.439	7.996	798	1.363	105.869	234.581	317
1918-1919 . .	14.455	9.850	794	1.410	122.271	260.786	286
1919-1920 . .	15.535	10.940	3.245		130.651	275.152	334

CATALOGUS

DEFUNCTORUM IN SOCIETATE IESU

A DIE 1 OCTOBRIS 1919 AD DIEM 31 SEPTEMBRIS 1920 (1)

1. C. Simeon Guindon, nat. Saint-Joseph du Lac (Québec) 20 apr. 1893, ing. 24 sept. 1912, Coad. temp., ob. Montréal 1 oct. 1919; Prov. Canadensis.

2. P. Beniamin Ruiz, nat. León (Nicaragua) 1 mart. 1857, ing. 23 iul. 1873, Coad. spir. 10 oct. 1893, ob. Barranquilla (Colombia) 2 oct. 1919; Prov. Castellanae.

3. P. Ernestus Cugini, nat. Bergamo 18 apr. 1850, ing. 13 aug. 1887, Coad. spir. 15 aug. 1897, ob. Quarto dei Mille (Genova) 6 oct. 1919; Prov. Venetae.

4. C. Salvator Buffa, nat. Palermo 21 dec. 1830, ing. 22 feb. 1855, Coad. temp. form. 25 mart. 1893, ob. Bagheria (Palermo) 6 oct. 1919; Prov. Siculae.

5. P. Gasparus Sanctjohanser, nat. Lenggries (Bavaria) 7 feb. 1848, ing. 14 oct. 1874, Coad. spir. 15 aug. 1888, ob. Mariaschein 7 oct. 1919; Prov. Austriae.

6. S. Aemilius Valero, nat. Barcelona 26 maii 1895, ing. 23 iun. 1910, Schol. approb., ob. Tortosa (Tarragona) 11 oct. 1919; Prov. Aragoniae.

7. S. Franciscus Sal. Pongratz. nat. St. Andrä, Lavanttal (Carinthia) 28 ian. 1900, ing. 23 sept. 1917, Schol. approb., ob. St. Andrä 12 oct. 1919; Prov. Austriae.

8. C. Iacobus Ponsch, nat. Bonn (Germania) 16 oct. 1854, ing. 4 sept. 1875, Coad. temp. form. 2 feb. 1886, ob. Cleveland 12 oct. 1919; Prov. Missourianae.

9. C. Ioannes N. Rogl, nat. Malnitz (Carinthia) 25 mart. 1855, ing. 14 oct. 1880, Coad. temp. form. 2 feb. 1891, ob. Mariaschein 13 oct. 1919; Prov. Austriae.

10. P. Florianus Jubaru, nat. Bousbecques (Nord) 8 ian. 1860, ing. 21 ian. 1884, Prof. 4 vot. 2 feb. 1898, ob. Florennes (Belgium) 16 oct. 1919; Prov. Campaniae.

11. C. Daniel I. Husske, nat. Chelsea (Iowa) 21 iul. 1870, ing. 14 oct. 1908, Coad. temp. form. 2 feb. 1919, ob. S. Xavier (Montana) 18 oct. 1919; Prov. Californiae.

12. C. Daniel A. McLaughlin, nat. New York 26 ian. 1852, ing. 12 nov. 1874, Coad. temp. form. 15 aug. 1886, ob. Woodstock

(1) OMISSI IN CATALOGIS DEFUNCTORUM ANN. 1917, 1918-1919.

C. Antonius Kozielski, nat. Psarskie (Polonia maior) 10 iun. 1896, ing. 23 apr. 1914, Coad. nov., ob. tempore belli in Gallia anno 1917; Prov. Poloniae.

C. Ioannes Chrappa, nat. Pozsony-Szt-György (Com. Poson.) 27 dec. 1882, ing. 6 iun. 1912, disparuit tempore seditionis bolschevicorum initio aug. 1919; Prov. Hungariae.

(Maryland) 19 oct. 1919; Prov. Marylandiae – Neo Eboracensis.

13. P. Renatus Naulcau, nat. Luçon (Vendée) 4 apr. 1840, ing. 18 oct. 1868, Prof. 4 vot. 2 feb. 1883, ob. Angers (Maine-et-Loire) 26 oct. 1919; Prov. Franciae.

14. C. Simon Weninger, nat. Donauwörth (Bavaria) 6 ian. 1866, ing. 30 sept. 1885, Coad. temp. form. 3 feb. 1896, ob. São Leopoldo 26 oct. 1919; Prov. Germaniae.

15. C. Stephanus Kovalik, nat. Thurdossin (Com. Arva) 23 sept. 1844, ing. 13 aug. 1866, Coad. temp. form. 2 feb. 1877, ob. Trnava 27 oct. 1919; Prov. Hungariae.

16. C. Adolphus Festing, nat. Hennekenrode (Hannover) 6 oct. 1852, ing. 10 dec. 1891, Coad. temp. form. 2 feb. 1902, ob. Innsbruck 27 oct. 1919; Prov. Austriae.

17. P. Nicolaus Werlen, nat. Sion (Helvetia) 25 ian. 1886, ing. 7 sept. 1906, Coad. spir. 11 feb. 1918, ob. Trichinopoly (India) 28 oct. 1919; Prov. Tolosanae.

18. S. Iosephus Donner, nat. St. Andrä, Lavanttal (Carinthia) 15 aug. 1899, ing. 23 sept. 1917, Schol. approb., ob. St. Andrä 30 oct. 1919; Prov. Austriae.

19. P. Ioannes B. Bosc, nat. St. Eulalie (Aveyron) 22 sept. 1845, ing. 10 sept. 1863, Coad. spir. 2 feb. 1882, ob. Toulouse 2 nov. 1919; Prov. Tolosanae.

20. P. Henricus Wibaux, nat. Roubaix (Nord) 22 iun. 1846, ing. 14 apr. 1869, Coad. spir. 19 mart. 1882, ob. in Sinis 2 nov. 1919; Prov. Campaniae.

21. P. Aloisius Thiébaud, nat. Menotey (Doubs) 7 oct. 1863, ing. 25 oct. 1885, Coad. spir. 15 aug. 1902, ob. Lyon 2 nov. 1919; Prov. Lugdunensis.

22. C. Barnabas Dáyer, nat. Heremance (Valais, Helvetia) 11 iun. 1842, ing. 27 feb. 1879, Coad. temp. form. 15 aug. 1889, ob. Córdoba 3 nov. 1919; Prov. Argentino-Chilensis.

23. S. Ambrosius Alvarez, nat. Aras (Navarra) 17 dec. 1898, ing. 5 iul. 1915, Schol. approb., ob. Loyola (Guipúzcoa) 4 nov. 1919; Prov. Castellanae.

24. P. Carolus M. Pinto, nat. Vietri (Salerno) 21 iul. 1841, ing. 7 oct. 1855, Prof. 4 vot. 2 feb. 1876, ob. El Paso (Texas) 5 nov. 1919; Prov. Neo Aurelianensis.

25. P. Timotheus Guinee, nat. Banteer, (Co. Cork) 3 aug. 1851, ing. 12 nov. 1874, Prof. 4 vot. 15 aug. 1893, ob. Sydney 5 nov. 1919; Prov. Hiberniae.

Podgórski F., 10 sept.
Pongratz F., 12 oct.
Pons F., 17 iul.
Ponsch I., 12 oct.
Pradel F., 5 dec.

Quill P., 23 ian.

Ramos A., 23 maii
Rapatel A., 22 apr.
Reali I., 5 nov.
Renaud F., 3 mart.
Reummen I., 14 dec.
Reyero E., 6 mart.
Rincón A., 1 apr.
Riotta P., 8 nov.
Rivas A., 15 dec.
Rivière E., 27 nov.
Robichaud F., 6 iun.
Robinson I., 25 ian.
Rogl I., 13 oct.
Rojas H., 14 apr.
Rooney I., 21 apr.
Rother A., 27 apr.
Rouke P., 8 nov.
Rouxel I., 21 maii
Ruiz B., 2 oct.
Ruiz Alegría C., 6 feb.
Ruiz Vela F., 27 maii

Sáenz I., 16 mart.
Sáenz M., 26 apr.
Sáinz E., 20 dec.
Salinas A., 28 nov.
Salvador P., 19 feb.
Sanctjohanser G., 7 oct.
Sangrador H., 23 maii
Sauvé I., 19 iul.
Sayegh D., 11 mart.
Schatt N., 12 iun.
Schlitz C., 23 iul.
Schmidt H., 26 ian.
Schmitz G., 19 feb.
Schröder M., 22 iun.
Segrétain P., 3 mart.
Sheehan M., 23 aug.
Sittler I., 29 apr.
Smit F., 20 feb.
Soler F., 5 mart.
Soto F., 5 feb.
Sousa (de) A., 10 ian.
Strassmaier I., 11 ian.
Sträter A., 1 iul.
Suàrez M., 12 mart.
Sullivan Ch., 4 feb.
Sykes R., 8 maii

Tai I., 25 mart.
Teisseire A., 20 ian.
Tempest A., 21 maii
Thiébaud A., 2 nov.
Thiel (van) A., 24 sept.
Tighe P., 5 apr.
Tilly G., 12 ian.
Thomas I., 3 iun.

Tomassetti A., 18 iul.
Tornaboni A., 13 nov.
Torre (de la) I., 4 dec.
Tort I., 12 apr.
Tournade L., 29 apr.
Traval E., 17 nov.

Valente I., 21 aug.
Valero A., 11 oct.
Van de Borre E., 11 mart.
Veres L., 30 ian.
Verhove I., 29 nov.
Villaume E., 23 mart.
Vinuesa R., 14 iul.
Vives S., 9 nov.

Waldvogel I., 30 ian.
Weninger S., 26 oct.
Werlen N., 28 oct.
Werner H., 17 mart.
Weth G., 1 ian.
White I., 1 ian.
Wibaux H., 2 nov.
Wijnans A., 8 aug.
Wins P., 16 mart.
Worpenberg B., 22 mart.

Xerri N., 5 feb.

Zameza I., 22 nov.
Zampieri A., 1 ian.
Zúñiga G., 24 feb.

Impr. 15 ian. 1922

MEMORABILIA

SOCIETATIS IESU

ANNI 1921

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

ROMAE
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS
1922

PARS PRIMA

DE QUIBUSDAM SODALIUM OPERIBUS

COMMENTARII

I.

IN MEMORIAM BENEDICTI PP. XV

(† DIE 22 IANUARII ANNI 1922).

Quibus laudibus Pontificem Benedictum XV et catholici et aliarum religionum asseclae extulerint nemo est qui nesciat. Quodsi eum celebraverunt tamquam pacis propagatorem, caritatis angelum, prudentem religionis zelatorem, pietatis promotorem, nos quoque splendidioribus hisce titulis, qui lucem suam irradiant usque ad fines terrae, modestius aliquod et, ut ita dicam, domesticum laudis praeconium adicere decet. Quis enim ex Nostris ignorat hunc Pontificem Societati ex animo addictum eique vere amicum fuisse? Quam enim inde a studiorum annis habilem animi sui cultricem magni aestimaverat, eam ad summae dignitatis apicem evectus animo gratissimo et eo affectu vere paterno fovebat, quo solidiorem in nullo desiderare possumus. Nam sicut scripsit P. Alexander Basile (Prov. Rom.), quem Papa confessarium sibi elegerat, « eius benevolentia non ferebatur in hunc vel illum socium, sed Institutum ipsum plurimi faciebat, cuius cognovit et magni aestimabat Constitutiones atque Exercitia. Optabat ut Societas perfecta esset et in honore apud omnes; ne haberet neque rugam neque maculam; dolebat si ipsi defectus vel culpae a Societatis homine commissa innotescebant ». Singularis huius amoris documenta *Actorum Romanorum* annuae paginae exhibent, et qui ibi dispersi inveniuntur flores in unum colligere sufficit, ut pulcherrima corona frontem amantissimi Patris, filii grati, cingere possimus.

Vix Benedictus XV triregno ornatus erat, cum Vicarium nostrum Generalem P. Fine benignissime excepit (1) nec multo post

(1) *Act. Rom.* 1914, p. 85.

omnibus Curiae Patribus, qui recens electum veneraturi accesserant, familiari alloquio affectum suum erga nostram Societatem manifestavit eumque clarius se manifestaturum esse promisit (1). Felicem Generalis electionem quam tunc optaverat, ex animo gratulatus est, cum Patres Congregati omnes ad audientiam recepti sunt (2). Nec parvae erant res, quas ea occasione magna cum fiducia expostulavit ab universa Societate, ut turbulentis hisce temporibus parata et valida esset manus adiutorum summi gubernatoris: sanctitatem vitae et doctrinae puritatem. Pontificis benevolentiam experti sunt, quicumque e Nostris intra octo regiminis eius annos cum eo egerunt, praesertim autem Pater Noster. Tamquam documentum huius voluntatis specie quidem parvum, quod tamen profundius inspicienti magnum et luculentissimum apparebit, plurium instar unam epistolam in memoriam revocare iuverit, qua Papa propria manu bona sua vota et appreciationes ad diem onomasticum Patris Nostri promere et trecentorum dierum indulgentiam omnibus concedere dignatus est, qui ante statuam Beatae Virginis Lapurdensis, in Curiae atrio collocatam nobisque post ultimam Generalis electionem novo titulo caram, salutationem angelicam recitassent (3).

Transeuntibus autem nobis ab affectu paterno ad eius documenta prima atque iucundissima occurrit memoria favoris quo Pontifex aliqua gravissima Instituti nostri statuta post novum Codicem promulgatum integra servavit (4).

Cum labores apostolici finem Societatis proxime attingant, qui eos insigniter adiuvat, ipsi Religioni insigniter favere dicendus est. Brevi ergo in conspectu ponamus, quomodo Benedictus PP. XV hos labores laudibus et monitis, gratiis et privilegiis, denique occupatione Nostrorum in missionibus internis atque externis promoverit, sive per se sive per Congregationes Romanas.

Summi momenti iure quis existimaverit translationem operis Consecrationis Familiarum in Italia ad Apostolatum Orationis, quae sub auspiciis Pontificis perfecta est. Iam die 10 maii 1918 Secretarius Status, Em. Card. Gasparri, cum Episcopis Italiae volun-

---

(1) *AR.* 1914, p. 88.
(2) *AR.* 1915, p. 25 sq.
(3) *Mem.* 1919, p. 165.
(4) *AR.* 1918, p. 571 sq.; 607 sq.

tatem Pontificis communicaverat, ut in posterum Apostolatus Orationis Consecrationem, usque eo a Consociatione Matronarum Catholicarum curatam, propagandam susciperet (1). Cum die 23 februarii anni sequentis votis Pontificis obsecundans opus Consecrationis in templo SS. Nominis Iesu sedem fixisset, tamquam centro nationali et depositorio nominum familiarum SS. Cordi consecratarum, Benedictus XV rem plene probavit, laetitiam suam significavit, felicissima quaeque precatus est (2). Tandem congregatis ante thronum pontificium zelatricibus romanis duce moderatore nationali, Papa aperte monstravit quantum gauderet de fructibus collectis ex quo opus ad Apostolatum Orationis pertineret, simul autem sapienter ac fervide moderatores omnes Italiae necnon zelatrices monuit, ut eorum opera non solum numerus membrorum cresceret, sed praecipue familiae consecratae vitam sanctam et quasi sub umbra nunquam recedente SS. Cordis viverent (3). Similiter pro Polonia quoque Summus Pontifex Consecrationem Familiarum Apostolatui Orationis ut proprium munus attribuit (4). Tandem congressu moderatorum italicorum Romae habito, eorum coetum magna cum laetitia recepit, res gestas laudibus extulit, gerendas proposuit: augendum imprimis numerum operis sedium per totam Italiam et pugnandum contra consuetudinem exsecrandi ubique diffusam (5). Nec caritatis argumenta minora omittenda sunt, quibus Papa zelum Nostrorum in propaganda suavissima illa SS. Cordis veneratione laudavit simul ac stimulavit occasione quinquagesimi anni a compluribus « Nuntiis SS. Cordis » primo editis.

Quanti Benedictus XV Marianas quoque Congregationes aestimaret, praeclare testificatus est, cum die 20 decembris anni 1915 duo milia sodalium romanorum ante eius thronum astarent gratulantes ei ob quadragesimum anniversarium, ex quo ipse Sodalitati nomen dedit. « Desideramus, inquit, dilectissimi, ut universalitas illa, quae Congregationum Marianarum est nota singularis, eos qui nondum ei nomen dederunt determinet ad inserendum

---

(1) *AR.* 1918, p. 554 sq.
(2) *AR.* 1919, p. 30; *AR.* 1921, p. 315.
(3) *AR.* 1919, p. 17 sq.
(4) *Mem.* 1919, p. 187.
(5) *AR.* 1920, p. 205 sq.

se militiae istius ordinibus. Desideramus simul ut iam adscriptos incitet ad palam monstrandum se, magis quam nomen, sodalis officium amare. O quantas reciperent spirituales divitias ex gratiis et indulgentiis a Summis Pontificibus concessis! Quantam inde utilitatem caperet familia christiana! Si enim sodales, ut veros Congreganistas decet, propriae sanctificationi et saluti proximorum incumbant, quanto facilius finis religiosae et civilis societatis attingatur nemo non videt » (1).

Sed et aliae consociationes et opera religiosa ac socialia Societatis a Benedicto XV aut approbatione sive benedictione, aut variis concessionibus et pecunia liberaliter donata sunt, e. g. « Action Populaire » gallica, consociatio discipulorum scholarum mediarum in Germania « Neu-Deutschland », hibernicum foedus missae quotidianae, etc.

Nec exterarum missionum oblitus est. Provincias aliquas nobis commissas ad maiorem dignitatem hierarchicam evexit, fines aptius distribuit, novos laborum campos nobis aperuit, operariorum numerum ex aliis religionibus complevit. Scholis apostolicis, libris, periodicis de re missionaria benedicendo, etiam in patrio solo opera missionum promovit.

Post labores apostolicos Societati cultura animi sive in iuventute instituenda sive in libris commentariisve edendis maxime cordi est.

Testimonia plurima clare ostendunt, quanto cum affectu Benedictus XV instituta et studia scientifica Societatis prosecutus sit. Mirum non est, quod specialem curam Collegiorum Urbis gesserit, quae semper sub oculis habebat quaeque totum quasi mundum docere sciebat. Singulariter afficiebatur erga Universitatem Gregorianam, cuius rei rationem ipse perbelle reddidit, cum tria numismata aurea praestantissimis auditoribus quotannis distribuenda decerneret, non solum « ne egregios alumnos praemium umquam deficeret... verum etiam ut suo ipse amori grataeque memoriae obsecundaret, quibus isti Athenaeo devinctum sese sentit, quippe cui quidquid culturae sacrarum disciplinarum in se sit, totum se debere libenti animo profiteatur » (2). Quare etiam Pontifex progressus huius Universitatis insigni favore comitatus

(1) *Civiltà Cattolica* 1916, I, p. 109.
(2) *AR.* 1916, p. 154.

est. Quae cum duplici cathedra, altera asceseos, apologeticae pro laicis altera augeretur, vehementer gratulatus est et ad bibliothecam apologeticam condendam omnium primus aliquantum pecuniae contulit (1). Sed neque deinceps laudibus hos Patrum conatus exornare et pecuniis adiuvare destitit. Cursum etiam magisterii in eadem Universitate institutum Pontifici multum placuisse scimus (2). Tandem cum de comparanda area ad novas aedes Universitatis excitandas ageretur, grati animi causa erga Societatis Athenaeum nomine S. Sedis illam emi iussit (3).

Biblicum quoque Institutum Pontificium varias litteras apostolicas honoris et amoris plenas accepit. Maximam autem aestimationem prae se ferunt verba, quibus recurrente vigesimo quinto ab edita encyclica « Providentissimus » anno, dicit Institutum Biblicum omnium fidelissime, sapientissime, integerrime referre encyclicam illam (4) necnon ea encyclicae hieronymianae: « Spiritus Paraclitus » quibus finem et utilitatem eius toti orbi commendat (5).

Honori etiam erat Societati Pontificem aliquos Patres desiderasse, qui in novo Instituto Pontificio Orientali docerent (6).

Similiter Collegia alumnorum benignitatem Pontificis experta sunt: Pio-Latino-Americano eandem concessit exemptionem qua gaudent Collegia Societatis omnino propria (7); de sorte Germanici-Hungarici in Austria exsulantis multum eius intererat (8), alumnos in Urbem reversos benevolentissime allocutus est (9), inopiae domus magna liberalitate succurrit.

At praeterea varia variis Collegiis beneficia praestitit: Tusculanum a fenore sibi debito liberavit (10), Anagnino aliquot arcas gratuitas studiorum constituit (11), Comillensi annum ab inauguratione vigesimum quintum celebranti litteris sua manu exaratis de opimis fructibus per illud tempus collectis gratulatus

(1) *AR.* 1918, p. 643.
(2) *AR.* 1919, p. 62.
(3) *Mem.* 1919, p. 178.
(4) *AR.* 1918, p. 559 sq.
(5) *AR.* 1920, p. 204.
(6) *AR.* 1917, p. 453 sq.
(7) *AR.* 1916, p. 137 sq.
(8) *AR.* 1915, p. 91.
(9) *Mem.* 1919, p. 59.
(10) *AR.* 1917, p. 448.
(11) *AR.* 1919, p. 34.

est (1); Velehradense titulo « Pontificii » insignivit (2); cum Kandyensi item gaudium suum communicavit de viginti quinque annorum successu (3) idque larga 125.000 libellarum summa donavit (4); ad stipem, qua Tokiense conservaretur, corrogandam omnes christifideles incitavit (5); Melbournense eiusdem urbis Archiepiscopo valde laudavit ac commendavit (6).

Non paucas denique litteras Benedictus XV conscripsit, quibus libros Nostrorum ac variarum Provinciarum periodica laudibus exornavit, ad feliciter progrediendum stimulavit. In memoriam revocare sufficiat quam libenter concesserit ut « Cursus Scripturae Sacrae » suo nomini dicaretur (7) et quam honorificis verbis vitam P. Suarez a P. Radulpho de Scoraille descriptam decoraverit (8).

Commemoranda superest gloria qua Societas Iesu triumphans aucta est magna cum laetitia ac utilitate fratrum in terra degentium. Ut ab ultimis exordium fiat, scimus Papam propositiones de festis iubilaei S. P. Ignatii et S. Francisci X. celebrandis non tam acceptasse benigne quam exoptasse. Eiusdem Parentis Nostri templum Loyolaeum non multo ante titulo et privilegiis Basilicae minoris auxerat (9). Novam orationem in honorem duorum Sanctorum largis indulgentiis ditavit.

Eximia etiam cum benevolentia festa tertia centenaria S. Ioannis Berchmans prosecutus est (10), concedendo per Apostolicam Poenitentiariam sanctum iuvenem pie colentibus gratias spirituales partim in annum iubilaei partim perpetuo valituras (11). Eadem occasione S. Rituum Congregatio S. Ioannis festum ex tempore vacationum ad annum scholarem transtulit, ut maior haberetur opportunitas cultum eidem exhibendi (12). Humili etiam servorum servo, S. Petro Claver, maiorem attulit claritatem, quod

(1) *AR.* 1917, p. 451.
(2) *AR.* 1919, p. 33.
(3) *AR.* 1918, p. 552.
(4) *Mem.* 1919, p. 209.
(5) *AR.* 1919, p. 35.
(6) *Mem.* 1920, p. 308.
(7) *AR.* 1920, p. 211.
(8) *AR.* 1921, p. 312.
(9) *AR.* 1921, p. 311.
(10) *AR.* 1920, p. 210.
(11) *AR.* 1920, p. 178; 1921, p. 300.
(12) *AR.* 1920, p. 169.

eum patronum rei publicae Columbianae declaravit eiusque festum ibidem ad ritum duplicis II classis, immo pro nostro templo carthaginensi, ubi Sancti corpus asservatur, ad ritum duplicis I classis elevavit (1). Aliorum quoque Sanctorum festa ritu altiore aucta (2) vel propria Missa donata sunt (3). Cum vero instaret quartum ab ortu B. Petri Canisii centenarium, Summus Pontifex gravibus verbis Helvetiorum Episcopos adhortatus est, ut sollemnia illa « non minus decori pareant quam utilitati Ecclesiarum » Helvetiae (4). Nota etiam sunt praeclara encomia litterarum Benedicti XV « Ecclesiae consuetudo » B. Margaritae M. Alacoque Sanctorum honores decernentium, quibus Ven. P. Claudii de la Colombière virtutes, prudens spiritualis gubernatio, fervens in cultu SS. Cordis propagando cooperatio efferuntur (5). Progressus autem, quos sub augusto Benedicti XV Pontificatu causae nostrorum in caelis fratrum, B. Petri Canisii, Martyrum Canadensium et Aubenacensium, PP. Silveira, de Hoyos, Ginhac, aliorum fecerunt breviter tantum memoria recolentes, duarum recordatione paulo diutius immoremur, P. Pignatelli et Card. Bellarmini.

Habita die 25 iulii 1916 congregatione praeparatoria, anni sequentis die festo Annuntiationis B. M. V. in aedibus Vaticanis publicatum est decretum de virtutibus heroicis Ven. Servi Dei Iosephi M. Pignatelli. Quo praelecto et oratione a P. Assistente Italiae habita ipse Pontifex dicendi initium fecit. Ex eius verbis saltem repetamus, quae Societati non minus quam Ven. P. Pignatelli singulari honori sunt: « Nos qui S. Ignatii filiis eodem devincimur grati animi vinculo, quo discipulus magistro obstringitur, Nos semper quidem atque ubique illius iucunditatis consortes fuissemus quam publicum virtutum heroicarum Ven. Iosephi M. Pignatelli decretum Societati Iesu, novi huius athletae matri fortunatissimae, attulisset. At nunc peculiares Nos debere Deo gratias intelligimus, quod ipse suae bonitatis instrumentum Nos elegit, ut restitutorem Societatis Iesu propius ad eam gloriam admoveret, qua sanctus benemeriti sodalitii conditor refulget » (6).

(1) *AR.* 1917, p. 298; *AR.* 1918, p. 643.
(2) S. Stanislai: *AR.* 1915, p. 10; S. Alphonsi: *AR.* 1916, p. 155.
(3) S. Francisci Borgiae et S. Alphonsi: *AR.* 1921, p. 303 sq.
(4) *AR.* 1921, p. 302.
(5) *AR.* 1920, p. 170 sq.
(6) *AR.* 1917, p. 299 sq.

Ven. Card. Bellarmini vero causa ex tempore proximi Benedicti Papae quasi sopita, ut reassumeretur et celeriter ad bonum exitum duceretur, Benedictus XV omnem operam dedit (1). Cum eventus spei respondisset et decretum de virtutibus heroicis Card. Bellarmini lectum esset, Papa verba fecit gaudio, veneratione, amore erga Ven. Cardinalem plena, religiosis humilem S. Ignatii filium, magistris egregium disciplinarum sacrarum professorem, confessariis S. Aloysii prudentem moderatorem, Episcopis Ecclesiae Capuanae praesulem eximium, Cardinalibus sapientem Sacrarum Congregationum consiliarium tamquam exemplum proposuit, sed et laicis, veritatis catholicae propagandistis, controversiarum principem invictum atque integerrimum (2).

Tot tantisque Benedicti XV beneficiis Societas fidelitate et prompta oboediendi voluntate dignam se reddere gratamque exhibere semper conata est. Pater Generalis multa milia Missarum pro Summo Pontifice obtulit, cum de vita periclitaretur; quod donum non parva consolatione affecit animum morientis. Gratias agens ultimam per confessarium suum, P. Alexandrum Basile, misit paternam benedictionem Patri Nostro universaeque Societati. Haec autem tanta benevolentia commota et acceptorum beneficiorum memor, praeter Missas a Patre Generali oblatas, primum pro Benedicto XV suffragia in toto orbe obtulit quae Pater Noster nonnullarum Provinciarum postulatis obsecundans, ut pro mortuo Summo Pontifice a Nostris fierent die 1 decembris anni 1915 stabili ordinatione praescripserat (3).

---

(1) *Mem.* 1919, p. 174; *Mem.* 1920, p. 352.
(2) *AR.* 1920, p. 179 sq.
(3) *AR.* 1915, p. 67 sq.

II.

FESTA LOYOLAEA

IN HONOREM S. P. IGNATII PAMPELONAE VULNERATI.

1521-1921.

(Ex litteris annuis Collegii Loyolaei 1920-1921.)

Saecularem notum est labi annum quartum, ex quo S. P. Ignatius felicissime Pampelonae vulneratus est. Tanti facti anniversarium festos dies exposcebat undique amplissimos. Ultro sunt prae aliis designati tres illi Pentecostes, dies 15, 16, 17 maii.

At triduo huiusmodi aliud praeterea factum praeierat Nostro S. Parenti gloriosissimum, non tam ab hominibus excogitatum et speratum, quam « imprimis a Deo praeparatum ».

Res ita evenit. A. R. P. N. Generalis cum, negotiis impeditus, nos ipse his festis convenire non posset, id quod ardenter concupierat, duo ad nos sui amoris pignora misit: amantissimas primum litteras, quibus de re tanta nobis gratularetur; deinde, quod est longe pretiosissimum, insigne osseum frustum calvae S. Ignatii. Ipsemet Pater Generalis legaverat P. Carolum Miccinelli, Provinciae Romanae Praepositum, qui tam venerandum pignus ad nos ipsius nomine deferret.

Huius vero adventus conscium Guipuzcoanum Consilium (Diputación) hanc sibi gloriam vindicavit, ut sanctas Reliquias perhonorifice ad limen provinciae primum exciperet. Paulo post Sebastianopolis (S. Sebastián) universa per idem Consilium ad tantum festum convocabatur. Itaque cum die 13 maii ad oppidum Hendaya sanctae Reliquiae pervenissent, aderant praesto, qui eas exciperent ad limites Hispaniae, hispanus consul aliique viri insignes. Statim pompam instituunt, magnifico automobili devecti. Oppida aliquot, Irún praesertim, Oyarzun, Rentería, Pasajes, Herrera atque etiam parvae casae in montibus dispersae, quae obviam offendebantur, suum carissimum Patronum amoribus plurimis cumulare, maximo quo poterant ornatu, gaudio sancto exsultantia sese exhibere, totis viribus colere. Singulis locis morabantur aliquamdiu Reliquiae venerandae omnibusque tandem benedictione valedicebant.

Quomodo autem sacrum thesaurum exceperit Provinciae caput, Sebastianopolis, quidve deinde praestiterit et honoris et amoris, haud facile enarrare poterunt nedum ii, inquam, qui dictis tantum rem noverint, sed ne illi quidem qui suis oculis contemplati sint. Pompa enim instruitur persollemnis, comitante ingenti populo, comitantibus clero cuncto universisque Ordinibus religiosis, denique magistratibus civilibus et militaribus quamplurimis. Devehuntur sacrae Reliquiae in aedes Consilii Provincialis; ibi et ab huius Praeside et ab urbis Praefecto ardentibus verbis salutantur; huic salutationi respondet Societatis nomine Provinciae Romanae Praepositus, tantam Guipuzcoanorum fidem mirans atque laudans. Inde ad nostrum templum ventum est; hic populum alloquitur Residentiae Superior gratias agens; ipse etiam Dioecesanus Episcopus, Sanctum Ignatium et Exercitia magnis laudibus efferens.

Altero die 14 maii, plus 4500 Communionibus nostro in templo distributis, egrediebatur denuo pompa illa sollemnis, eadem multitudine ingenti ad extremam usque urbem comitante Reliquias, quae, nunc iam in manibus Ill. Episcopi, Ordinarii loci, depositae, cetera oppidula et vicos percurrerunt. Complura automobilia praecedebant ac subsequebantur illud in quo Reliquiae ferebantur. Usúrbil, Orio, Zarauz, Guetaria, Zumaya, Arrona, Cestona iisdem atque aliae civitates obsequiis et honoribus ipsas prosecutae sunt. Meridie tandem perventum est Azpeitiam. Sistit hic Reliquiarum pompa, ut sacellum « La Magdalena » (1) et paroeciam ubi Sanctus baptizatus fuerat paulisper conveniat. Hinc Azcoitiam recta tendit, ubi maiore quam dici potest gaudio excipitur. Paulo post Azpeitiam iterum petit. Tot circuitus fuerunt necessarii ne horum oppidorum, inter quae domus Loyolaea sita est, aemula pietas offenderetur.

Hora erat vespertina fere septima, cum duae ad nos res sacrae afferuntur: calvae, quas novimus, Reliquiae, et sacer ille ensis quem S. Parens Beatissimae Virgini devoverat, Collegii Barcinonensis pretiosus thesaurus. Pompam hanc vespertinam, qua nobis tanta concedebantur amplectenda, censeo equidem unam fuisse sollemnitatem omnium reliquarum piissimam atque

(1) « La Magdalena » olim nosocomium, ubi S. Ignatius Parisiis in patriam reversus pueros catechismum docebat.

gratissimam. E Nostris, tam hospitibus quam domesticis, plus ducenti ad scalas Basilicae — hoc titulo templum Loyolaeum paulo ante ab Apostolica Sede insignitum erat — exieramus, tantum donum excepturi. Nobis praeerant Em. Cardinalis Almaraz, Hispaniarum Primas, P. Visitator, Petrus Boetto, omnesque Assistentiae Provinciales Praepositi; nostrae tandem Provinciae Rectores ac Superiores et, postquam Cardinalis, pontificali veste indutus, sanctas Reliquias e manibus Dioecesani Praesulis accepit, cum illis Basilicam ingredimur, hymno ambrosiano gratias Domino acturi.

Die 15. — Dies illuxerat tridui magni primus et, ecce, primo mane Sodales Mariani azpeitienses numero 800 Communionem Generalem apud nos peragunt. Hora fere nona excipiebatur ad scalas Basilicae universus populus azcoitianus, cui hic dies reservatus erat. Illi quidem sollemnissima ac venustissima pompa incesserunt, eorum aliquot antiquis indumentis vestiti, omnes sane ovantes; Municipium vero totum, Clerus, aliqui cum Praeside Deputati agmini praeerant; steterunt deinceps ante Basilicae porticum ibique, multiplici choro composito ac P. Nemesio Otaño moderante, « Hymnum Ignatianum » mirabili concentu cantaverunt. Pari prorsus splendore paulo post in Pontificali Sacro choralem missam a RR. DD. Refice scriptam concinuerunt chorus populusque permixti. Rem sacram egit Em. Card. Ioannes Benlloch y Vivó, Archiepiscopus Burgensis; concionatus est P. Darius Hernández e Provincia Aragoniae, primam S. Parentis pertractans conversionem, scilicet cogitationum.

Hodie ad mensam binae litterae lectae sunt: aliae Summi Pontificis, quas ipsemet sua manu subscripserat imagini suae photographicae, cum benedictionem apostolicam pro omnibus Nostris postulavisset P. Miccinelli, iamiam in Hispaniam iter facturus; aliae, quas dixi, A. R. P. Generalis. Sic se singulae habent:

Antiqua, profunda meritaque permoti benevolentia erga praeclaram Societatem Iesu, cuius beneficiis auxiliisque in regenda Ecclesia Sancta summopere laetamur, universis Instituti sodalibus qui propediem saecularia sollemnia quarta a sublimi Ignatii Patris vocatione in Loyolaea domo celebrabunt, apostolicam benedictionem, uberioris tum sanctitatis tum utilitatis auspicem, peramanter in Domino impertimus.

Ex aedibus Vaticanis die 1 maii a. MCMXXI.

Benedictus PP. XV.

Romae, die 4 maii 1921.

Reverende in Christo Pater:

P. Xti

Intimum animi mei desiderium erat vobiscum Loyolae festa quadringenties anniversaria felicis illius diei celebrare, quo Sanctus Pater noster Ignatius, bellico tormento vulneratus, a divina Providentia, quae omnia a fine usque ad finem fortiter et suaviter disponit, ad procurandam maiorem Dei gloriam per Societatem praesertim, ab ipso condendam, vocabatur.

At cum non fuerit mihi concessum ut vestrae laetitiae parte praesens perfruerer, saltem animo vobiscum in celebrando hoc anniversario coniunctus ero, supplex Sanctum Parentem nostrum orans ut gratia caelesti perculsi nobismetipsis in dies perfectius moriamur, ut unice maiori Dei gloriae vivamus. Hoc desiderio ipse per totam vitam suam flagrabat eoque filios suos ardere cupiebat atque adhuc exoptat, ita ut sperare liceat, amantissimum Patrem nobis omnibus praecipue hisce diebus copiosa auxilia ad illud adimplendum a divina Maiestate esse impetraturum. Et cum Deus statuerit, ut cum ipso operemur precibus nostris ad caelestes gratias obtinendas et promiserit se nobis daturum esse quidquid amore invicem coniuncti ab ipso petierimus, vos rogo, optatissimi in Christo Patres ac Fratres, ut vos mecum consociari velitis in illa gratia impetranda coram insignibus Reliquiis S. Patris Ignatii, quas meo nomine R. P. Carolus Miccinelli, Praepositus Provinciae Romanae, ad vos affert. Sic enim sollemnia haec fient fons complurium beneficiorum tam vobis quam universae Societati, quae inde roborabitur ad proelia Domini fortiter proelianda contra potestates infernorum quae nunc vehementius forte quam tempore S. Ignatii Ecclesiam Christi animasque ipsius pretioso sanguine redemptas impetunt.

Vestrum omnium servus in Christo

Wlodimirus Ledóchowski
Praep. Gen. Soc. Iesu.

Vespere Azcoitiani sua sollemnia Sanctissimi benedictione complerunt. Eos ex suggestu allocutus est D. Iosephus Eguino, parochus urbis Irún. Re finita ad sua revertuntur eadem, qua venerant, magnificentia.

Die 16. — Hunc, sollemnium omnium praecipuum diem, sibi assumpserat celebrandum azpeitiensis archipresbyteratus. Hac de causa nihil mirum, si et fidelium frequentia et magistratuum numerus et tota festi amplitudo exstiterit, mane saltem, multo magnificentior. Viam totam, qua Loyola cum Azpeitia coniungitur, non rectis hominum ordinibus dicam occupatam, sed densa potius hominum multitudine ubique esse inundatam. 20.000 peregrinorum advenisse existimantur. Magistratus vero non omnes numerabo qui tam eximiae pompae praefuerunt. En tibi praecipui: quattuor

Deputati, singuli e singulis vascis Provinciis et Navarra, imaginem vulnerati Ignatii devehebant. Hos subsequebantur omnes in Municipium azpeitiense cooptati, decem et sex e sebastianopolitano, Senatores duo ac Deputati plurimi, clerici cuncti; hi denique, qui ex officio praeerant: Dux a Luna (Duque de Luna), vices gerens S. M. Regis Alfonsi XIII, Ill. Cluniensis Episcopus, D. Xavier Irastorza, Praesides Guipuzcoanae et Navarrae Deputationum ac Vicepraesides Vizcayae et Alavae. Postquam a Nostris ad scalas excepti sunt, templum ingrediuntur. Choris permixtis, Missam « Salve Regina », a Stehle compositam, egregie concinentibus, Sacrum fecit Em. Cardinalis Primas, praesente in cornu evangelii Regio Legato. Ex suggestu ingentem multitudinem allocutus est P. Alfonsus Torres e Provincia Toletana, alteram S. Ignatii conversionem explicans, videlicet affectuum. Vespere tristis imber homines dispersit, quam ob rem vespertina sollemnia evaserunt perexigua. Etiam pompa Azpeitiam versus fuit procrastinanda.

Die 17. — Postremus dies servabatur Dominis Sodalibus quos « Caballeros de la Inmaculada y S. Ignacio de San Sebastián » vocant. Azpeitiam congregati, Loyolam pervenerunt clari peregrini hora fere octava, qua Missam audiverunt et Communionem omnes simul receperunt. Hora decima Ill. Episcopus Cluniensis Pontificalem Missam celebravit; Ill. enim Dioecesanum, qui ea erat perfuncturus, aegrotare nuntiatum est. Ad populum contionatus est P. Romanus Jambrina e Legionensi Provincia, tertiam exponens S. Ignatii conversionem, nimirum factorum. Musicam concinne exsecuta est Schola « Orfeón Donostiarra » ad « Secundam Pontificalem Perosi ».

Proprium huius diei exstitit exercitium litterario-musicale in Basilica vespere celebratum. Abs re non erit animadvertere idcirco fuisse Basilicam ad hoc exercitium adhibitam, quod nullus omnino in Collegio esset locus, qui tantam audientium caperet multitudinem; attamen SS. Sacramentum alio inde delatum est. Res litteraria, ut patet, Sancto Ignatio extollendo dicabatur tota. Duae lectae sunt orationes: F. Eduardus Ospina declaravit, qualis S. Ignatius in historia appareat; P. Antonius Astráin autem exhibuit historiam et psychologiam eiusdem conversionis. His orationibus duae poëses sunt interiectae. Quae opera typis excusa uno libello coniuncta sunt. Deinde azpeitiana pompa, heri procrastinata, ad sua revertitur.

Ita centenaria sollemnia innumerabili astante populo et ingenti cum splendore absoluta sunt. Sed quasi haec piis S. Ignatii popularibus non sufficerent, per complures posteā menses diversae guipuzcoanae paroeciae ad Basilicam Loyolaeam instituerunt peregrinationes, dilectum suum Patronum veneraturi eiusque auxilium imploraturi.

III.

ANNUS TERTIUS SAECULARIS AB OBITU S. IOANNIS BERCHMANS.

Summus Pontifex Benedictus XV b. m., postquam consilium tertium annum saecularem ab obitu S. Ioannis Berchmans celebrandi litteris die 19 novembri anni 1920 (*Act. Rom.* III, 1920, 210) ad P. Vermeersch datis laudavit, ipse quoque pro sua benevolentia aliquid contribuit ad Sancti honorem augendum. Nam missale pulcherrimum quo editor mechliniensis Dessain sacellum in patria sancti Iuvenis domo constitutum donaverat, chirographo suo honestavit. Sic autem scripsit:

Quod conclave in quo S. Ioannes Berchmans natus est in sacellum fuerit commutatum, valde quidem probamus. Eius autem sacelli usui missale nunc destinari dono, quod Hubertus Dessain, clarus mechliniensis editor ex editione typica Vaticana vulgandum curavit, admodum laetamur. Nos vero, tertio redeunte saeculo ab angelici iuvenis transitu, id libenter largimur, ut altare, in primis, sacelli eiusdem perpetuo privilegiatum sit; deinde, ut in missa votiva S. Ioannis Berchmans addi « Gloria in excelsis » possit; postremo, ut qui illic Deum imploraverit, ac Pater, Ave, Gloria recitaverit, adiecta prece « Sancte Ioannes, ora pro nobis » tercentos lucretur indulgentiae dies.

Datum ex aedibus Vaticanis, die XV februarii MCMXXI.

BENEDICTUS PP. XV.

Porro idem Sanctissimus Dominus qua veneratione erga Sanctum nostrum ferretur, clare monstravit cum clericos sui seminarii romani die 21 iulii allocutus, iis S. Ioannem proposuit tamquam patronum peculiarem seminaristarum, cum S. Aloisius universae iuventutis scholaris protector a Benedicto XIII esset declaratus,

eosque summo ardore est adhortatus, ut sancti scholastici virtutes indefesso studio imitari conarentur.

In colendo S. Ioanne primum locum obtinuerunt ii, qui eundem suae nationis filium esse gloriantur; in fere omnibus Belgarum urbibus multisque pagis festa saecularia exquisito splendore et avita pietate sunt celebrata. Ut plurimum sive in nonnullis templis sive etiam in omnibus urbis paroeciis triduum habitum est, per quod concionatores e Sancti Ioannis vita et virtutibus documentum in vitam usumque statim deducentes, fideles et inprimis adolescentes ad Communionem generalem ultimo die instituendam paraverunt.

Cives lovanienses 18-22 maii praecesserunt: cor sancti Ioannis, quod ibidem in templo nostro asservatur, per dies festos in ecclesia collegiata S. Petri populi devotioni propositum, coluere ac dominica, d. 22 maii, sollemni pompa per vias et plateas in sedem suam reduxerunt.

« Museum S. Ioannis Berchmans » in quo Collegii Maximi Lovaniensis Socii reliquias et chirographa Sancti, libros, imagines, insignia quae ad eius cultum spectant, ex variis mundi partibus collecta conspicienda praebuerunt, intra hebdomadam ad viginti milia hominum visitarunt.

Civitas mechliniensis mense iunio a die 15 usque ad 19 supplicationem fecit: in omnibus templis parochialibus tridua habita sunt neque usquam defuit concio ad mentem necessitatesque puerorum inprimis et adolescentium accommodata.

Diesthemii autem, in S. Ioannis patria, annum saecularem tertium ab eius obitu a die 6 augusto usque ad 15 omnimodis pietatis exercitiis recoluerunt, pompis religiosis profanisque, quibus usus atque indumenta illius qua Ioannes vivebat aetatis imitati sunt, theatrorum et symphoniarum pia laetitia.

Plurimi homines ex omnibus Belgii partibus per totum annum Diesthemium confluxerunt domum veneraturi quam Ioannes vitae puritate et virtutibus sanctam reddiderat. Initio mensis iulii duce RR. DD. Heylen, Episcopo Namurcensi, 1300 pueri e collegiis ecclesiasticis illius provinciae eodem convenerunt.

Imagines Sancti chartaeque postales quas Patres belgae depingendas curaverant adeo placuerunt, ut paucos intra menses fere 500.000 usque ad remotissimas gentes diffunderentur; quibus si adiunxeris imagines ab aliis in populum sparsas ad plus quam decies centena milia facile devenias.

Quid singula nostra Collegia praestiterint enarrare longum est, sed praetermittere non possumus « conferentias » seu ut aiunt « Berchmans avonden » (conventus vespertini in S. Ioannis honorem), cum fructus inde orti sint eximii et, quod Belgae hac in re feliciter innovarunt, similibus occasionibus usui esse possit. Ne enim oppida minora atque adeo pagi rurales sollemnitatibus atque devotionis incremento privarentur, P. Iosephus Meeus consilium cepit regionem flandricam perlustrandi ut ubique vitam et virtutes sancti Ioannis notas redderet. Sedulo quoque collegit varia quae ad eius cultum spectant documenta, libros, libellos, cantus, imagines, versus, dramata et alia id genus. Quandoque triduum, quandoque dies integer impendebatur sollemnitati in qua nunquam defuerunt Communio generalis, Missa cantata cum oratione panegyrica, benedictio eucharistica et conferentia luminosis imaginibus illustrata. Qui adfuerunt, non raro ita commoti sunt, ut pio quodam ardore incensi cantus in honorem Sancti inchoarent. Qua ratione circiter 150 conferentiae habitae sunt ea hominum frequentia ut nonnunquam Pater bis vel ter eodem die in eodem pago orationem habere cogeretur. Quod in Flandria feliciter coeptum est, alii in alias regni partes simili successu transtulerunt.

Cum Belgica Provincia tota Societas in colendum S. Ioannem eodem amoris impulsu conspiravit. Nostri libris editis et commentationibus in periodicis Societatis aliisque notitiam Sancti dilataverunt et imaginibus distributis eius angelicae modestiae et virginalis puritatis admirationem et actuosum desiderium in multorum iuvenum animis excitaverunt. Neque ullae fere litterae e Collegiis Patri Generali hoc anno allatae sunt, quibus non narraretur quanto gaudio et quanto fructu Sancti honores Socii ac discipuli nostri celebraverint. Ita Rector cuiusdam Collegii Maximi de fervore suorum laetus referens adiungit: « Inprimis festa saecularia in honorem S. Ioannis Berchmans ad amorem vocationis et observantiam regularum animos incitaverunt ».

Ubicumque terrarum Societati contigit sedem figere, e remotis Californiae et occidentalis Canadae regionibus usque ad Australiam, in missionibus Asiae atque Africae omnes operam contulerunt ut clare appareret quam verum sit S. Scripturae illud: « O quam pulchra est casta generatio cum claritate; immortalis est

enim memoria illius: quoniam et apud Deum nota est et apud homines » (1).

In Germaniae urbe asceburgensi (Aschaffenburg) varii coetus iuvenum, discipulis scholarum altiorum et operariis christiana fraternitate in unum collectis, simul S. Ioannis memoriam coluerunt et Patri Nostro miserunt litteras quibus Societati filium sanctum gratularentur.

Praeclaro studio Socii canadenses honores Sancti promovendos curarunt. Praepositus Provincialis ipse die 28 sept. anni 1921 litteras dedit ad omnes Episcopos canadenses quibus, memoria diei festi renovata et firmis rationibus adductis, excellentissimos Praesules rogavit, ut ubique sollemnitates religiosas fieri iuberent quibus inprimis adolescentes ad Sancti virtutes in se effingendas valide incitarentur. Plerique precibus benigne annuentes parochos et collegiorum moderatores ad sollemnia tertia saecularia celebranda adhortati sunt. His Pater Provincialis alteris litteris subiecit varias vias rationesque, quomodo Sancti memoriam cum fructu animarum sibi commissarum recolere possent. Ita factum est, ut etiam in collegiis a clero saeculari et a monialibus rectis et in non paucis paroeciarum scholis festa centenaria magno apparatu agerentur. In nostris porro collegiis etiam maior, ut par est, fuit sollemnitas. Eam diligenter paraverat P. Provincialis epistola cum Nostris solis communicata. Ne tamen repetendis iisdem rebus longi simus ea, quae facta sunt in Collegio S. Mariae (Montréal) antiquitate et frequentia inter alia Provinciae Canadensis praestante, in reliquorum notitiam et exemplum sit. Feria II, die 21 nov. vesperi alumni Sanctum celebrare coeperunt specimine litterario in quo lucubrationes, fabulae, musica iucunde commiscebantur non sine plausu ingentis cleri et civium consessus. Perendino autem die coeptum est triduum in templo, quo mane et vesperi praeter alumnos nostros complurium scholarum pueri et puellae et plurimi fideles convenerunt. Conciones fiebant de divina adolescentium ad perfectiorem vitam vocatione. Ipso die 26 novembris initium factum est Communione generali alumnorum in Missa matutina, dein Missa sollemnis cantata est a RR. DD. Episcopo auxiliari, dioeceseos administratore, cui adsistebant tamquam ministri im sacro faciendo sacerdotes qui

1) *Sap.* 4, 1.

omnes olim Collegii nostri discipuli fuerant. Unus ex iis concionem de vita et virtutibus S. Ioannis habuit. Templum stipatum erat fidelibus, inter quos multi Belgae quibus periucundum erat in terra a solo patrio dissita tot tantosque honores tribui sancto suo populari. In collegiis nostris vero per omnes hos dies aër quasi modestiam, pietatem, assiduitatem, virtutes omnes spirare videbatur et discipuli ex his sollemnibus non parvum emolumentum ceperunt.

Idem omnes senserunt qui in templo nostro romano S. Ignatii sacrae concioni interfuerunt, qua ultimo tridui die Em. Card. Laurenti multitudinem Urbis clericorum et praesertim Universitatis nostrae auditores mira verborum vi et summa auctoritate ad virtutes Sancti colendas excitavit.

Die 20 novembris puellarum agmina ad sepulcrum Sancti adducta Communionem ibi receperunt; vesperi Pater Noster benedixit novam Sancti imaginem musivo opere expressam quae postea in locum pristinae, coloribus depictae, in altari posita est. Die 24 novembris triduum sollemne coeptum est, inter quod 350 Missae in templo et Sancti cubiculo celebratae et 8000 Communionum distributa sunt. Ipso die festo Missam pontificalem celebravit Eminentissimus Cardinalis Urbis Vicarius; adstiterunt Legati Regis Belgarum et apud S. Sedem et apud Italiae Regem. Vesperi benedictionem impertivit venerandus Sacri Collegii Decanus Em. Card. Vannutelli. Proximo die, quae fuit dominica in templum S. Ignatii convenerunt S. Ioannem veneraturi, 4000 adolescentium quorum bene multi Corpus Domini susceperunt.

* * *

Si intra domesticos parietes redimus, in tota Societate praesertim Scholastici per multum tempus iam ad festa digne agenda ferventibus orationibus, Communionibus, abnegationis et humilitatis officiis se paraverant; nonnullarum Provinciarum Philosophi a Patre Nostro petiverunt, ut S. Ioannem sua auctoritate sibi daret patronum et protectorem; Provinciae Angliae Philosophi Patri Generali miserunt librum pictura marginali pulcherrime decoratum quo lucubrationibus, carminibus amorem suum erga S. Ioannem et Societatem eiusque caput testati sunt. Scholastici Philosophi Provinciae Romanae, postquam triduo ad festum sibi proprium inter Octavam Paschatis se paraverunt, per totum mane ad Sancti sepulcri excubias egerunt ut omnium Societatis Scholasticorum nomine

honores et orationes sancto Fratri atque Patrono offerrent. Proximo die, 1 aprilis, iisdem romanis Philosophis S. Pontificis Missae adsistere et ex eius manibus S. Eucharistiam recipere licuit; postea Sanctus Pater eos ad se admissos solito suo ardore adhortatus est ut totos se darent imitationi virtutum S. Ioannis.

Societas universa per Procuratores Provinciarum Romam congregatos sancto Ioanni Berchmans honores suos obtulerat prima, praecurrens anno saeculari (1), eum feliciter conclusit Pater Generalis epistola die Sancti sacro, 26 novembris, data (2) qua omnes Societatis filios cum aliis rationibus tum S. Ioannis exemplo adhortatus est, ut in servandis nostris de modestia regulis evaderent praeclarissimi ad maius Divinae Maiestati obsequium praestandum et quam plurimarum animarum salutem procurandam.

IV.

CONCIONATORUM COLLEGIUM DUSSELDORPIENSE.

Abhinc 25 annos P. Iosephus Schwarz († 21 augusti 1922) coepit Dusseldorpii (Düsseldorf, Prov. Germ. Inf.) in ecclesia S. Rochi singulis mensibus habere conferentias pro viris et iuvenibus, « sermones philosophicos et theologicos », quos dixit, de variis veritatibus religiosis. Quod P. Schwarz coepit apostolice, fortiter et prudenter, quibuslibet superatis difficultatibus, continuavit, cumque anno 1921 in patriam suam, Germaniae Superioris Provinciam, optime meritus rediit, opus evaserat summi momenti, de quo, occasione completi, ex quo inchoatum est, vigesimi quinti anni, pauca referre liceat.

Initio numerus et auditorum et ecclesiarum, in quibus sermones dicebantur, non crevit nisi lente. In primo sermone, qui habitus est in ecclesia S. Rochi plura aderant scamna quam auditores. Paulatim venerunt 60, 100, postea, cum ad plurimos viros et iuvenes invitatio typis impressa missa esset, 400, 800, 1000, tandem 2000, qui numerus deinde permansit. Intra decem priores

(1) *Mem.* I, 1920, 341 sq.
(2) *Act. Rom.* III, 1921, 332-45.

annos secundum ordinem temporis hae urbes accesserunt: Offenbach, Höchst, München-Gladbach, Frankfurt a. M., Heidelberg, Köln, Essen, Krefeld, Mannheim, Duisburg. Ab anno 1907 conferentiae ex regione rhenana in alias Germaniae provincias progressae in plurimis urbibus, quae omnes fere plus 100.000 incolarum habent, sedem fixerunt. Hae sunt inter alias: Bochum, Münster in Guestfalia, Aachen, Elberfeld, Barmen, Bingen, Hannover, Osnabrück, Hagen, Darmstadt, Koblenz, Ludwigshafen, Düren, Viersen, Bremen, Kiel, Stettin, Breslau, Berlin, Lübeck, Magdeburg, Bielefeld. Exortum anno 1914 bellum et subsecuta occupatio regionis rhenanae Silesiaeque superioris conferentias in aliquod discrimen vocavit. In compluribus istarum regionum urbibus opus inchoatum continuari non potuit. Sed in media et orientali Germania succrevit supplementum in plurimis urbibus, quarum incolae catholici, inter protestantes dispersi, conferentias plurimi faciebant: Halle, Erfurt, Cassel, Eisenach, Gotha, Weimar, Jena, Halberstadt, Rostock, Wilhelmshaven, Oldenburg, Görlitz, Neisse, Kottbus, Liegnitz, aliae conferentias postulaverunt, obtinuerunt, usque ad hunc diem retinuerunt. Novae quotannis conferentiae petuntur et, quantum operariorum penuria permittit, conceduntur. Hoc ultimo anno pro minoribus aliquibus urbibus, quas ipsi dimisimus, assumptae sunt Potsdam, Brandenburg, Hildesheim, Cleve, Emmerich, Hamm, Wesel, Neustrelitz, Hamburg, aliae.

Nunc 90 vel 100 urbes suas habent singulis mensibus conferentias, quae pro geographico situ urbium in quattuor coetus divisae a quattuor vel quinque Patribus Dusseldorpii ad hoc residentibus alternatim traduntur. Triginta circiter urbes dimidio fere die attinguntur ex urbe Düsseldorf, quae egregiam habet cum ad alias urbes tum ad propinquae « regionis industrialis » connexionem viae ferreae, reliquae singulis itineribus a singulis Patribus ita comprehenduntur, ut omnes Patres ante finem mensis reduces vitam communem per aliquod tempus peragant. Tempore aestivo tres menses, omissis conferentiis, dicantur recollectioni spirituali, studio et remotae sermonum praeparationi, virium recreationi. In itinere Patres domicilium et victum accipiunt in domo parochi, qui etiam ecclesiae et Patrum sumptus necessarios solvit.

Finis conferentiarum per totum tempus immutatus permansit idem. Id agimus, ut auditores, qui in maioribus urbibus multa

contra fidem audiunt aut legunt, eius veritates melius cognoscant, ardentius ament, facilius defendant. Non sunt sermones apologetici tantum, qui praeambula fidei tractant, sed religiosi et scientifici (« religiös-wissenschaftliche Vorträge »), qui dogma vel doctrinam catholicam clare expositam solideque probatam subsidio philosophiae, historiae, scientiae naturalis illustrant et defendunt, applicant ad quaestiones maxime agitatas. Nisi necessitate temporis determinatum aliquod thema exigatur, sermones fixo et certo ordine totum paullatim ambitum veritatum fidei tractare student. Quod quo melius praestari possit, materia tractanda ita inter singulos Patres distributa est, ut suam quisque habeat determinatam ex theologia vel dogmatica vel morali vel fundamentali partem, quam diligenti studio familiarem sibi reddat quamque verbo scriptoque facile et cum auctoritate tueri possit.

Methodus est, quantum materia tractanda id permittit, scholastica. Ipsa veritatis clara expositio saepe est erroris confutatio. Quare imprimis proponuntur distincti conceptus, determinatae propositiones, perspicua argumenta; logice deducuntur conclusiones et applicationes, diluuntur argumenta quae ab adversariis errantibus vel infidelibus nunc temporis et in regionibus ubi sermo dicitur proferuntur. Propterea parochi, in quorum ecclesia sermones habentur, rogantur, ut libellos adversarios, qui in regione sparguntur, folia volantia, quae dicuntur, articulos ephemeridum Patribus mittant. Non raro materia tractatur per modum syllogismi: prior pars est declaratio et probatio maioris, altera minoris, conclusio est propositio consequens cum affectu inculcata. Quamvis, ut ex dictis patet, primo loco intellectus persuasio intendatur, affectus tamen in omnibus sermonibus permultum curatur. Hoc modo omnibus auditoribus, et cultis et minus cultis, et viris et feminis, satisfit. Feminae enim, quae belli tempore pro absentibus viris in aliquibus urbibus admittebantur, nunc bello composito, praesertim cum mutata sociali vita multae etiam feminae periculis fidei exponantur, non iam ubique excludi possunt. Attamen conferentiae pro necessaria sua, quam diximus, indole viros magis alliciunt, e quibus multi ita perseverant, ut nullam omittant.

Annuntiatur thema tractandum et nomen Patris dicturi mense fere ante diem sermonis a parocho, qui eum quidem pro sua parte promulgat et commendat ex pulpito ecclesiae, in unionibus et associationibus ecclesiasticis, ephemeridibus, quandoque etiam pu-

blice affixis pagellis. Antequam novus cursus annuus incipiatur, transmittitur parochis catalogus dierum, quibus conferentiae habebuntur. Summi enim momenti est, ut parochi mature provideant, ne tempore conferentiae aliae conciones aut conventus instituantur, quibus auditorum numerus minuatur. Brevi ante sermonem imprimitur in ephemeridibus parvus articulus, tractandae propositionis sensus et momentum explicatur et commendatur. Generatim id agendum est, ut catholicae in singulis urbibus associationes iuvenum, virorum, etc. (Standesvereine), conferentiam declarent suae unionis propriam institutionem, cui omnes interesse debent.

Si parochus hac ratione conferentias praeparat et adiuvat, non solum initio, ubi rei novitas allicit, sed continenter et constanter eximius auditorum numerus convocatur, qui quidem in catholicis urbibus complura saepe milia complectitur. In regione « diaspo rae » (1), quae dicitur, pauciores sane, ut patet, conveniunt, qui tamen tali auxilio magis indigent et saepe supplentur multis protestantibus. In magna aliqua urbe solent interesse nonnulli ministri protestantici, e quibus unus nuper « Utinam et nos, inquit, in nostris ecclesiis veritates religiosas adeo clare et determinate proponere possemus ». In alia urbe minister quidam protestanticus sedet in primis scamnis, totum sermonem sibi annotat, ut eum in suo templo postea repetat. In alia urbe director gymnasii protestantici discipulos superiorum trium classium omnes saepe misit ad sermones audiendos. Quoniam conferentiae habentur in decem urbibus Universitatum, etiam professores eorumque assistentes et studiosi non rari pro materiae tractatae qualitate adsunt; saepius sua dubia aut quaestiones postea privato colloquio aut litteris scriptis proferunt Patribus, qui talia libenter admittunt, publicam autem discussionem etiam extra ecclesiam constanter reiciunt. Ephemerides protestanticae saepius invehuntur cum in conferentias ipsas tum in protestanticos earum auditores eo tamen successu, ut veniant plures. Neque desunt protestanticae ephemerides, quae rem summopere laudent. Ita in urbe Rostock nuper ephemeris quaedam haec habuit: « Cur tale quid, quod aetati nostrae et necessitati plurimum convenit, a catholicis prodiit? Sed veniant etiam protestan-

(1) Diaspora vocantur in Germania regiones illae, in quibus pauci catholici inter multo plures protestantes dispersi vivunt.

tes: uno sermone plus discent quam in sua ecclesia per totum annum ». In urbe Hamburg insignis ephemeris protestantica primi sermonis ibi habiti dedit delineationem generatim rectam et benevolam addiditque inter alia haec: « Cum sermonis structuram et perfectionem consideramus, intelligimus, cur Iesuitae, qui sunt excellentes quidem in ecclesia duces, ab externis vere timeantur. Intellectus, qui logica luce profundissima quaeque illustrat, ardens iste et devotissimus fidei amor invincibili virtute expugnant eos, qui audiunt ». In aliquibus urbibus protestantes similes conferentias in suis ecclesiis eodem tempore instituerunt, ut suos a nostris conferentiis arcerent; sed quoniam in omni protestanticae confessionis discordia non habuerunt themata, quae audire auditorum interat, nihil profecerunt. In Thuringia nuper minister protestanticus nostrum Patrem ex urbe in urbem secutus eadem qua ille hora similem quendam sermonem dixit in eadem ephemeride annuntiatum, sed hoc unum effecit, ut nostri sermones pluribus innotescerent. Ecclesiae catholicae, quae nostras conferentias introduxerunt, generatim eas constantissime retinent. Ita nuper parochus minoris alicuius parochiae in urbe « diasporae », ubi conferentias non satis frequentatas in commodum maiorum urbium omittere statueramus, haec scripsit: « Hoc una mecum plurimi catholici et protestantes pergraviter ferrent. Aliquibus damnum inferretur, quod compensari nullo modo posset. His difficillimis temporibus tam egregium pro cura animarum adiumentum " diasporae " urbibus negari non debet ».

Ritus, quem in conferentia religiosa sequimur, hic est. Dicitur sermo generatim vespere hora octava in ecclesia, in quam fideles signo campanae convocantur. Ante sermonem cantatur hymnus ad invocandum S. Spiritum. Pater, cum dicit sermonem, indutus est superpelliceo et stola. Plurimum urgetur, ne horae spatium sermo excedat. Finitum sermonem excipit cantus materiae sermonis aptatus. Deinde exponitur Sanctissimum Sacramentum, datur benedictio eucharistica.

Post conferentias, ut homines quae audierunt memoria recolant, quae non intellexerunt interrogando suos sacerdotes suppleant, parochi solent plerumque brevem relationem de iis, quae dicta sunt, ephemeridibus imprimendam mittere. Plurimis rogantibus et parochis et catholicarum unionum rectoribus, ipsi Patres nunc student singulos sermones brevi expositione complexi imprimen-

dos curare ab aliqua officina catholica, quae conferentia perfecta folia suis sumptibus impressa per aptos aliquos laicos ad ianuam ecclesiae vendit. Ita conferentiae fructus facile augeri possunt studio privato et discussionibus et repetitionibus, quas unionum moderatores instituunt. Folia autem simul collecta paulatim efficient aptam seriem dogmaticam et apologeticam quaestionum religiosarum, quae publice nunc agitantur.

Totus hic labor, ut e natura rei et usu constat, vix bene praestari potest nisi pluribus Patribus ad id destinatis et sub uno Superiore constitutis. Hoc modo, quo complures apti Patres inter se distribuunt materias tractandas et mutant ecclesias, in quibus sermo dicitur, conferentiae solide praeparatae singulis mensibus de materiis maxime diversis haberi possunt.

Consequitur ex his, quae diximus, quae sit relatio inter menstruos sermones religiosos et scientificos nostros atque alias religiosas conciones sive ordinarias sive extraordinarias in missionibus aliisque occasionibus. Sunt enim aliae conciones, quae directe et immediate institutionem christianam, vitae emendationem, peccatorum confessionem intendunt, ut solidus cibus animarum, omnibus et semper necessariae. Conferentiae autem hae in maioribus urbibus et aliquibus regionibus optimum praebent ad tollendas difficultates et augendam fidei alacritatem supplementum, quod adhibendum ipsi Patres nostri missionarii ad fructus missionis servandos saepius, perfecta missione, parochis cum bono effectu commendarunt. Conferentiae denique non raro missiones praeparaverunt.

Habent Patres, qui sermones menstruos dicunt, praeter hunc sibi proprium laborem, plurimas occasiones etiam alio modo laborandi pro salute animarum, cum alibi tum in regione « diasporae », quae omnibus fere religiosis sacerdotibus et continua qualibet cura extraordinaria animarum destituitur quaeque e longinquo alios advocare propter difficultates monetarias generatim non potest. Tradunt Patres praeter sermonem publicum multas conferentias sacerdotibus atque iis aliisque peccata confitendi occasionem praebent eamque eo utiliorem, quo minor est in illis regionibus confessariorum copia.

V

MISSIO AD RIPAS « MAGDALENA » FLUMINIS INSTITUTA.

Patres nostri, qui in Missione Columbiana (Prov. Cast.) laborant, opus quoddam susceperunt, quod difficultate non minus quam fertilitate eminet: sacram paraverunt expeditionem navalem ad excolendam vastissimam illam regionem, quae cis et trans magnum flumen « Magdalena » sese extendit.

Campus Missionis.

Magdalena flumen, praecipua rei publicae via mercandi, qua magna ex parte eius vita fluit, longum est 1380 km., latum vero usque ad 1000 m. et amplius atque in multa brachia dividitur. In illud hinc inde complures fluvii minores influunt in quos etiam missionarii excurrere possunt. Sed praecipua pars, eorum labori assignata, est quod vocant flumen inferius (Bajo-Magdalena), ab oppido Honda usque ad portas urbis maritimae Barranquilla, quae pars 845 km. comprehendit.

Regio quidem feracissima est et nemoribus nunquam humano pede violatis obsita, in quibus simii errant, psittaci garriunt, quae variorum generum serpentibus abundant. Sunt et arva tropicalibus plantis virentia et vaccarum plena. Fervet calor aestate perenni, ita ut media temperatura diei 30 graduum sit, saepe autem ad 40 perveniat; fervent et culices (mosquitos), morborum, praecipue paludismi, vectores. Cerneres ad ripam horridos greges crocodilorum (caimanes eos vocant) ita ut aliquando missionarius quidam 46 eodem loco numeraverit; tantae vero longitudinis ut saepe 6 aut etiam 7 metra adaequent.

Maximae huius regionis divitiae sunt fontes petroliferi nuper prope fluminis ripam magna copia reperti, ita ut iam puteus habeatur qui 5000 cados (barriles) cotidie effundat et depositum exstet 14.000.000 litrorum capiens. Ob hos fontes Columbia nunc inter regiones petrolio uberrimas numeratur atque, ex Statibus Foederatis praesertim, magnae societates industriales huc convolant ut petrolei puteos fodiant et officinas instituant. Hinc vel ipsa huiusmodi hominum praesentia contagionis protestanticae periculum instat.

In ripis fluminis, quantum se protendit, plures urbes, oppida, domus, tuguria dispersa collucent; centum milia incolarum, plus minus, regio a missionariis exculta comprehendit. Indigenae sunt honesta specie et procera statura, at etiam multi inveniuntur nigritae, proles eorum, quos Sanctus Petrus Claver baptismate abluit. Sunt fide simplices, pompis sacris maxime delectantur, sacerdotem reverentur; sed etiam pigri sunt et desides tum ad res animi tum ad labores corporis, superstitionum amantissimi, ebrietate vexantur; praecipuum vero vitium est concubinatus, quo tam misere adstringuntur ut solummodo deni ex centenis (10 %) legitime sint coniuncti.

Causa cur tam male circa res animae se habeant est sacerdotum penuria, quae tanta est ut unus parochus 10, 15 et etiam 20 oppida sibi commissa habeat, longe inter se dissita. Desunt praeterea saepe templa et sunt oppida quae ne sacellum quidem habeant; sunt alia in quibus post hominum memoriam nullus visus est sacerdos. Hinc dilatio baptismi, hinc ne per totum annum quidem ullae confessiones et Communiones habentur, hinc incredibilis rerum fidei ignorantia, hinc concubinatus. Ut paucis dicam: saepe fideles baptismum tantum receperunt, ceteroquin infidelibus sunt similes atque adeo iis deteriores.

Origo missionis et fructus.

Huic summae miseriae tum Episcopi columbiani tum Superiores nostri consulere cupientes, communi consilio decreverunt aliquos Patres designare qui flumen illud continuo perlustrarent. Adhuc propter penuriam operariorum non nisi duo missionarii destinari potuerunt, P. Ephraim Fernández et P. Daniel Ramos, uterque columbianus. Instructi sunt amplissimis facultatibus, etiam sacramentum confirmationis conferendi; per annos iam tres in illa difficili missione laboraverunt, a Deo in optima valetudine conservati. Utinam cito aliquae stationes, praesertim ad fontes petroliferos, constitui possint!

Ad iter fluviale conficiendum utuntur missionarii plerumque scaphis (canoas eas vocant) quae ex una arbore excavata fabricantur, ita ut aliquando 20 metra longitudine adaequent. Hoc modo Patres ex uno oppido in aliud se transferunt, comitantibus aliis scaphis, ut saepe quasi pompa fluvialis fiat, dum hymnis sacris resonant littora.

Praeter consueta exercitia quae in missionibus adhibentur, hic, propter specialem necessitatem, visitatio fit singularum domorum in qua Nostri incolas familiariter alloquuntur, munuscula, imagines et etiam vestes eis distribuunt. Prospere cedit praeterea sortitio, in qua pueris multae res utiles dantur praemio pro assiduitate qua catechesi adfuerunt. Fiunt et pompae, quae nisi per complures horas protrahantur, hominibus non placent; tantopere eis delectantur!

Maximus fructus continetur matrimonii christiani instauratione, cum, ut diximus, plerique concubinatu vincti iaceant. Quod autem codex canonicus permittit, ut, si per mensem sacerdos competens haberi nequeat, sine eo matrimonium celebrare fas sit, homines doceri non possunt, quia sibi persuaserunt neminem absque sacerdote rite matrimonium contrahere.

Multi adulta demum aetate prima vice in vita sua confitentur et Communione reficiuntur. Non rari sunt ii qui eodem die, quo matrimonium contrahunt, accedunt etiam ad primam confessionem et primam Communionem.

Familiae, quae dignae habentur, Sacratissimo Cordi consecrantur et eiusdem imago aliqua in oppido relinquitur per singulas domos circumferenda ut ab unaquaque familia septem dies singulari assiduitate colatur.

Congregationes institui adhuc fere non potuerunt, nisi coetus quidam catholicus, quem vocant, qui de templo aedificando et de religione in oppido promovenda curet ac congregatio filiarum Mariae, ut nubiles puellae a concubinatu serventur. Aqua Sancti Ignatii certatim ab incolis expetitur et Sanctus Parens eorum fidei singulares curationes non raro obtinet.

Collegia nostra vero et consociatio duodecim Apostolorum multum Patres iuvant munusculis, imaginibus, vestibus, aliis id genus rebus procurandis atque mittendis. Oppida visitata ipsa pro sua paupertate magna cum caritate Patres alunt, ita ut hi non multum ea in re pati debeant.

Conspectus Missionis annis 1918, 1919, 1920, 1921.

Kilometra scapha perambulata	1.375
Oppida et pagi visitati	99
Incolarum numerus	46.792
Domus	8.188

Baptismi	938
Confirmationes	1.628
Communiones	24.016
Primae Communiones	5.648
Matrimonia	1.109
Pueri catechesi exculti	7.369
Familiae Sacratissimo Cordi consecratae	1.033
Scapularia Virginis de Carmelo distributa	4.988
Imagines Sacratissimi Cordis	4.015
Vestes donatae	1.578

VI.

CONSOCIATIONES IUVENUM.

« *Neu-Deutschland* ».

Ante bellum discipuli scholarum mediarum in Germania bis in hebdomada per horam in doctrina christiana instituebantur a magistris sacerdotibus, qui ut curam pastoralem puerorum securius gererent quasi parochi iuris in eos, saltem in archidioecesi coloniensi, gaudebant; sed tamen haec publice instituta ad innocentiam puerorum conservandam non satis erant, ut ex iis apparuit quae de moribus depravatis non paucorum ad parentum atque magistrorum horrorem modo in hac, modo in illa urbe casu palam fiebant. Congregationes vero aliaeque piae consociationes quibus pueri magis iuvari poterant, a gubernio non admittebantur, quamquam ab eodem protestantibus concedebatur eorum discipulos circulis religiosis (Bibelkränzchen) congregare. Cum anno 1902 parentes catholici colonienses 400 suis liberis simile quid expetissent, ne responsum quidem tulerunt. Postea nonnunquam concessum est, ut consociationes religiosae discipulorum fierent, sed tam gravibus adiectis legibus ut erigi fere non possent.

Quae res commutatione rerum publicarum adeo mutata est ut nunc plena facultas sit discipulis quascumque consociationes constituendi. Qua libertate usi sunt subito socialistae, liberales, athei qui pueros ad suas quique partes trahere conabantur. Neque vero catholici summam hanc et fortasse extremam oppor-

tunitatem eos Christo atque Ecclesiae praeripiendi praetermiserunt. Variae consociationes discipulorum catholicorum coeptae sunt.

Patres nostri iam ante ipsum bellum inter pueros, non sine difficultate quidem, circulos quos vocaverunt v. g. Aquisgrani constituerant et in bello, maiore in hac re libertate usi, explicaverant, dein vero sub auspiciis Em. Card. Hartmann, Archiepiscopi Coloniensis, initium fecerunt foederis quod, super totum Germaniae imperium propagatum, discipulorum catholicorum consociationes colligeret in unumque collectis maiorem vim praeberet alios alliciendi maioremque auctoritatem socios contra hostium impetus defendendi. Cui consilio Divina Bonitas manifesto favit. Die enim S. Ignatii sacro anni 1919 foedus cui nomen Novae Germaniae (« Neu-Deutschland ») imposuerunt, constitutum (1) et primum ad archidioecesim coloniensem restrictum, sed miro incremento — sub finem anni 300 pueri, ab aliis 10.000 ex 105 locis missi, Coloniam convenerunt — brevi fines colonienses transgressum, ab Episcopatu approbatum atque etiam advocatum, per universam Germaniam se extendere coepit ita ut cum anno proximo (1920) foederis delegati Fuldam ad sepulcrum S. Bonifatii, Germanorum apostoli, congregarentur, 800 pueri venirent aliorum 18.000 nomina et voluntates adferentes. Post annum, aestate 1921, Friburgum in Brisgovia 2000 se contulerunt, quorum relationes plus 24.000, in 320 urbes et oppida dispersa, exspectabant.

---

(1) « Neu-Deutschland » foedus est discipulorum catholicorum consociationum, quibus singulis relinquitur magna libertas instituendi propriam rationem intra limites largos a foedere ipso regulis generalibus statutos. Toti foederi regendo propositum est consilium constans e parentibus, magistris religionis puerisque ipsis: horum 15, illorum 10 consilium istud ingrediuntur. Ad negotia ordinaria facilius expedienda, ad conventus parandos, ad periodicum edendum habetur secretariatus, cui Secretarius generalis ab Archiepiscopo Coloniensi cum approbatione Germaniae Episcopatus designandus praeficitur; in praesentia hoc munere fungitur P. Ludovicus Esch e nostra Societate (Köln, Albertusstrasse, 36). Simili ratione ab eodem Praesule nominatus sacerdos saecularis toti foederi praeest. Pueris vero, ut ex numero eorum in consilio principe elucet, magna pars in instituendo et regendo foedere relinquitur, ita ut sentiant in his omnibus de sua re agi. Nunc quidem foedus ad scholas medias restringitur, sed cum in dies plures socii in universitates et in vitam publicam abeant, non pauci sperant hoc foedus brevi fermentum fore novae vitae inter Germaniae catholicae viros excultos.

Cui numeri augmento non dispar fuit pietatis atque religionis incrementum. Ultimo friburgensi congressu non solum, quod in pueris catholicis mirum non est, Beatam Mariam Virginem incredibili ardore Patronam et Dominam sui foederis acclamaverunt, sed etiam Congregationes Marianas, erga quas antea non tanto studio ferebantur, omni labore et amore inter socios promovendas esse edixerunt.

Sic in dies magis firmantur in ea voluntate, quae foederis finis est atque scopus quamque Friburgi puer quidam omnium applausu explicavit his verbis: « Volumus esse veri catholici ». Christi et Ecclesiae summo amori submittunt studium erga patriam et gentem, quas iuvenili ardore diligunt et ad quarum salutem iustitia et virtute procurandam animos et corpora parant.

Finem suum pueri ea fortitudine appetunt et constantia, quae viris ipsis exemplo esse potest. Exercitiis clausis secundo quoque anno se dedere, in quantum res et tempora permittunt, ipsi statuerunt. Numeri omnium Exercitiorum nondum habentur, sed constat, ex mense augusto 1920 usque ad eundem mensem 1921, 4000 sociorum foederis tridua peregisse, idque silentio sancte servato et eximio fructu, ut omnibus qui eos viderent admirationi essent et aedificationi. Etiam plures ut ad Exercitia admitterentur petiverant, sed cum victus et carbonum copia deficeret neque domus ad tantam multitudinem recipiendam praesto essent, ad aliud tempus remitti debuerunt. Alia difficultas in eo est quod multi pueri sumptibus quamvis exiguis solvendis pares non sunt, ita ut ex communi foederis arca, quae ipsa quoque non raro angustiis premitur, iuvari debeant. Quanto vero studio ad Exercitia ferantur, declaratur eo quod cum Spirae (Speyer) Episcopus et sacerdotes putarent ob rationes supra indicatas Exercitia fieri non posse, discipuli nostri petentes ut sibi res relinqueretur, in pagos finitimos exierunt ut apud agricolas victum emendicarent. Tantum obtinuerunt, ut ciborum abundantia duobus diebus post Exercitia peracta iis sufficeret. Hannover, in qua urbe pauci catholici inter protestantes dispersi degunt, eam annonae copiam impetrarunt, ut duo cursus Exercitiorum, uterque 80-100 capitum, haberi et pueri admitti potuerint, quibus alias haec gratia nunquam oblata esset. Sperant brevi a triduis ad quinque dies Exercitiorum gressum fieri posse.

Quantos fructus haec Exercitia afferant, ille solus dicere potest, qui hominum corda scrutatur cuique omnia secreta patent; sed multi pueri ipsi, gaudio abundantes, exsultant Exercitiis Spiritualibus se recuperasse castitatem et animi puritatem quam, misere sibi relicti, perdiderant et cum ea reliqua bona ipsis rediisse. Castitas colenda eiusque amor apud alios propagandus inter prima sociorum officia habentur; se ipsos et aequales a contaminatione sermonum librorumque impurorum atque a foeditate multarum imaginum motarum (cinematographi) defendere volunt; plurimis locis nostri in hac re cum aliis puerorum consociationibus, etiam acatholicis, coniuncti obtinuerunt ut impudica opera artis quae vocant removerentur. Cum vero mala repellere non satis sit, nisi bona iis sufficiantur, bonos libros propagare, artis genuinae honesta opera academiis et domesticis et publicis nota reddere conantur. Corporis moderata cura et alia, quae puerorum animos honeste delectant et proinde innocentiae conservandae favent, non negliguntur; alii aliis modis recreantur: hi pilis ludendo, illi remigando, alii patriae regiones peragrant non raro complurium dierum itineribus, cantu et fidium sonu laeti, Beatam Virginem hymnis colentes ita ut agricolae, praesertim in regionibus protestanticis, mirabundi in pueros modestos et felices oculos convertant.

Fragilitatis autem naturae humanae et suae aetatis periculorum conscii neque subsidiis humanis contenti, ad fontem illum divinum confugiunt, ex quo fortitudinem atque constantiam in ardua pugna sibi affluere persentiunt: ad s. Communionem. Quamquam de ea accipienda legibus foederis nihil fixi singulis praescriptum est, tamen nullus conventus generalis vel regionalis fit, nullum consilium convocatur quin pueri ad s. mensam una accedant; non solum ipsi saepe pane caelesti nutriuntur, sed alios etiam ad eum sumendum allicere intendunt. Ita non pauci circuli locales statuerunt ut, cum aestate una peregrinantur, quavis dominica Corpus Domini una acciperent ad frequentem Communionem cum verbis tum exemplo et pietate ubique promovendam.

Cum porro in scholis Germaniae antea doctrinae christianae explicatio eodem plane loco haberetur atque reliquae disciplinae et officia religionis omnibus implenda praescriberentur, nunc Ecclesiae inimici illam ex scholis depellere conantur et singulorum arbitrio relinquitur, si Missae assistere, sacramenta recipere vo-

lunt: hic campus latus zelo animarum aperitur. Pueri nostri igitur omni vi enituntur ut institutio religiosa in scholis retineatur et condiscipuli Ecclesiae praeceptis fideliter oboediant.

Neque inter eos deest fructus pulcherrimus vitae innocentis et piae: vocationes ad sacerdotium et vitam religiosam. In nonnullis dioecesibus maior pars clericorum e foedere « Neu-Deutschland » venit; alii in alios ordines ingressi sunt; mense maio anni 1922 in tirocinio Provinciae Germaniae Inferioris 37 Novitii erant, qui e consociatione « Neu-Deutschland » provenerant, in novitiatu Germaniae Superioris quattuor.

Vix dici potest quantopere pueri, praesertim ii, qui rari inter protestantes dissiti degunt, foederis sui magnitudinis atque auctoritatis conscii, iuventur et in fide confirmentur. Antea in illis regionibus protestanticis non pauci iuvenes, fere soli relicti, Ecclesiae perierunt; nunc cum aliis consociati, eius potentiam magis sentiunt et auxilium experiuntur. In urbe aliqua inter 700 discipulos scholarum mediarum septem tantum catholici inveniuntur: quis enarret pericula tantae solitudinis? Nunc vero fortiter foederis insigne gerunt quo Ecclesiae catholicae filios palam se profitentur. Cum in urbe Braunschweig ne unus quidem bibliopola catholicus esset, socii nostri ut incolarum animos in libros catholicos converterent, eorum multos simul collectos spectandos praebuerunt. In alio oppido, cuius cives multo maiorem partem protestantes sunt, 500 pueri catholici una ad s. Communionem accesserunt, inauditum sane ibi post hominum memoriam spectaculum.

Nil igitur mirum quod periodicum aliquod protestanticum admiratione plenum de tanto erga S. Ecclesiam amore et studio, id solum exoptaret, ut suae sectae asseclae Ecclesiam quam vocant suam simili ardore amplecterentur. Em. Cardinalis Schulte vero, Archiepiscopus Coloniensis, non dubitavit erectionem foederis « Neu-Deutschland » laetissimis recentioris historiae ecclesiae in Germania eventibus adnumerare. Ab hoc iudicio certo illud non est alienum, quod dux quidam catholicorum cum audiret quid foedus sit, quid intendat, quid iam obtinuerit, prae gaudio lacrimans dixit: « Nunc profecto spes est fore ut suboles nobis succrescat quae vestigia nostra premat ».

Ab omnibus Germaniae Episcopis approbatum et ab Excellentissimo Nuntio Apostolico commendatum foedus, « Novae Germa-

niae » neque S. Sedis favore caret, ut videre est ex humanissimis litteris quas, nomine Summi Pontificis Benedicti XV, Em. Cardinalis Secretarius Status dedit ad Episcopum Friburgensem in cuius urbe socii anno 1921 congregati sunt et ex liberalibus donis quibus idem Pontifex puerorum egestati succurrit.

Omnium gaudium completur, cum quotannis ex universae Germaniae partibus delegati locales in urbem quandam conveniunt, ut de rebus suis consulant et amicitiae vincula artius stringant. Tanti momenti foedus videtur, ut ipsum gubernium mittere soleat qui suo nomine conventui intersit. Episcopus autem urbis pro paterno amore, quo prosequitur eos qui Ecclesiae et patriae spem constituunt, congregatorum animos alloquio recreat atque confirmat. Pueri vero iuvenili ardore observantiam et reverentiam erga Pastorem laeto manuum et vocum plausu significant et nocte cadente cum facibus ardentibus pompam ad Episcopi domum ducunt, ut oratione et canticis animi oboedientis et fidelis sensa ei exhibeant. Quibus peractis taedas in unum coniciunt et, dum scintillae ad caelum nocturnum efferuntur, pueri hymnum ambrosianum patrio sermone cantare incipiunt, cuius graves modi omnium mentes ad Deum, datorem omnis boni doni, attollunt.

« *Asociación Católica de la Juventud Mexicana* (*A. C. J. M.*) ».

« Consociatio Catholica Iuventutis Mexicanae » mense augusti, anno 1913, exordium habuit. Tristissima conditio rei publicae mexicanae, post eversionem Praesidis Porphyrii Diaz, occasio fuit cur P. Bernardus Bergoend (Prov. Mex.) de hac consociatione stabilienda cogitaret. Plus quam viginti quinque annis factio politica, falsis liberalismi principiis imbuta, res publicas unice direxerat; praeterea, magistri doctrinae positivae, ut aiunt, addicti, iuventutem scholarum, nullis quidem impedimentis interpositis, profunde perverterant; quibus effectum est ut catholici, omnia arbitrio religionis inimicorum relinquentes, omnino a rebus publicis abstinerent; et ipsimet iuvenes, qui nostrorum Collegiorum educatione et doctrina usi erant, eandem fere sequerentur viam, parvi facientes bonum patriae et religionis. Necesse igitur fuit coetum iuvenum instituere ac conformare, qui propugnatores boni publici et pietate erga religionem insignes exsisterent.

Modus vero hunc finem assequendi ultro offerebatur: quam viam quamque rationem rerum gerendarum secutae erant aliae

nationes, in similibus fere adiunctis constitutae, ingredi tentavimus; quapropter facilius, citius ac fructuosius visum est Foedus Iuventutis Catholicae in Gallia constitutum nostris conditionibus adaptare.

Finis consociationis nostrae est, cooperari instaurationi spiritus christiani socialis, adhibitis pietate, studio, actione religiosa et civili, sed minime politica. Pauca dicenda de unoquoque medio.

Omnis coetus Iuventutis Catholicae (numerantur fere 150 tota re publica) pietatem sociorum fovere conatur frequenti Communione, saltem octavo quoque die accipienda, religionis actibus in paroecia communiter habitis et Exercitiis Spiritualibus S. P. Ignatii semel in anno peractis. Nunc fere omnes desiderant ut Congregatio Mariana in unoquoque coetu instituatur.

Consessus qui vulgo « Circuli Studiorum » nuncupantur, praecepta encyclicis litteris « Rerum novarum » et « Immortale Dei » exhibita et quaestiones apologeticas eo fructu tractant, ut iuvenes nostri in his rebus facile principes nunc evaserint.

Partes quas variis rei publicae locis strenue suscepit Consociatio in Ecclesia defendenda, tempore insectationis religiosae eae fuere, ut RR. DD. Archiepiscopus Mexicanus exclamaret Consociationem nostram in Ecclesia tuenda inter omnes obtinuisse principatum.

Hac de re pauca referuntur.

Anno 1917, in statu Ialisciensi decreta in Ecclesiam tam nefaria facta sunt, quae compulerint potestatem ecclesiasticam cultum publicum prohibere. Tunc iuvenes nostri, manifestationibus in via publica, scriptis in ephemeridibus, delegationibus ad rei publicae Praesidem et ad supremum iustitiae tribunal missis, hisce perversis legibus tam felici exitu restiterunt, ut earumdem abrogationem obtinerent. Ante paucos menses in civitatibus Morelia et Angelopolitana (Puebla), duo collegia catholica, quae hucusque, nescio quo felici fato immunia, perstiterant, iussu potestatis civilis clausa sunt; statim iuvenes catholici protestationem publicam tam ingentem instituere, quae abrogationem iniqui mandati tandem obtineret. Varia scelera a nefariis hominibus in palatiis archiepiscopalibus mexicano et guadalaxarensi atque in ecclesia cathedrali moreliana patrata multas occasiones praebuerunt iuvenibus nostris suum Ecclesiae filialem amorem mirifice confirmandi, usque ad sanguinis effusionem, cum More-

liae optimus iuvenis, Romulus Gonzales, ab hominibus nefariis atque seditiosis graviter vulneratus occubuerit. Aliam iidem iuvenes opportunitatem suam erga Deiparam pietatem ostendendi nacti sunt. Rumor validus increbuerat homines sceleratissimos sanctuario Beatae Mariae Virginis Guadalupensis ruinam moliri. Petente ipso Archiepiscopo Mexicano, iuvenes catholici, armis muniti, per amplius duos menses singulis noctibus sacram aedem custodiverunt. Animis denuo sedatis ac omni periculo, uti putabatur, remoto, ecce, globus dynamita refertus, in superiore parte altaris maioris, ad pedes ipsius tabulae Virginis Guadalupensis collocatus, ingenti fragore disicitur. Ingens timor et canonicos qui, sacris peractis. iam in sacristiam discesserant, et frequentem populum occupat. Pulvis vehementi trepidatione motus cuncta implet; quo sedato obstupefacti omnes altare confractum, candelabra disrupta, necnon aeneam crucem distortam, fenestras vitreas ruptas, sed tabulam Beatissimae Virginis illaesam atque vitrum, ante eam positum, omnino intactum conspiciunt. Ordinis publici custodes hoc scelus inultum reliquere, sed iuvenes publicas ubique manifestationes produxerunt, praesertim Mexici, ubi plus quam triginta milia hominum, praeeunte Iuventute Catholica, viam publicam confertis ordinibus perlustrarunt.

Multis locis Consociatio catecheses et scholas pro pueris, Circulos studiorum et « syndicatus » christianos pro operariis feliciter instituit; quin etiam « syndicatus bolschevicarum » de medio sustulit, eorumque sociis persuasit ut alium syndicatum, christiano spiritu plane imbutum, constituerent.

Consociatio etiam nonnulla folia hebdomadaria edit et typis mandavit aliquos libros, inter quos habentur « Cajas Raiffeisen » et encyclica « Rerum novarum », notis et brevibus commentariis aucta.

Quattuordecim legati, non paucis superatis incommodis, Romam petierunt, ac Iuventutis Catholicae internationali congressui, mense septembri anni 1921 in Urbe habito, maxima cum laude et omnium plausu interfuerunt. Summus Pontifex Benedictus XV, felicis memoriae, et A. R. Pater Noster eos benigne exceperunt iisque animum addiderunt ad strenue pro religione in hac nostra perturbata re publica semper agendum.

VII.

RATIO STUDIORUM.

A. — In Hibernia Ratio Studiorum fundamentum ponitur cursus paedagogici, quo gradus publici a Nostris acquiri possunt.

In Hibernia omnes scholae mediae vel secundariae sunt liberae; nullam auctoritas civilis administrat. Ab anno 1879 iis fere omnibus ex aerario subvenitur, ea tamen lege ut alumnos de omnibus studiorum partibus quae ad institutionem religiosam non spectant, quotannis subiciant publicis examinibus, pro quorum successu largitiones inter singulas scholas distribuuntur. Proximis tamen hisce annis alia quoque pro attribuendis subsidiis in considerationem veniunt: inspectio fit scholarum administrationis, docendi methodi; praeterea potior ratio habetur scholarum vel collegiorum ubi sunt magistri qui, postquam gradum academicum et diploma in arte paedagogica adepti sunt, in huius artis usu sub ductu peritorum professorum per statutum tempus se exercuerunt. Quin etiam post expletum annum academicum 1924-1925 eorum tantum nomina in albo publico magistrorum inscribentur, qui ad magisterium exercendum triplici illo titulo pollent: gradu academico, diplomate in arte paedagogica, praescripto in hac arte exercitio. Obtinet a quindecim iam annis similis quaedam lex per magnam Australiae partem, ubi ex anno 1867 complures regit huiusmodi scholas Provincia Hibernica.

Ab anno 1890 Scholastici nostri Iuniores, expleto in Universitate publica (prius Regali, nunc Nationali) triennio, gradus academicos sunt permultos consecuti idque saepissime maxima cum laude; complures etiam superiores gradus in litteris et scientiis summaque Universitatis praemia sunt adepti. Ab anno 1919 urgeri coepta est lex illa de diplomate in arte paedagogica assequendo: exinde Superioribus opportunum est visum a Consilio publico, cui mandata est cura albi publici magistrorum, facultatem petere qua Scholastici in Collegio nostro Cluenensi (Clongowes) regentes ad praecepta Rationis Studiorum probatorumque Societatis scripto-

rum et secundum normas Ecclesiae Catholicae et ipsi Societati omnino consentaneas, diplomata in arte paedagogica assequi possent, approbata a civili auctoritate. Elaboratum est igitur programma studiorum et exercitiorum in arte docendi, satis amplum secundum quod iuvenes nostri a Patribus cluenensibus ad examina et experimenta practica parantur. Quod programma continet historiam recentiorem artium liberalium, scholarum administrationem, docendi secundum leges psychologiae methodum, et generalem et ad singulas disciplinas applicatam. Aperte nominantur ut fontes et normae scientiae assequendae ipsa Ratio Studiorum scriptoresque nostri praestantiores, inter quos PP. Pachtler, Duhr, Ledesma, Iuvencius, Sacchini, Passard, Herman, de la Vaissière, Fouqueray, de Rochemonteix. Commendatur etiam usus et doctrina recentiorum extra Societatem per Americam, Galliam, Germaniam, quatenus cum fructu adhiberi possint.

Curriculo illo a Consilio publico anno 1919 comprobato et anno 1920 ab Administratione Civili confirmato, die 1 augusti anno 1920 coepta est nova schola illa interna vel domestica. In fine anni duo examinatores constituti sunt de parte theoretica, quae per duodecim horas quattuorque examina scripto exaranda tractatur; duo alii experimenta practica in scholis pro singulis candidatis instituunt. In utraque parte, et theoretica et practica, unus examinator a R. P. Provinciali Hiberniae nominatus, designat collegam suum, qui e Societate non sit et a Consilio publico approbari debet. Servantur examinandi normae et consuetudines in Universitatibus publicis usitatae.

* * *

Primo curriculo finito in Collegio Cluenensi a die 27 ad 29 augusti anni 1921 habitum est examen et theoreticum et practicum

1° de historia recentiore studiorum liberalium;

2° de scholarum et studiorum regimine;

3° de methodo docendi generatim spectata;

4° de methodo docendi singulas disciplinas.

Examinatores fuerunt P. T. Corcoran S. I., in Universitate Nationali Dublinensi rei paedagogicae professor, et D. Foster Watson, in Universitate Londiniensi in Anglia examinator et in Universitate Valensi (Wales) professor.

Die autem 14 septembri institutum est experimentum practi-

cum apud alumnos in schola et postea examen orale. Examinatores fuerunt P. T. Corcoran et D. W. T. Williams M. A., in Collegio Regali Scientiarum in Hibernia lector.

Quattuor Scholastici, qui postquam gradum academicum (in disciplinis mathematicis; in linguis latina, graeca, gallica; in historia et re oeconomica) in Universitate Nationali Hiberniae adepti sunt, anno 1920-21 in Collegio Cluenensi magisterium egerant, examina et experimenta omnino feliciter subierunt: omnes superaverunt atque etiam unus quidem magnam consecutus est laudem in parte theoretica, alter vero in parte practica examinis. Quem rei exitum disertis verbis approbavit examinator ille anglicus, in historia rei paedagogicae apprime versatus et bene notus, in dirigendis examinibus de hac materia in Universitate Londiniensi et in aliis exteris academiis diu exercitatus. Quin etiam idem ad P. Corcoran ultro scripsit, quaestiones de Ratione nostra Studiorum candidatis propositas usitatum difficultatis gradum, qui in Universitatibus anglicis obtinet, excessisse et superasse: item responsa candidatorum talia fuisse, qualia in illis academiis procul dubio felicem eventum examinis secum traherent. Totius examinis processum et exitum Consilium de Magistris secundi, quem vocant, ordinis in albo publico inscribendis, mense novembri 1921 demum accepit et approbavit.

Ad pleniorem quandam rei notitiam subicimus aliquas theses excerptas e programmate examinum:

EX METHODO DOCENDI GENERATIM SPECTATA.

1. *a*) « Honesta aemulatio, quae magnum ad studia incitamentum est, foveatur ». (*Reg. Comm. Prof. Cl. Inf.*, 31).

b) « Paratus adsit aemulus qui reprehendat, qui instet, qui pugnet, qui vincere gaudeat ». (IUVENCIUS, *de ratione discendi et docendi*, P. II. c. II. art. I.).

...3. *a*) « Eruditio denique... parcius ad captum discipulorum accersenda ». (*Reg. Prof. Rhet.*, 1).

b) « Explicatio... linguae potius cognitioni quam eruditioni serviat ». (*Reg. Prof. Human.*, 9).

c) « Non consectetur operose magister variam eruditionem ». (IUVENCIUS, l. c. P. II. c. II. art. VIII).

...6. « Nefas sit alium sermonem adhibere quam latinum, in quo vel pueruli plus opinione possunt. Aetas cerea, quocumque flectas, sequetur ». (IUVENCIUS, l. c. P. II. c. II. art. I.).

...9. *a*) « In praelectionibus... multum proderit, si magister non tumul-

tuario ac subito dicat, sed quae domi cogitate scripserit ». (*Reg. Comm. Prof. Cl. Inf.*, 27).

b) « Historicus fere celerius excurrendus ». (*Reg. Comm. Prof. Cl. Inf.*, 28).

10. « Eodem fere modo praelegantur auctores classici in lingua vernacula ». (*Rat. Stud.*, 1832; *Reg. Comm.*, 28, 2).

EX METHODO DOCENDI SINGULAS DISCIPLINAS.

(E quinque partibus [*A*, *B*, *C*, *D*, *E*] eligantur duae: ex his duabus — non ex una tantum — eligantur deinde quinque quaestiones intra tres horas tractandae).

A. Linguae latina, graeca.

...4. An ullo tempore et modo discipulis utendi sunt illi libri, qui scriptores veteres vernacule redditos praebent?

B. Disciplinae mathematicae.

1. An disciplinae mathematicae in scholis excolendae sunt potissimum ob « utilitates quae ex Mathematicorum laboribus redundant in rem publicam » et « quia illarum praesidio ceterae quoque scientiae indigent admodum »? (*Rat. Stud.*, 1586, p. 198). Qua de re exponatur ordo ac methodus docendi hodie apud Gallos Germanosque vigens.

C. Historia et Geographia.

1. Quibusnam methodis bene ediscetur ab historiae studiosis temporum series et ratio? Quomodo hac in re exercenda est memoria?

2. An commendandus est magistris usus amplior: *a*) « historiae localis »; *b*) fontium historicorum, apud discipulos tum iuniores, tum provectiores?

3. Quonam discipulorum in gradu, quanam copia et ubertate in scholis ordinariis proponendae videntur illae historiarum partes, quae spectant ad *a*) rem militarem; *b*) rei publicae et legum formas et mutationes; *c*) rem oeconomicam; *d*) universos potius populos, quam singulas paucasve regiones?

D. Lingua vernacula.

2. Qua via coram discipulis tum universim tum singillatim scriptiones vernaculas emendabit magister?

E. Linguae recentiores externae.

1. An veris in principiis innititur regula illa « linguam alteram ex altera discipuli condiscant »? (Iuvencius, *de ratione discendi et docendi*, P. II. c. II art. III § III).

...6. An ad linguam externam pueros edocendam grammaticae praecepta tradenda sunt non vernaculo, sed externo illo sermone? – vel:

An ad externum aliquem sermonem docendum petendus est magister alienigena?

EX SCHOLARUM ET STUDIORUM REGIMINE.

(Eligantur quaestiones quinque intra tres horas tractandae. Afferantur apta testimonia ex Ratione Studiorum, ex eiusdem aevi scriptis scholisque, ex usu et doctrina recentiorum).

...5. Quomodo providendum est discipulis illis, qui intelligentia et ingenii acumine multum excellunt? An a ceteris separati pro bona sua indole sunt edocendi et promovendi? An idem dicendum de iis qui ingenio hebetiore laborant?

...10. *a*) Quid dicendum de usu illo pristino, secundum quem singulis annis ad gradum in schola usque superiorem una cum discipulis suis magister ascendit?

b) An hisce etiam diebus conservandus est mos ille, quo singulis discipulorum intra scholam gradibus assignandus est unus magister ordinarius, qui maiorem saltem disciplinarum partem eos ipse edoceat?

EX HISTORIA RECENTIORE STUDIORUM LIBERALIUM.

(Eligantur quaestiones tres saltem, ad summum quinque, cum excerptis scriptorum sub eas subiunctis, intra tres horas tractandae).

...7. An nova multa attulit Ratio Studiorum per annos 1584-1599 intra Societatem Iesu composita, de ordine et materia studiorum vel de scholarum administratione? Afferantur exempla legum prius usu in scholis receptarum.

a) « De omni studiorum ratione disseruere sex deputati Patres... ex Hispania, Lusitania, Gallia, Austria, Germania superiore, Italia: omnes administrandarum scholarum usu praediti... In constituenda certa ratione ac methodo, recitabantur deliberationes in nobilioribus Societatis Collegiis varia temporum occasione institutae: percensebantur consulta legesque Universitatum, regulae et statuta scholarum. ...Ex his antiqua plurima retinebantur recentioraque attexebantur, abrogabantur nonnulla ». (*Ratio Studiorum*, 1586, pp. 1-7).

b) « Sequantur in quavis facultate securiorem et magis approbatam doctrinam ». (S. IGNATIUS, *Constitutiones*, IV. c. 5, n. 4).

...10. « An recte, si historicos consulis, exigebatur (ut saeculo praesertim XIX) multiplex illa studiorum materies et eruditionis orbis quidam, ab omnibus adolescentibus percurrendus? Huius sententiae primordia et consectaria breviter illustrentur.

« Il paraît que la marche même de la civilisation impose une instruction de plus en plus complexe. L'idéal d'une culture universelle et valable pour tous n'a pas été étranger à la France: il a été surtout formé et vénéré en Allemagne.

« ...On veut faire trop de choses à la fois. Donc, moins de simultanéité, plus de succession: voilà ce que je propose ». (WILHELM MÜNCH, de l'Université de Berlin: *Conférence* faite à la Sorbonne, 1907).

B. — Conferentiae paedagogicae in Missione Brasiliae Septemtrionalis habitae.

P. Marcellus Renaud, postquam die B. Ignatii de Azevedo eiusque Sociorum sacro (15 iulii) anni 1920 Missionis Brasiliae Septemtrionalis (Prov. Lus.) visitandae initium fecit, ex ipso visitationis exordio desiderium manifestavit instituendi quam vocant hebdomadam paedagogicam i. e. convocandi e tribus Missionis Collegiis Patres qui fructus studiorum et diuturnae in pueris educandis et docendis experientiae in commune ponerent.

Epistola die 11 mensis decembris eiusdem anni data, P. Antonius Pinto, Missionis Superior, hoc consilium et simul ordinem in conventu sequendum cum Collegiorum Superioribus communicavit. Res tractandae triplicis generis erant: formatio intellectualis, educatio moralis et religiosa, disciplina in Collegiis servanda; ideoque tres Commissiones institutae sunt quarum erat quaestiones singulis propositas communi labore parare. Praeterea P. Superior Missionis omnes Nostros exhortatus est ut animadversionibus scriptis relatores constitutos pro viribus iuvarent.

Ita quam diligentissime meditati, Patres labores suos communes die 20 ianuarii anni 1921 in Collegio Bahiensi a P. Antonio Vieira nuncupato coeperunt. Aderant P. Visitator, P. Superior Missionis, Superiores Collegiorum Bahiensis, Recifensis, Caitetensis, Praefecti studiorum Bahiensis atque Recifensis, Socius P. Visitatoris, octo Patres Collegii Bahiensis; duo ex Collegio Recifensi et unus e Collegio Caitetensi advenerant, accesserunt quinque magistri Scholastici Collegii Bahiensis.

Initio P. Visitator breviter indicavit finem Conferentiarum, qui nequaquam in eo poneretur, ut nescio quas novas educandi atque docendi methodos excogitarent, sed potius quam fidelissime adhaerescerent ad Rationem Studiorum et normas paedagogicas Societatis, a maioribus traditas, usu amplius trium saeculorum splendide probatas; sic enim labores in Collegiis suscipiendos felici successu coronatum iri. Alios laetos fructus merito exspectari ex eo, quod melius inter se cognoscerent, alii aliis animum addere et auxilio esse possent; quod quae quisque usu probata invenisset et nova excogitasset in commune proferret, difficul-

tatum solutiones simul quaererent; ita denique fore ut, conferentiis absolutis, novo ardore accensi ad labores suos redirent.

Ratio procedendi in conventu, in quantum fieri potuit, ad eam est informata quam in suis Congregationibus Generalibus Societas tenet. Eo ipso die (20 ianuario) Commissiones labores suos coeperunt et ad 23 usque persecutae sunt habendis quotidie uno vel duobus consessibus, in quibus Praeside moderante post lectam relationem, Patres deputati de ea disceptarunt ut ipsam sive approbantes confirmarent sive mutarent complerentve. Denique statuebantur conclusiones quibus relationum summa, in praxim postea deducenda, contineretur, quarum ultima perscriptio totius Commissionis approbationi subicienda erat. Conclusiones confirmatae in aula conventus spectandae exhibebantur ut magistri omnes cum plena rerum tractandarum notitia ad discussiones accederent.

Res, relationibus tractatae, sunt hae:

A. Formatio intellectualis.

1. De examinibus: examina admissionis, annua, coram gubernio subeunda; eorum praeparatio, ordinatio, disciplina.

2. De singulis disciplinis curriculi primarii et secundarii: de earum in singulos annos et scholas distributione: de tempore unicuique tribuendo: de methodo in docendo adhibenda.

B. Educatio moralis et religiosa.

1. De doctrina christiana docenda: quomodo eius notitia a rudimentis catechismi ad apologeticam usque gradatim evolvi atque perfici debeat.

2. De pietatis exercitiis et de variis industriis ad religiosam alumnorum formationem incipiendam et complendam.

C. De disciplina.

1. De regulis ab alumnis servandis et horarum distributione.

2. De aemulationis excitandae modis.

3. De morali et religiosa formatione externorum discipulorum.

Praeter Commissionum relationes, tres Patres singulas lucubrationes concinnaverunt: de dotibus educatoris Societatis, de spiritu et usu Rationis Studiorum in variis disciplinis tradendis, de necessitate coniunctionis mutuae et perfectae erga Superiores oboedientiae, ut labores nostri in pueris educandis plenam suam vim habeant.

Finitis igitur Commissionum laboribus, die 24 ianuarii congressus plenarii haberi coepti sunt. Legebatur lucubratio et relatio atque continuo de conclusionibus propositis disceptа-

tio instituebatur. Singulis qui aderant difficultates suas afferre vel emendationes petere licuit, dum conclusiones eae statuerentur iisque comprehenderentur verbis, quae omnibus probarentur. Quodsi quid etiam post discussiones obscurum et difficultatibus obnoxium remanebat, a P. Visitatore ad Superiorum et studiis Praefectorum consilium remittebatur, qui, re denuo considerata, ad aequam solutionem pervenirent. Ita assiduo constantique quattuor dierum labore omnes res propositae discussae sunt et solutiones allatae variis quaestionibus, quae, uti pronum est intelligere, Superiorum approbatione opportuno tempore muniendae relinquebantur.

Insigni concordia, qua Patres iungebantur, nobili libertate qua quis sententiam suam proferebat, alacri studio quo omnes laboribus se impendebant, prompta denique voluntate qua uberes fructus ex Conferentiis percipere optabant, factum est ut communi sententia exitus omnium exspectationem longe superaret.

Die 27 ianuarii hymno ambrosiano recitato finis Conferentiis est impositus. Ut fructus tot laborum facilius servarentur, acta omnia Conferentiarum et Commissionum conclusiones typis exscripta sunt (1). Praeterea in unoquoque Collegio Commissio ex Rectore, Praefecto Studiorum, Patri Spirituali alumnorum primariisque singularum classium magistris composita est, qui curet ut conclusiones Conferentiarum in praxim deducantur atque notet, quid ad hunc finem melius obtinendum inservire possit, quid forte emendatione indigeat; eius quoque erit unam vel aliam rem minoris momenti mutare, si res id postulabunt. Ideo haec Commissio consessus suos celebrabit per annum scholarem eoque perfecto de omnibus quae observata fuerint, relationem conscribendam curabit, quae, in consultatione communi omnium professorum discussa et a P. Rectore approbata. P. Superiori Missionis porrigetur.

C. — In Provincia Missouriana.

In Provincia Missouriana diebus 17-19 augusti anni 1921 fere 60 magistri nostri qui in scholis scientias naturales vel mathesim docent, in Collegium B. Edmundi Campion (Prairie du Chien,

(1) *Conferências pedagógicas*, São Paulo, 1921. 8°, 220. Ad usum privatum NN.

Wisc.) Superioribus probantibus convenerunt, ut artius inter se iungerentur ad promovendum mutuo auxilio et hortatione studium harum disciplinarum et methodum eas docendi.

Sectiones quattuor institutae sunt, biologiae, chimiae, physices, matheseos. Unicuique parti praeest Pater, qui res suae sectionis dirigat, et etiam totum foedus suum moderatorem habet.

Quotannis celebrabitur conventus, in quo legentur tractatus breves, theoretici et practici, atque res propositae discussioni subicientur. Intra annum scholarem quovis mense eduntur a singulis sectionibus pagellae, in quibus res scitu dignae notantur. His atque etiam litterarum commercio animorum coniunctio fovetur et mutuum adiutorium praebetur.

Mense decembri simile quid factum est pro iis, qui historiae dant operam.

VIII.

APOSTOLATUS PRELI

(Prov. Toletanae).

Matriti anno 1890, die 29 iunii, in aula consultationum paroeciae S. Ludovici habitus est praevius consessus ad creandam piam societatem, cuius scopus foret salutaria opuscula edere et gratis distribuere. Ad hunc consessum a Patre Francisco Garzón convocati, multi cives gnavi et fide ferventes convenere. Proposita est operis ratio, quam antea probaverant Episcopus Matritensis, RR. DD. Ciriacus Sancha, et Superiores Societatis. Ex omnium sententia aliqui viri deputati sunt ad excogitandas normas quibus constitui posset societas propagandae prelo religionis, quae efficaciam suam, si fieri posset, proferret non ad Hispaniam solum, sed ad alias etiam quae hispane loquuntur nationes. Continuo litteris mandatum est quae fuerit deputatorum mens et quae norma exsequendi propositi; paulo post, approbante Episcopo, legitime constituta est pia societas: « Apostolatus Preli », sub patrocinio Sanctissimi Cordis Iesu et S. Francisci Salesii.

Societas prodiit in publicum calendis ianuariis anni 1891 celebrata ad S. Martini sollemnitate, cui praefuit Episcopus Matri-

tensis, idemque verba fecit ad selectos auditores, quibus distributa sunt plurima exemplaria primi opusculi, quod ab « Apostolatu Preli » editum est.

His bonis auspiciis et sociorum amplius mille valido subsidio, coepit nova societas fungi munere suo. Matriti unius mensis spatio quinquaginta milia et etiam plura exemplaria rudi populo et coetibus opificum distributa sunt. His lucubrationibus exponebantur stilo simplici et ad captum populi accommodato fundamenta fidei et doctrinae moralis.

Ad sustinendas operis expensas, quae in dies crescebant, atque ad augendam opusculorum propagationem, placuit in consultorum consessu concinnare bibliothecam, cuius libri parvo pretio venderentur cuiusque proventu iuvaretur « Apostolatus » in gratuita opusculorum dispensatione: id quod hactenus tanto exitu factum est ut omnium exspectatio superaretur.

Ad eundem finem visum est constituere hebdomadarium periodicum, cui titulus esset *La Lectura Dominical;* eius primus numerus editus est die 9 ianuarii anni 1894.

Vim autem suam « Apostolatus Preli » promere coepit edendo gratis et spargendo in vulgus opuscula menstrua, quae etiam nunc dispertiuntur coetibus opificum, in carceribus, in nosocomiis, generatim rudi et inopi populo.

Edita sunt ducenta eiusmodi opuscula, quibus argumenta exponebantur, quae ad populi eruditionem maxime pertinent. Iis conscribendis operam dederunt complures Patres et nonnulli externi: at cessavit conscriptio anno 1908, cum tractata essent plurima argumenta, quae tunc bibliothecae populari opportuna videbantur. Tamen hi fasciculi semper, si necessitas fert, denuo excuduntur ita ut quidam sexies, alii etiam octies editi et octogies centena milia (8.000.000) exemplarium et amplius in omnes hispanicae linguae partes sparsa sint.

« Bibliotheca Apostolatus » autem continet 237 opuscula et praestat magna argumentorum varietate. Cum porro pretio vilissimo veneant, eorum diffusio tanta est quanta numquam antea in Hispania audita. Unius libelli precum paucis annis quindecies centena milia (1.500.000) exemplarium distributa sunt.

Praeterea hac ratione etiam librarii, qui in operum aestimatione omnem modum et aequitatem excedebant, coacti sunt libros vendere multo minoris.

Hebdomadarium autem, *La Lectura Dominical*, reliqua huius generis periodica superans, singulis hebdomadis dabat in lucem triginta quinque milia exemplarium, qui numerus nunc quidem ob rationes mere externas paulo (ad triginta duo milia) diminutus est.

In scriptorum ad quorumvis operum editionem delectu secluduntur studia partium et sedula cura adhibetur, ut polleant fide christiana et, quantum fieri possit, praediti sint eruditione bonoque stilo.

Summus Pontifex Leo XIII operi « Apostolatus Preli » eiusque periodico paterne benedixit atque eius fautoribus multas gratias concessit. Praepositus Generalis, P. Ludovicus Martin, saepius dixit et scripsit *La Lectura Dominical* plene menti suae satis facere ac posse Nostris exemplo esse, ad quod eiusmodi lucubrationes accommodare studerent. Denique plurimi Episcopi Hispaniae, ne dicam omnes, laudibus cumularunt « Apostolatum Preli » et eius hebdomadarium, quod suis dioecesanis etiam atque etiam commendatum voluerunt.

Coetus consultorum, qui « Apostolatum Preli » gubernat, constat ex sociis saltem duodecim, qui renovantur quotannis ad dimidiam partem. Summa cura adhibita est initio (et etiam postea semper adhibebatur) ut in hoc consilium homines cuiusvis partis politicae cooptarentur eorumque labor in campo mere catholico, excluso omnium partium studio, contineretur.

Inter eos qui auctoritate et rerum gerendarum peritia plurimum contulerunt ad nostri Apostolatus constitutionem et incrementum, maxime omnium excelluit Marchio de Comillas, vir clarissimus cum in omni opere catholico, tum in iis quae ad rem socialem pertinent. Sunt praeterea commemorandi Dominus Ventura Cerrajeria et Presbyter Athanasius Merchan, qui pecuniam dederunt ad emendum prelum, quod hodie permagno constaret; nunc quidem iam non sufficit et nostras lucubrationes alienis prelis tradere cogimur.

« Apostolatus Preli » lucrum non quaesivit nec speciem prae se tulit publicae librariae; aliud enim ei propositum nullum fuit nisi propagandae religionis. Ideo tantum hoc opus susceptum est, ut ferretur nomen Christi ad aures incultae plebis et opificum, qui templa adire nolunt. Centum pesetae, quas donaverat P. Franciscus Salesius Muruzábal, tunc temporis Praepositus Prov. Toletanae,

ad imprimendas synopses excogitati operis, fuerunt granum sinapis quod Dei gratia et Superiorum multorumque Patrum auxilio crevit in arborem, si parum frondosam, plenam utique succi et roboris ad ferendos fructus vitae christianae.

* * *

« Apostolatus Preli » ab exordio suo usque ad diem 1 ianuarii 1920 edidit:

Librorum series		exemplaria	volumina
1ª.....	0,40 peset.	3.347.500	3.347.500
2ª.....	0,90 »	655.000	655.000
3ª.....	1,25 »	366.000	366.000
4ª.....	1,50 »	45.000	45.000
5ª.....	2,50 »	263.000	276.000
6ª «*Lecturas Recreativas*»		367.000	467.000
7ª Historiae Sanctorum.		282.000	282.000
8ª.....	3,00 »	40.000	40.000
9ª Opera varia.....		118.000	426.000
10ª Opuscula		8.465.750	8.465.750
		13.949.250	14.488.250

IX.

DE MISSIONE BETSILEENSI
(Prov. Camp.)
1871-1921.

Insula Madagascar iam saeculo decimo sexto Patres Societatis receperat qui lusitanos negotiantes sequebantur. Sed labores inter illas gentes stabiles et fructuosi evaserunt nostris demum temporibus, ex quo post mortem reginae Ranavalonae, feminae crudelissimae (a. 1861), liber missionariis patuit in insulam accessus. Illo anno Patres gallici, iam antea a Vicario Apostolico Dalmond in auxilium vocati, in urbe primaria Tananarivo Missionem inchoarunt et iam decem annis post, eam partem excolere aggressi sunt quae magis ad austrum iacens ab incolis Betsileo appellatur. Quae tunc die Immaculatae Virginis sacro coeperunt et sub eiusdem tutela feliciter continuarunt, hisce breviter perstringemus (1).

(1) Sequimur relationem: *Cinquante ans de Mission au Betsiléo, Madagascar, 8 décembre 1871-1921.* Lille, 1921.

Patres Tolosani 1871-1901.

Duae feminae leprosae primitiae erant huius Missionis, quas P. Finaz Deo obtulit abluendo eas aqua baptismali. Pauperculas illas multa milia popularium sequebantur ita ut, cum Missio ad Patres Prov. Campaniae transferretur, plus 50.000 catholicorum numerarentur. Quoquoversus missionarii mittebantur, stationes condebant, scholas aperiebant. Anno 1900 Nostri 464 stationibus praeerant et, a sororibus S. Ioseph ac Fratribus Scholarum Christianarum adiuti, plus quam 60.000 discipulorum in 538 scholis educabant (1).

Sed fructus tam eximii non sine sudore missionariorum ac dolore percepti sunt. Bis bello inter indigenas et Gallos orto, magna pericula labori apostolico imminebant; protestantes eo tempore, quo Angli in insula praeter ceteros valebant, multos haeresi obstrinxerant et scholis catholicis introducendis acriter resistebant; pacata insula multa milia quidem conversi sunt, sed brevi non pauci defecerunt qui non tam Christum quam lucrum et commoda ex mutata religione quaesiverant. At vicit omnes difficultates gratia divina et labor impiger Patrum, qui eximia futurorum providentia ubique loca centralia occupabant, paganos religiosis sollemnitatibus alliciebant, pueros ad scholas adducebant, denique separationem huius partis a Missione Tananarivensi ita parabant, ut Betsileo suo tempore vitam independentem secure degere posset.

Succedunt Patres Prov. Campaniae 1901-1921.

Iam ultimo decennio saeculi superioris Patres tolosani laboribus oppressi magnas partes ingentis insulae aliarum religionum missionariis cesserant. Sed etiam quae iis remanebant in media insula, vicesimum secundum inter et duodevicesimum latitudinis gradum, latius se extendebant et incolarum numerus maior erat quam ut soli operarii tolosani (16 Patres et 5 Fratres Coadiutores) labori pares essent. Quare Provincia Campaniae eis auxilio venit, quotannis novos apostolos mittens, dum a. 1906 totam Missionis Betsileensis curam suscepit. Octo annis post, erecto Vica-

(1) De praeclara colonia leprosorum vide *Memorabilia S. I.* 1920, p. 131-139.

riatu Fianarantsoa (inter vicesimum secundum et vicesimum gradum latitudinis) Missio perfectam independentiam nacta est.

Divina iuvante gratia prospere cessit opus quod Patres Campaniae aggressi sunt. Sicut missionariorum, ita et fidelium numerus ad hunc usque diem duplo auctus est (33 PP. et 10 FF.; 122.249 baptizati). Id imprimis Nostri egerunt ut vitam internam christianorum confirmarent; quo factum est ut confessiones et communiones multiplicentur (a. 1921: 406.484 et 694.493) et plus quam 10.000 virorum et mulierum quotannis Exercitia Spiritualia peragant. Pauperes insulani S. Ioseph, fabrum pauperem, ex animo colunt et B. V. Mariae devotissimi sunt; primam feriam sextam mensis mirabili animi ardore celebrant; ut Missae sacrificio assistant, itinera longa et invia non formidant. Quod ad exteriorem speciem attinet, novum oppidis betsileensibus addiderunt decus plura templa in honorem B. V. Mariae et S. Ioseph erecta; quae nunc Ambositrae a P. Lefebvre du Prey aedificatur, ecclesia amplissima erit totius insulae et fortasse etiam pulcherrima.

Organizatio laboris.

Successui tam bono consequendo non parum inserviebat prudens organizatio operis apostolici. Qui primi eam exsequebantur Patres tolosani, duos fines ante oculos habebant: unum, ut frequens Superiorum cum inferioribus et inferiorum inter se commercium nova semper missionariis afferret adiumenta pietatis et zeli animarum incitamenta, alterum, ut laici apostoli quantum fieri posset, parvam sacerdotum manum sublevarent.

Tota Missio duabus partibus constat, australi et septentrionali, quarum Superiores resident in Ambositra et in Fianarantsoa, quae urbs simul est sedes Vicarii Apostolici et Superioris religiosi totius Missionis. Utraque pars in districtus dividitur, circiter 15 (Fianarantsoa) et 6 (Ambositra) numero, quibus singuli praesunt missionarii. Fianarantsoam et Ambositram omni mense Patres conveniunt, maxime quidem ut animam mutua caritate, exhortatione spirituali, colloquio cum Superioribus, praefecto spiritus, sociis reficiant, sed etiam ut ea sibi provideant quae victui, valetudini, labori necessaria sunt. Quare in illis locis non solum maiores ecclesiae, domus, scholae, sed etiam omne genus opificum et officinarum inveniuntur. Ut confluunt missionarii ad sedem cen-

tralem, ita Superior circuit per districtus, visitans gregem et pastores.

Singulorum autem districtuum organizatio haec est. Praeter centralem sedem missionarius tres vel quattuor alias habet stationes, quae totidem sectionibus praesunt, et unaquaeque statio cingitur decem vel duodecim communitatibus minoribus fidelium. Singulis mensibus Pater, christianis de ordine itineris praemonitis, totum districtum invisit: diebus dominicis in aliqua ex stationibus commoratur, quo undique fideles conveniunt, intra hebdomadam a pago ad pagum proficiscitur, visitans coetus a statione dependentes. Qui tamen post missionarii discessum non derelicti manent. Nam unicuique stationi invigilat inspector laicus, omni pago minori catechista, qui fideles die dominico congregat ad pietatis officia, praedicat, catechizat, ad sacramentorum receptionem suos praeparat, sacerdotem de viventium et morientium necessitatibus monet. Praeter eos ludi magistri, consiliarii, congregationes sacerdoti auxilium haud spernendum praestant.

Sacrificia, solatia.

Operi tam fecundo vexationes et afflictiones deesse non poterant. Iam ineunte saeculo leges gallicae contra religionem latae horrida etiam Missioni inflixerunt vulnera, eo praesertim quod fertilem scholarum agrum quasi funditus everterunt. Magno bello europaeo Madagascarensium gregi multis pastoribus sublatis, qui remanebant labore duplicato magnam partem occubuerunt; sic diminutis subsidiis exsecutioni mandari nequiverunt quae consilia capta erant ad augendam Missionem. Reddita tandem pace lues illa mortifera (grippe) totos devastavit vicos et omnium rerum caritas missionariis et fidelibus dura sacrificia imposuit atque imponit. Accedunt obstacula quae vix unquam cessabunt: inertia et socordia indigenarum, nimia pagorum distantia, itinera difficillima, paganismi superstitiones infinitae et mores corrupti, protestantismi late diffusi (1) inimicitiae. Sed missionariis solatio est, quod tamen populus Dei numero et virtutibus continenter

(1) Ex 3.500.000 indigenarum totius insulae 500.000 protestantes et 300.000 catholici sunt. Nunc autem in variis partibus auctoritas ministrorum protestantium ita diminuta est ut, quamvis ingentem pecuniam profundant, tamen fere nihil proficiant.

augetur (1); duram vitam agendo magnam animi pacem acquirunt, et, quamquam socii laboris et pecunia nimis eos deficiunt, pro secunda parte primi Missionis saeculi optima quaeque exspectant a Divina Bonitate, quae numquam servis suis deest.

X.

MISSIO S. PETRI CLAVER INTER TARAHUMARAS

(Prov. Mexicanae).

Missio Tarahumarensis sita est in parte septemtrionali rei publicae mexicanae, in Statu Chihuahua et pertinet ad dioecesim eiusdem nominis. Tribus tarahumarenses a Patribus antiquae Societatis, ab anno 1599 usque ad annum 1767, magno studio et amore excultae sunt. Usque ad hodiernum diem inter Tarahumaras viget grata optimorum illorum missionariorum memoria, praesertim P. Hermanni Glandorff. Nostris successerunt Patres Franciscani usque ad annum 1860; hos secuti sunt sacerdotes saeculares, qui primum soli curam Missionis sustinuerunt et postea cum Patribus Iosephinis diviserunt.

Recentiore aetate huius Missionis a Nostris denuo receptae auctor quodammodo fuisse videtur P. Achilles Gerste (Prov. Belg.), qui ad morbum pulmonum curandum in Provinciam Mexicanam missus, tanto cum studio se dedit antiquitatibus mexicanis indagandis, ut a gubernio rei publicae ei committeretur cura illas perscrutandi in statu Chihuahua, cuius partem, ut supra diximus, Tarahumarae occupant (2).

Hi P. Gerste optime susceperunt, quia ex eorum virorum numero erat, quorum memoria ipsis eo carior manebat, quo plures ab aliis hominibus albis iniurias patiebantur. Aliquando obviam factus est Pater seni cuidam indiano venerabili qui ad campum colendum exibat. Ut primum hic illum aspexit, accurrit et in

---

(1) Praesertim in parte occidentali Missionis Betsileensis evangelio ostium aperitur magnum: centena milia animarum Christo et Ecclesiae acquiri possent, si plures missionarii adessent.

(2) *Mem. S. I.*, I (1920), 348.

genua provolutus Patris pedes amplexus et crucifixi imaginem osculatus prae gaudio clamitavit: « Iesuita! Iesuita! » quo nomine hae tribus sacerdotes designare solent omnes.

Illo tempore non paucae ecclesiae, ab antiquis Patribus exstructae, manebant, ornamenta vero sacra, candelabra indigenae in specus montium reconditorum removerant. Senex ille promisit ipsos, cum primum missionarii rediissent, omnia allaturos esse. P. Gerste etiam invenit corpora antiquorum Patrum, quamquam aëre siccata atque diminuta, integre tamen conservata.

Indiani usus christianos a Nostris inductos servaverant, imprimis a furto adeo abhorrebant ut, etsi res quae apud indigenas in maximo pretio sunt, aspectibus eorum expositae relinquerentur, nihil unquam ablatum sit. Neque ethnici fidei christianae adversabantur. Postquam P. Gerste in loco Barámachi Missam sub divo celebravit, indigenae, qui plurimi convenerant, consilium instituerunt: humi magno circulo considentes Patrem audiunt quidque ipsi sentiant proferunt consiliisque inter se collatis declarant aliquos paratos esse ad baptismum recipiendum, alios adhuc haesitare, omnes vero maximo cum gaudio « Iesuitam » si quis sedem inter se figere vellet, esse recepturos. Cum Pater discederet, dux aliique positis in terra genibus crucifixum osculaverunt. Videntur valde placuisse imagines SS. Cordis Iesu, quae cum brevi explicatione inter eos distributae sunt.

Ethnici ipsi Patrem magna cum veneratione coluerunt atque etiam ei permiserunt, ut suis choreis interesset quas ab hora sexta vespere usque ad quartam mane produxerunt.

Itineris duces saepius negarunt inter gentem suam haberi idola neque ullum unquam Pater invenit. Mane indigenae, loti et coloribus denuo illiti, ad solem caput vertunt eumque salutant: nihil aliud quod idololatriam sapiat, Pater animadvertit.

Facile pagani a christianis hac duplici nota discernuntur: si infidelem interrogaveris, quomodo vocetur, respondebit: nomen mihi non est; christianus vero illico nomen baptismatis tibi indicabit: Petri, Didaci... Altera nota: christianorum vultus sunt aperti et fiduciam spirant, cum in paganis nescio quid obscurum ac torvum deprehendas; numquam oculos ad faciem tuam attollunt (1).

---

(1) Haec a P. Gerste ipso narrata, deprompta sunt ex Historia recentioris Provinciae Mexicanae (t. 2, c. XII) a P. Gerardo Decorme S. I. conscripta,

Apud Tarahumaras, etiam paganos, P. Gerste gratissimam missionariorum Societatis memoriam renovavit et voluntatem Episcopi RR. DD. I. Ortiz videtur movisse, ut hunc campum nobis restitueret et, narratis periculosi quidem, sed felicis itineris eventibus, in Nostrorum animis desiderium excitavit petendae Missionis, quae dura sua paupertate atque indigenarum summa spiritualis auxilii indigentia eos non potuit non allicere. Sic demum factum est, ut Patres nostri Prov. Mexicanae anno 1900 in avitam haereditatem laeti regrederentur (1).

* * *

Difficultatibus haec Missio sane non caret. Cum Tarahumarae ab hominibus albis (quos vocant « chabochis » seu barbatos) e suis agris expellerentur et multis iniuriis vexarentur, in inaccessa loca se receperunt, ubi vivunt non simul coniuncti, sed separati. Pagi enim indigenarum, quos vocare solent, constituuntur tuguriis vel speluncis quae distant alia ab aliis tria vel quattuor milia passuum; etsi horum incolae omnes usu et consuetudine ut centrum agnoscunt templum vel sacellum, ad quod accedunt dies festos celebraturi, tamen missionarius, uti patet, non potest raris his occasionibus oves suas videndi atque verbo et sacramentis pascendi contentus esse, sed debet eas in earum sedibus visitare. Quanto temporis dispendio et labore id fiat, nemo non videt.

Indigenae enim vivunt pauperrime sola quadam massa « maïs », ex qua conficiunt tortam subtilem formae rotundae. Raro carne utuntur. Missionarius ergo qui eos visitat et aliquando ad duas vel tres hebdomadas commorationem inter eos producit, eodem obsonio uti debet. Vitam degunt in parvis miserisque tuguriis vel in speluncis vel sub divo. Missionarius quidem, si tempestas calida est, in aperto dormire potest; cum autem multo tempore praevaleat frigidissima illorum montium hiems, ad Indianorum tuguria confugere debet, fumo insectisque plena, ubi simul habitant pueri, puellae, avi, nepotes, socrus, ubi stabulantur asini, porci aliudque pecus atque grana et ligna servantur.

---

sed nondum publici iuris facta; P. Camillus Crivelli, Prov. Mexicanae Praepositus, ea nobiscum benigne communicavit.

(1) Haec rettulit P. Caietanus Bertocchi (Prov. Rom.), harum rerum aequalis, epistola die 6 martii a. 1921 ad P. Aug. Coemans, Praepositum Prov. Belg. data.

Attamen haec longa et durissima itinera eo magis necessaria sunt, quia Tarahumarensium multorum christiana religio (1) eo absolvitur ut, accepto sacramento baptismi, matrimonium etiam apud sacerdotem contrahant et aliquos dies festos celebrent.

Ad habitationum longinquitatem accedit, quod indigenae consuetudinem hominum, praesertim alborum, refugere solent. Qua de re christiana puerorum educatio valde difficilis evadit. In parvo convictu nostro norogachicensi omnia pueris dantur: vestitus, victus aliaque necessaria et tamen repente ex 12 pueris decem ad solitaria sua tuguria abruptis et periculosis semitis aufugerunt; redierunt quidem, sed post paucos dies aliqui denuo abierunt.

Aliud obstaculum, quod gravissimum missionariis opponitur, est avitum et praecipuum indigenarum vitium ebrietatis. Utuntur autem potu pessimo « tezguino », quem ex « zea maïs » concocto atque fermentato sibi comparant. Nullus unquam dies festus, nulla sollemnitas, quam non celebrent vel finiant magna cum ebrietate Tam fortiter contra hanc consuetudinem pravissimam locuti sunt missionarii, ut indigenae iam non audeant ipsis praesentibus compotationes illas instituere, sed post celebrationem Missae sollemnis recedentes, omnes ad inaccessa loca pergunt, ut ibi vitio suo indulgeant, et tam obscene procedunt, ut pueri 10 vel 12 annorum iam non in convictus nostros admitti possint ob pessimos mores et sermones.

Non desunt homines albi, qui et hanc nefastam Indianorum ad ebrietatem propensionem foveant et aliis quoque modis, sive iniuriis contra indigenas commissis sive calumniis contra missionarios sparsis, horum labori gravia impedimenta opponant.

Porro lingua tarahumarica non secus ac omnis lingua barbara, quae libros ac proinde leges fixas non habet, summopere versatilis est: quae intelliguntur ab Indianis pagum Sisoguichic incolentibus, Norogachenses non percipiunt; est plena particulis et tam imperfectae pronuntiationis, ut idem sit dicere v. gr. Huasihuare et Guesiguare. Praeterea cum sit lingua omnino rudis et quidquid materiale non est vix exprimere possit, summa est difficultas exhi-

---

(1) Ex 46.000 Tarahumarensium nostrae curae commissis 1500 infideles sunt. Incolae universi (albi, mixti, indigenae) sunt in nostro territorio 74.000. *Noticias de la Provincia de México. Numero sexto de la Mision de la Tarahumara*, mayo de 1922, p. 12.

bendi notiones Spiritus Sancti, redemptionis, Matris Dei, quae ipsa dea non sit, voluntatis aliasque ideas huiusmodi.

Denique ab anno 1910 usque ad annum 1919 etiam haec remotissima pars vexata est bello civili, quo res publica mexicana tunc premebatur. Saepe accidit ut praedones, in domos nostras irruentes, equos, mulos, vaccas, gallinas, quidquid tandem auferre poterant, abriperent: unde factum est ut eo tempore missionarii summa omnium rerum inopia laborarent et nunc demum cum magna tantum difficultate incipiant habere necessaria ad vivendum: carne raro utuntur, vinum numquam habent. Hiems est frigidissima, itinera semper periculis plena et, cum ningit vel pluit, fere penitus interclusa, solitudo huius regionis immensa, longiquitas magna ab una ad aliam stationem, separatio omnimoda ab aliis Provinciae domibus. In stationes Carichic et Sisoguichic semel in hebdomada tabellarius publicus venit; non habent telegraphum. Ocampo habet quidem telegraphum, sed tabellarium semel tantum in mense. Nonoava et Norogachic et tabellario et telegrapho carent, unde necesse est epistolas mittere vel per indigenam, qui aliquando octo vel quindecim dies impendit, quia in itinere ebrietati indulget, vel per hominem album, qui tamen sine magna mercede id officii non praestat.

Opus non est dicere Nostros his difficultatibus non deterreri, quominus, cultiorum regionum commoda libenter relinquentes, duram inter has tribus vitam sibi suscipiant ad Christi regnum protendendum et animas pauperum indigenarum caelo salvandas. Alacri animo omnes in hoc magnum opus incumbunt neque sine fructu.

Ineunte anno 1921 in Missione S. Petri Claver decem Patres et duodecim Fratres Coadiutores in quinque Stationes distributi laborabant; curam habuerunt trium scholarum cum 28 alumnis indigenis et 133 albis mixtisque. Pro illis initio anni 1921 in Stationibus Sisoguichic et Norogachic (1), ubi indigenae numerosi sunt, duo parvi convictus inchoabantur. Ibi pueri doctrina christiana et rudimentis suae propriae linguae instituuntur, ut, cum creverint, inter suos catechistarum partes facile et cum fructu facere possint.

---

(1) Anno 1922 convictus norogachensis cum sisoguichensi iunctus est ut puerorum in unum locum collectorum melior cura haberi possit.

Moniales ex sua parte idem in pago Sisoguichic pro 20 puellis indianis praestant. Hae machinis textoriis uti iam didicerunt et primum pannum 25 metrorum quem confecerunt Gubernatori civili miserunt, qui grato animo has primitias industriae puellarum accepit.

Ut studium linguae tarahumaricae missionariis recenter advectis facilius redderetur, hoc anno (1921) nova grammatica Mexicopoli typis mandata est; nam neque antiqua grammatica P. Telleches O. S. F. neque recentior P. Gassó magno usui erant, illa quia obsoleta et ad dialectum chinipasensem restricta, haec quia linguam exhibet non qualis est, sed esse deberet. Nova grammatica 230 pagellis constans: *Pequeña gramática y diccionario de la lengua tarahumara*, composita est a Fr. Coadiutore Ioseph Ferrero, qui per multos annos inter Tarahumaras degens optime eorum linguam scit. Praeterea typis exscriptus est parvus catechismus 35 pagellarum: *Breve Compendio de la Doctrina Cristiana en Tarahumar y Castellano.*

Cum bello civili sedato Nostri novo ardore apostolatui, praesertim inter indigenas, exercendo se dedere intenderent, eorum animis non aliud securius praesidium et certius felicis eventus pignus se obtulit quam SS. Cordis principatus et dominationis publica proclamatio.

Ad eam digne parandam fere omnes huius anni (1921) labores quasi in suum centrum et focum convergebant. Per multos menses missionarii in singulis stationibus, ex pago in pagum peregrinantes, animos hominum, praesertim indigenarum, magno labore et non minore patientia paraverunt ad sollemnem hanc dedicationem, ut ex ea bene intellecta uberiores fructus ab omnibus caperentur.

Opulenta et pia familia mexicopolitana pulchram SS. Cordis statuam dono dedit; P. Superior ipse, in musices arte apprime versatus, novis propriisque modis Missam die festo cantandam et hymnum coronationis aptavit, templum Stationis principis Sisoguichic, ubi summa sollemnitas peragenda erat, depingendum et novo atque eleganti altari ornandum curavit.

Ex pago Nonoava 50 Indiani et 40 homines albi die 2 octobris profecti, post quattuor dierum duram et piam peregrinationem Sisoguichic pervenerunt. In itinere rosarium recitabant et sacros hymnos cantabant, mane iis missionarius, itineris dux atque moderator, Missam celebrabat idemque vesperi fideles suos, antequam

corporibus diuturno itinere fatigatis quietem concesserunt, instructionibus ad s. sacramenta recipienda parabat.

Eodem modo eademque pietate Indiani et albi homines ex Norogachic, Carichic aliisque pagis asperrimo complurium dierum itinere venerunt, modico victu contenti et tres vel quattuor noctes, solito frigidiores, sub caelo transigentes.

In ipso pago Sisoguichic missio popularis, praesertim pro hominibus albi coloris est habita tam felici eventu, ut hi omnes iam ante adventum peregrinorum ad confessionem accederent: nonnulli per complures annos, alii fortasse ex ipso matrimonio celebrato sacro tribunali se non stiterant.

Tandem faustissimus Missioni ille dies septimus mensis octobris illuxit, quo Sacratissimum Cor Iesu sollemniter proclamatum est Tarahumarensis Missionis « Siríame Biré » (Gubernator princeps); miseris enim indigenis et ideae et verba desunt, quibus supremum dominium regiamque potestatem Iesu Redemptoris apertius significent quam titulo gubernatoris, qui in Statibus rei publicae mexicanae summo magistratui tribuitur.

Adfuerunt fere omnes missionarii, circiter mille indigenae ex 25 variis pagis et amplius mille homines albi. S. Communionem ipso consecrationis die plus 1000 fideles receperunt, e quibus 250 Tarahumarae. Horum non pauci tunc primum s. Eucharistia refecti sunt, res missionariis gratissima ideo etiam, quod inter Indianos opinio vigebat sacramenta confessionis et Communionis pro albis solis, non pro se ipsis etiam instituta esse.

Post Missam sollemnem magnifica pompa, in qua more illius gentis saltatores pii non deerant, in templum deportata sunt regalis dignitatis insignia, corona et sceptrum, comitantibus ea ad duo latera puer tarahumarensis suae tribus modo seminudus, puer colore albus ratione nobilium saeculi XVI vestitus. Ad statuam ascenserunt pueri supra pulvinum ferentes coronam et sceptrum, sequebatur P. Superior ut insignia primum SS. Cordi oblata ad eius pedes deponeret: silentio altissimo, halitu quasi retento, omnes ad Redemptorem oculos attollebant. Tunc hymnus consecrationis est decantatus, quo alternis strophis albi lingua hispanica Indianos invitabant ut ad Christi pedes accurrentes sanctam eius legem amplecterentur atque in eius gratia viverent morerenturque et Tarahumarae sua lingua promptam huic invitationi obsequendi voluntatem exhibebant. Tunc elato ss. Sacramento in throno, P. Superior

a reliquis missionariis circumdatus, formulam consecrationis in tarahumarensi lingua primum, in hispanica postea recitavit. Vesperi et proximo die aliis pietatis exercitiis coronationis sollemnitates clausae sunt. Neque defuerunt musica, saltationes, dialogi lingua indigena a pueris convictus exhibiti, opera pyrotechnica aliaque huiusmodi modesta oblectamenta, quibus omnium cum alborum tum indigenarum animi summa sunt affecti laetitia. Amore erga SS. Cor Iesu aucti et grato animo erga Nostros pleni, felices, huius tantae sollemnitatis praecones, ad suos redierunt.

Eam fore exordium et principium maioris fervoris inter indigenas non vane speratur; nam hac occasione pauperrimi homines viderunt quam sincera caritate Patres erga se ferantur, cum eos in sua lingua concionantes audirent et pueros puellasque suas in Missionis scholis tam hilares et felices conspicerent atque in multis rebus utilibus diligenter institutos.

Indianos intellexisse hanc sollemnitatem ipsis imprimis fuisse paratam, vultuum, alias immobilitate quadam frigescentium, laetitia insolita clare indicavit.

Missionarii spe sua non sunt frustrati. Quamquam indigenarum inconstantia etiam nunc patientiam Patrum duris subiciat experimentis, cum nonnullis locis omni fere die dominico alios iterumque alios ad doctrinam christianam venire videant neque vero eosdem reverti, tamen fructus consecrationis non deesse cum gaudio intellegunt, sive ex numero confessionum et Communionum valde aucto, sive aliis non obscuris maioris fervoris indiciis.

In Statione Nonoava plus 150 Tarahumarae singulis dominicis ex dissitis locis ad Missam audiendam et catechismum addiscendum accurrunt et mense decembri (a. 1921) 32 viri et 36 mulieres tarahumarenses, illi apud Nostros, hae in asylo Sororum Exercitia Spiritualia per triduum magna pietate et fructu peregerunt.

Pater Generalis, nuntiis de consecratione allatis, litteras ad Patres Fratresque Missionis inter Tarahumaras dedit, quibus eorum zelum animarum, praesertim diligentiam in studio linguae et curam indigenis adhibitam valde laudavit et optimos socios paterne admonuit, ne, fervori suo nimis indulgentes, valetudinem et vitam ipsam periculis opponerent.

Quanta caritate autem et alacri studio Provinciae Mexicanae Superiores omnesque Socii carissimos fratres in asperrima illa Mis-

sione inter summas privationes indefesse laborantes prosequantur, ex litteris clare apparet, quas a missionariis missas propriis pagellis exhibere solent. Neque desunt qui caelestem protectionem plane miram qua mediis in periculis et insectationibus Provincia Mexicana semper gaudebat et gaudet, attribuant laboribus et sacrificiis, quibus eius filii inter pauperes illos montium incolas regnum SS. Cordis sancte atque humiliter propagare student.

XI.

MISSIONIS ALASKANAE INITIA ET PROGRESSUS

(Prov. Californiae).

De Alaskae Missionibus dicturo visum est pauca de regionis situ, natura, incolis praefari. Est enim ea regio vastissima, quae, in extrema Americae Septemtrionalis parte sita, occasum spectat. Continetur a septemtrione Oceano Artico, a meridie Oceano Pacifico, ab occasu freto et mari Beringensi, ab oriente Ditione Canadensi et Columbia Brittanica. Superficie autem qua exaequat cunctos Status Foederatos Americae, qui sunt inter Mississippi flumen et mare Atlanticum, passuum milium quadratorum quingenta nonaginta milia octingenta quattuor extenditur (590.804 sq. miles; 1.376.300 km²). Ea vero est huius immensae regionis natura et situs, ut pars tam australis quam orientalis et montuosa fere sit et silvestris, reliqua autem pars plana et arboribus nuda. Hinc fit ut pars australis, cum et caelo multo mitiore fruatur et metallis, feris, avibus, piscibus abundet, hominibus victum et vitam commodiorem praebeat eosque amoenissimo silvarum, montium, aquarum aspectu delectet. Peninsula est etiam Alaskana quae multa milia passuum in mare occasum versus protenditur, terra inculta et horrida, crateribus vulcaniis conspicua; aliae etiam insulae huc illuc sparsae.

Huius regionis indigenae in quattuor gentes dividuntur, quae lingua inter se et institutis differunt: in Indianorum gentes tres inque eos, qui maiorem partem constituunt et ipsorum lingua « Innuit », nostra « Eskimo » appellantur. Hi superioris Alaskae oram

maritimam non solum occidentalem, sed etiam septemtrionalem Oceani Artici, Greenlandii quoque et maris Atlantici oram superiorem incolunt, ceteri interiorem vel australem partem et insulas. Nec tamen multi numerantur Alaskae incolae, quippe qui anno huius saeculi vigesimo omnino vix ad sexaginta milia censerentur, quorum tertia tantum pars indigenae erant. Etenim a triginta praesertim annis postquam de invento auro rumor longe lateque percrebuit, magnus factus est illo alborum concursus, quorum commercio, ut alibi usu venit, sic etiam in Alaska Indiani corrumpuntur et paulatim exstinguuntur.

Ut de superiore Alaska potissimum dicam, ubi Missiones praecipuae habentur, ea est caeli temperies ut hieme quae maiorem anni partem occupat, omnia nive glacieque oppressa sileant, aestate vero, quae valde brevis est et calida, vastae planities paludinosae, quae flumina interiacent, itinera impediant nec ulla fere sit agricultura et molestissima culicum muscarumque examina nascantur. Nullos ibi pagos vel oppidula, qualia alibi inveniantur, videas, propterea quod, cum victum indigenae maxima ex parte ex fluminibus marive petant, necesse est ut ultro citroque commeent et nonnisi pauci simul habitent ne fame pereant. Per totam mediam regionem fluit Yukon, ingens amnis, qui quo tempore glacie non est constrictus, a mense iunio ad octobrem usque, navigiis bis mille et quingentorum milium passuum ab oriente ad occasum transitum praebet, qua via, ut plurimum, aestate iter faciunt. Alia etiam multa eaque maxima flumina in hac regione visuntur. Hieme vero cum nimio frigore tam humus quam aqua riget, trahis et canibus utuntur, quorum nativa soboles, vulpi similis, huic usui inservit, piscibus gelatis vesci solita. Feri tamen iidem inter se ferocissime pugnant lacerantque, mansuefacti autem ne ipsis dominis quidem, ut ceteri canes, adulari solent. Eunt septem vel novem numero prout fert necessitas, modo celeres, modo tardiores, tamque multis casibus obnoxii, ut libenter iis supersederet missionarius si alia itineris faciendi ratio esset. Et spes quidem erat fore ut cervus reno et ad itinera et ad cibum utilis, posset in Alaska ali, sed usu compertum id tantum in ora maritima et parte australi posse fieri. Ad arandum equi adhibentur, qui hiberno tempore non ad itinera facienda, sed tantum ad ligna deportanda utiles inveniuntur, nam in longissimis itineribus pabulum non suppeteret. Gramen et legumina mensibus aestivis cito maturescunt, sed tritici vel

frumenti nulla seges; solum in Missione S. Crucis feliciore quam alibi proventu cum fruges et flores, tum armenta quoque pecudesque nascuntur et crescunt.

Atque de his quidem hactenus. Religionis vero christianae prima ad hos populos notitia per Russos schismaticos exeunte saeculo duodevicesimo pervenit. Sed cum eius saeculi anno sexagesimo septimo haec regio in Foederatorum Americae Statuum ditionem transiisset, quadriennio post Missionis catholicae initia a sodalibus Mariae Immaculatae, qui Oblati appellantur, facta sunt. Post tres annos Alaska concredita est Episcopo Insulae Vancouveranae, quae nunc Victoriae dioecesis est, Reverendissimo Carolo Ioanni Seghers. Is qui summo ardore huius populi Christo adiungendi flagrabat, Oblat's in Canadam reversis, Alaskam ipse uno comite sacerdote peragravit eo animo ut, locorum et incolarum cognitionem adeptus, melius posset ecclesiae nascenti providere. Quod tamen opus, Coadiutor Archiepiscopi Oregonpolitani creatus, in aliud tempus differre coactus est. Interea unus e clero saeculari in urbe Wrangel prius, postea Iuneau habitare coepit in parte Alaskae meridiana, unde in loca vicina excurrebat. Huic mox socius unus additus et anno octogesimo sexto tres moniales a Sancta Anna nuncupatae huc appulerunt, ut nosocomii erigendi curam susciperent.

Haec inter cum Archiepiscopus Ioannes Seghers a Summo Pontifice Leone XIII impetrasset, ut ad priorem Victoriae dioecesim redire sibi liceret, nihil potius habuit quam ut et datam Alaskanis fidem servaret et satis suo ipsius zelo faceret. Id eo magis urgebat, quod protestantes regionem occupare cogitabant, quo haud scio an quidquam maiori esse impedimento nascenti Missioni invenias. Mense igitur iulio anno saeculi superioris octogesimo sexto, cum Patribus Paschale Tosi et Aloisio Robaut e Societate Iesu, quos expeditionis socios et Missionis fundamenta a Patre Iosepho Cataldo impetratos adsciverat, addito etiam quem ceteris dissuadentibus conduxerat, viae comite, cui nomen Fuller erat, in Alaskam profectus est.

Non est cur pluribus narrem quam anxium hoc, quam arduum periculorumque plenum iter fuerit, utpote quod per abrupta viarum, per saltus, per torrentes, per lacus faciendum esset ducibus Indianis, qui cum omnia iam pretio aestimare didicissent, magna pecuniae summa locupletati, viatores tandem ad fontes

fluminis Yukon dereliquerunt. Hic mensem fere morati, missionarii tandem rate flumini commissa iter prosequi conati sunt. Cum autem Archiepiscopus didicisset protestantes statuisse Nulato occupare quem locum ipse Missioni destinasset, maturavit eo progredi, nec navigandi difficultatibus nec periculis deterritus neque vero duorum Patrum consilio; quos eo in loco quo iam devenerant in proximum annum consistere iussit, ipse vero cum famulo quem supra memoravimus profectus, adscitis postea duobus etiam Indianis, ad locum qui Nulato novem fere milia passuum distat pervenit, ubi prima luce die novembris 28 glande plumbea a famulo Fuller, vesania capto, transfixus occubuit. Ita quem locum segete evangelica sua opera abundare tanto ardore exopteverat, eum optimus pastor sanguine suo fuso irrigavit.

Eius rei fama cum ad Patres nostros nonnisi proximo vere pervenisset, P. Tosi induxit ut, relicto in Alaska P. Robaut, ipse in Status rediret, ut et suos de Archiepiscopi caede certiores faceret et auxilia viduatae Missioni impetraret. Nec mora, cum P. Aloisio Ragaru et Fr. Coadiutore Carmelo Giordano redux ita opus distribuit, ut tria statim loca prae ceteris Missionibus apta ipse et socii occuparent sicque in summa egestate humanorumque solatiorum penuria Alaskanae Missionis poneret fundamenta. Ab hoc ergo tempore Missio Alaskana quotannis et hominum et rerum incrementa cepit. Ex indigenis fuerunt qui a Russis baptizati doctrinae christianae prorsus ignari exstiterint, quorum, cum vellent Ecclesiae nomen dare, plerumque sub conditione iterandus esset baptismus, non tam ob ignorantiam doctrinae quam ob dubium, num rite collatum esset sacramentum. Ceterorum partim qui nullum cum albis commercium habuerunt indole valde bona et fidei recipiendae apti reperti sunt, partim alborum contagione vitiati difficilius ad Christi doctrinam amplectendam ducti. Erant etiam qui cum in insulis tuguria ventis omnique caeli intemperiei obnoxia veluti nidos affixissent promptissimo animo et fidem susciperent et christianae virtutis insigne spectaculum exhiberent.

Ratio vero huius populi colendi haec fere est. Cum non soleant sicut ceteri mortales in oppida et urbes magno numero convenire, sed seorsim pauci simul habitare, necesse habent Patres e suis stationibus in omnes partes excurrere. Hieme trahis cum septem plerumque vel novem canibus utuntur. Nec solent his vehiculis insidere, sed saepe potius praecurrere viae per nives

apperiendae causa vel subsequi. Quibus in itineribus variis periculis praecavendum, ne vel frigore pereant vel a via aberrent vel a feris canibus omnia pessum dentur, cum vel inter se implicentur et pugnent vel lora quibus iunguntur devorent. Patres autem ab imo pede ad verticem usque pellibus ferinis et piscium vestiti, faciem etiam magna ex parte pilis animalium tegunt, ne qua pars gelu rigeat, cuius rei praesens periculum est. Cum ad aliquem viculum ventum est, ubi paucae familiae congregantur, ad deversorium, « casine » vulgo dicunt, itur cuius tectum paulo e solo eminet, aditu ad partem interiorem per ostiolum habito. Hic plures simul familiae habitare solent squalore atque odore foetidae. Atque benigne quidem Patrem excipiunt, libenter audiunt, seque et liberos baptizandos praebent. Aegrotos si qui sunt, missionarius visitat, morientibus assistit, matrimonia celebrat, omni qua potest ratione homines iuvat; quibus perfectis ad reliqua suae ditionis loca eadem facturus pergit. Aestate autem, quo tempore nonnisi paucis horis tenebrae fiunt, missionarius flumine et mari quantum potest iter facit. Tum enim terrestre iter valde est arduum, quod terra paludibus et foeda aquarum illuvie scatet. Adde innumerabilium culicum muscarumque examina, quae tantam molestiam creant ut faciem rete, manus chirothecis contra eorum morsus munire necesse sit.

Anno millesimo octingentesimo nonagesimo octavo post inventum in regione klondikensi et alaskana aurum, cum ingens eo confluxisset alborum multitudo, magna facta est in Missionibus nostris mutatio et laborum augmentum. Nam quia fungorum instar multis in locis surrexerunt oppida, non Indianis solum, sed etiam albis succurrendum erat, quorum usu et consuetudine multo difficilior facta est indigenarum conversio. Nosocomium in urbe Dawson et templum exstruxit P. Gulielmus Judge qui post paucos annos nimiis laboribus fractus occubuit et cuius in locum sacerdotes ex familia Oblatorum Mariae Immaculatae successerunt; erat enim is locus in ditione brittanica.

Ineunte saeculo vicesimo cum peste, quae influentiae nomen habet, indigenarum adultorum dimidia pars absumeretur, Nostri et moniales omni ratione misellae plebi pro viribus opitulabantur. Atque nuper quidem eadem peste grassante, non defuerunt ex Nostris qui maiorum exempla ita aemularentur, ut et admirationem hominum et gratissimum erga nos animum excitarent.

Hic etiam ut alibi Patres nostri indigenarum indolem, mores, linguam, locorum quoque et naturam et situs et fructus lucubrationibus suis illustrarunt.

Ut pauca de regimine ecclesiastico memorem, anno millesimo octingentesimo nonagesimo quarto Praefectura Apostolica Alaska erecta est, cui primum quidem P. Paschalis Tosi praefuit, deinde P. Ioannes B. René, tertio loco P. Raphael Crimont. Idem, postquam S. Sedes mense decembri anno millesimo nongentesimo decimo sexto Alaskam in Vicariatum Apostolicum evexit, mense iulio anni proximi Episcopus in urbe Seattle consecratus est. Cum inde ab initio haec Missio (simul cum California) Provinciae Taurinensi commissa esset, factum est ut anno millesimo nongentesimo septimo Provincia Canadensis, recens nata, partem septemtrionalem excolendam susciperet, parte meridionali Provinciae Taurinensi relicta. Deinde biennio post Provinciae Californiensi a Taurinensi seiunctae tota iterum mandata est Missio Alaskana, cui etiam nunc pro viribus inservit.

In praesentia quidem in tota hac regione laborant sacerdotes ex clero saeculari duo, ex Nostris duodeviginti, quibus auxiliantur Fratres Coadiutores decem, Sorores ex tribus Congregationibus omnino septem et quadraginta. Convictus quattuor numerantur, aliae scholae quinque, nosocomia quattuor, orphanotrophia duo. Incolae autem Alaskae anno huius saeculi vicesimo numerabantur 54.899; catholici vero 9110, ex quibus indigenae dicebantur 4100.

Etsi cultiorum hominum cura et industria in hac quoque regione multa quae ad victum et habitationem spectant, paulatim commodiora redduntur, nulli tamen unquam hominum industriae silentium huius plagae et solitudo cedent neque immensae nives et glacies nec longissimi aestate dies et hieme noctes aliaque plura, quae quo ad ferendum duriora sunt, eo magis homines apostolicos allicere solent, qui sui obliti regnum Christi omni, qua possunt ratione, dilatare student; Societas vero, S. Parentis Ignatii praescripti memor ut ibi operam suam praestet, ubi cernatur « alios non esse » (1), hunc campum, quamquam exigui fructus et spei, libenter tamen retinet, quia tam arduus est ut haud facile inveniantur qui Nostris ibi succedere velint.

(1) *Const.* VII, c. 2, n. 1, E.

PARS ALTERA

NUNCII BREVIORES

ANNI MCMXXI

I.

DE SOCIETATE IN UNIVERSUM.

Chronica Curiae Societatis 1921.

Ephemerides.

6 *ian.* — P. Petrus de Champs de S. Léger (Prov. Franc.), Substitutus Secretarii pro Assistentia Galliae, Minister et Procurator domus nominatur; P. Paulus Zunino vero, postquam res domesticas Curiae ex Helvetia reversae assiduo labore ordinavit et villam Rufinellam nostro usui accommodavit, in Provinciam Taurinensem redit.

10 *ian.* — P. Petrus Tacchi Venturi (Prov. Rom.), a Patre Nostro usque ad exeuntem mensem septembrem a laboribus Secretarii Societatis liberatur, ut duo volumina historiae Assistentiae Italiae iam diu composita perficere atque perpolire possit. P. Secretarius in domum « Civiltà Cattolica » se recipit; eius vices gerit P. Ioannes B. Goetstouwers (Prov. Belg.), tabularii romani custos.

14 *ian.* — P. Stanislaus Sopuch, Provinciae Poloniae Praepositus, in Curiam advenit ad tractanda cum Patre Nostro suae Provinciae negotia; 24 ian. in patriam revertitur.

22 *ian.* — Consiliis PP. Assistentium obsequens Pater Noster Neapolim proficiscitur, ut in Collegio Maximo S. Aloisii (Posilipo) a laboribus per aliquot dies quiescat; recreatus 3 februarii inde revertitur, postquam 2 februarii in templo nostro neapolitano (il Gesù Nuovo) octo Nostrorum ultima vota excepit.

12 *feb.* — P. Augustus Bulot (Prov. Lugd.), Studiorum Superiorum Inspector, visitatis Collegiis americanis et canadensi, Patrem Nostrum convenit.

P. Anicetus Galdos (Prov. Cast.) officium parandi indicis epistolarum Praepositorum Generalium, cui per quattuor annos mira plane diligentia et patientia se dederat, morbo gravissimo correptus relinquere et in patriam redire cogitur, ubi die 7 nov. piissime obiit (1). Eius laborum socius atque virtutum aemulus, P. Paulus Hernández (Prov. Arag.), eodem fere tempore lectum petit et post paucos dies, 16 februarii, verus Christi miles ad stipendium aeternum accipiendum a summo Societatis Duce evocatur (2).

16 *apr.* — P. Gulielmus Power (Prov. Neo Aur.) ut de peracta Provinciae Belgicae visitatione ad Patrem Nostrum referat. in Urbem venit.

19 *apr.* — Ex Missione Syriae in Galliam rediens, P. Aloisius Chauvin, Praepositus Prov. Lugdunensis, triduum in Curia commoratur.

22 *apr.* — P. Ioannem B. Battisti, Praepositum Provinciae Venetae, eiusque Socium in Albaniam profecturos hospitio recipimus.

27 *apr.* — Advenit P. Franciscus Bertrand, Missionis Madurensis, ut res Universitatis catholicae in urbe Madras erigendae agat.

4 *maii.* — Ad examinandum opus Commissionis iuri nostro recognoscendo praepositae, Pater Noster se confert in domum Probationis Romanam (Villa Carpegna), ut in pacifico rure, a visitantium frequentia aliquantum remotus, huic labori tranquille vacare possit. Minora negotia expedienda PP. Assistentibus committuntur et Praepositi Provinciales hac de re litteris a Patre Nostro datis edocentur.

Mense maio. — Curiae quattuor simul Missionum Praesules hospitio excipere contigit: 7 maii advenit RR. DD. Augustinus Faisandier, Episcopus Trichinopolitanus; 11 maii RR. DD. Henricus Döring, Episcopus Poonensis; 20 maii RR. DD. Henricus de Saune, Vicarius Apostolicus Tananarivensis et RR. DD. Carolus Givelet, Vicarius Apostolicus Fianarantsoensis.

28 *maii.* — Pater Noster ex villa Carpegna domum redit.

31 *maii.* — P. Augustus Bulot, negotio quodam suae Pro-

(1) V. infra p. 526–7.

(2) V. infra p. 524–6.

vinciae Alexandriae (Aegypti) confecto, in Curiam revertitur, ut operam conferat cum Revisoribus Generalibus ad schema Rationis Studiorum perficiendum.

15 *iun.* — RR. DD. Paulus Perini, Episcopus Mangalorensis, ut Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneretur et Summo Pontifici se sistat, in Urbem venit.

16 *iun.* — P. Henricus Carvajal (Prov. Leg.) post visitatam Provinciam Siculam Patrem Nostrum convenit.

6 *iul.* — Cum P. Augustus Coemans, Praepositus Provinciae Belgicae, iuris nostri recognoscendi labore ultra tempus statutum in Urbe retineatur, P. Ferdinandus Willaert, qui usque adhuc eius vices gessit, ei in gubernanda Provincia succedit.

24 *iul.* — Patri Nostro sancti Patroni festum celebranti Summus Pontifex pro singulari sua benevolentia misit imaginem pulcherrime depictam S. Francisci Seraphici orantis, cuius Tertii Ordinis septimum centenarium hoc anno celebratur, his verbis sua manu adscriptis: « S. Francesco prega anche per Wlodimiro Ledóchowski ».

25 *iul.* — P. Liborius Rubino, brevi gubernationem Provinciae Siculae suscepturus, Patrem Nostrum convenit.

2 *aug.* — Curia in villam migrat ad aestivum tempus ruri transigendum.

25 *aug.* — P. Alphonsus Kleiser Urbem relinquit, ut P. Leopoldo Waters in custodiendo antiquae Societatis tabulario succedat.

18 *sept.* — Communitas Exercitia Spiritualia peragit.

28 *sept.* — In urbem reditur.

2 *oct.* — Adveniunt P. Henricus Carvajal et P. Ianuarius Llona (Prov. Cast.), qui Secretarii Societatis Adiutorem aget.

3 *oct.* — P. Leo Dupont (Miss. Trincomaliensis; Prov. Camp.), de visitata ab ipso Missione Mangalorensi (Prov. Ven.) Patri Nostro coram relaturus, ad nos devertitur.

7 *oct.* — P. Hilarius Azzolini (Prov. Ven.) officium Vicepostulatoris Generalis causarum NN. BB. et VV. init.

10 *oct.* — P. Henricus Carvajal Secretarius Societatis, P. Petrus Boetto (Prov. Taurinensis) Procurator Generalis renuntiantur: rei familiaris administratio remanet penes P. Alfredum Maertens, cuius munus ad mentem Codicis Iuris (can. 516, § 2) nomine « Oeconomi Generalis » appellatur. P. Petrus Tacchi Venturi

autem post magnos labores et insignia servitia in turbulentissimo belli tempore Societati praestita ad historiam Assistentiae Italiae persequendam in Collegium Pio-Latinum se confert.

12 *oct.* — Primo Rationis Studiorum schemate perfecto, P. Augustus Bulot ad visitanda studia superiora Provinciarum hispanicarum se accingit.

13 *oct.* — P. Emmericus Raitz de Frentz (Prov. Germ. Inf.) et 15 oct. P. Ioseph Drexel (Prov. Austr.) adveniunt, ille operam suam Patribus ad recensendum ius nostrum deputatis praestiturus, hic confectionem regestorum morte P. Pauli Hernández et morbo P. Aniceti Galdos interruptam persecuturus.

16 *oct.* — Cum P. Antonius Pérez Goyena (Prov. Cast.) ad biennium tantum ab aliis operibus litterariis atque a periodico *Razón y Fe* abstractus esset, nunc ad ea revertitur; pro eo autem P. Henricus del Portillo (Prov. Tolet.) collegio Revisorum Generalium adscribitur. Hic tamen antequam munus suscipit, Societatis tabularium adire debet, ut conspectum historiae Instituti, eiusdem Epitomae praefigendum, conscribat.

21 *oct.* — Pervenit ad nos a Patre Nostro vocatus, P. Henricus Boucher (Prov. Franc.), Minister Domus Tokyensis, negotiisque confectis, continuo Massilia solvit in Sinas.

22 *oct.* — P. Ioannes de Géradon (Prov. Belg.), Vicarius Generalis dioeceseos Gallensis (Ceylan), pro RR. DD. Ioseph Van Reeth visitationem ad sacra limina peragit.

23 *oct.* — P. Petrus Viganò (Prov. Ven.), ob gravissimum morbum ex culionensi leprosorum colonia (Miss. Philipp.) in Italiam redux, vi mali ingravescente, ad nos devertitur.

29 *oct.* — P. Eduardus Schröder (Prov. Neerl.), Socius Procuratoris Generalis, Visitationis Apostolicae in Africa meridiana laboribus defatigatus, ad vires reficiendas in Hollandiam redit.

P. Aemilius Thibaut (Prov. Belg.), Visitator Prov. Tolosanae, Patrem Nostrum convenit.

2 *nov.* — P. Petrus Boetto (Prov. Taur.), visitatione Prov. Castellanae perfecta, munus Procuratoris Generalis suscipit.

19 *nov.* — Adveniunt in Urbem P. Everardus Beukers (Prov. Neerl.) et P. Norbertus de Boynes (Prov. Franc.); hic Prov. Marylandiae-Neo Eb. et Neo Aurelianensem, ille Missourianam visitavit.

27 *nov.* — Dominica prima Adventus, noctu h. 12,50 Fr. Philippus Iannarelli (Prov. Rom.) in pace Domini obdormivit, post-

quam laboriosus semper et ob animi simplicitatem et solidas virtutes omnibus carus, 61 annos in Curia transegit (1).

29 *nov.* — Gravissimae operationi chirurgicae succumbit P. Ernestus Thill (Prov. Germ. Inf.), Instructor tertiae Probationis Exatensis. Hic Pater, ex mense octobri 1919 usque ad mensem iulium 1920 in Curia degens, recensendo iuri nostro operam dederat et superiore quoque anno, quamquam ob infirmam valetudinem in Provinciam reversus, illud opus labore suo adiuvit.

4 *dec.* — Adest P. Antoninus Zecchini (Prov. Ven.), Superior Residentiae Tergestinae, nuper a S. Sede Visitator Apostolicus Lithuaniae, Lettoniae, Esthoniae nominatus; eum comitabitur, socius itinerum atque laborum, P. Hadrianus Boudou (Prov. Tolos.).

12 *dec.* — P. Augustinus Bea, Praepositus Prov. Germaniae Superioris, et P. Bernardus Bley, Praepositus Prov. Germaniae Inferioris, in Curiam adveniunt ut summa utriusque Provinciae negotia cum Patre Nostro tractent.

15 *dec.* — P. Everardus Beukers in Hollandiam revertitur, ad visitandam Provinciam Germaniae Superioris se paraturus.

27 *dec.* — P. Norbertus de Boynes ad visitandas Missionem Iamaicensem et Provinciam Californiae in Americam proficiscitur.

Catalogus Sociorum et officiorum Curiae Societatis Iesu ineunte mense octobri 1921.

A. R. P. N.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITUS GENERALIS

A DIE 11 FEBRUARII 1915.

P. Franciscus de Paula Nalbone, *Assist. Ital.*, *Vicesup. dom.*	Prov.	Sic.
P. Rudolphus van Oppenraaij, *Assist. Germ.*, *Conf. dom., Praef. val.*	»	Neerl.
P. Eduardus Fine, *Assist. Gall., Conf. dom.*, *Admon.*	»	Lugd.

(1) V. infra p. 528.

P. Iosephus Barrachina, *Assist. Hisp., Praef. spir., Conf. dom.* . . . . . Prov. Arag.
P. Hermannus Walmesley, *Assist. Angl., Conf. dom.* . . . . . » Angl.
P. Iosephus Hanselman, *Assist. Amer., Conf. dom.* . . . . . » Maryl.-N. E.
P. Henricus Carvajal, *Secr. Soc., Cons. dom. an.* 1 . . . . . » Leg.
P. Petrus Boetto, *Proc. Gen., Conf. dom.* . » Taur.
P. Alfredus Maertens, *Oecon. Gen., Conf. dom., Cons. dom. an.* 2 . . . . . » Belg.
P. Petrus de Champs de S. Léger, *Min., Subst. Secr. Soc. pro. Ass. Gall., Proc., Praef. sac. dom., Cons. dom. an.* 2. » Franc.
P. Azzolini Hilarius, *Vicepostul. Gen. caus. NN. VV. et BB. (in Univ. Greg.).* » Ven.
P. Beccari Camillus, *Postul. Gen. caus. NN. VV. et BB. (in Univ. Greg.)* . » Rom.
P. Cassiani Ingoni Iulianus, *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Ital., Praef. lect. ad mens.* . . . . . » Ven.
P. Drexel Iosephus, *Adiut. Secr. Soc.* . . » Austr.
P. Goetstouwers Ioannes B., *Archiv.* . . » Belg.
P. Gonthier Carolus, *Rev. gen. libr., Praes. coll. cas., Cons. dom. an.* 2, *Cons. S. Congr. de Discipl. Sacram.* . . » Lugd.
P. Kleiser Alfonsus, *Adiut. Secr. Soc. (Exaten bij Baexem, Neerlandia, L.)* . . » Germ. Sup.
P. Llona Ianuarius, *Adiut. Secr. Soc.* . . » Cast.
P. Mac Mahon Gulielmus, *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Angl. et Amer.* . . . . . » Angl.
P. Palermo Lazzarini Dominicus M., *Rev. gen. libr. (in Univ. Greg.)* . . . . » Rom.
P. del Páramo Nicephorus, *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Hisp.* . . . . . » Leg.
P. del Portillo Henricus, *Rev. gen. libr.* . » Tolet.
P. Rabeneck Ioannes B., *Rev. gen. libr., Praef. bibl., Cons. S. Congr. de Discipl. Sacram.* . . . . . » Germ. Inf.

P. Raitz de Frentz Emmericus, *Adiut. Secr. Soc.* . . . . . Prov. Germ. Inf.
P. Schröder Eduardus, *Soc. Oecon. Gen., Cons. S. Congr. de Prop. Fide* . . » Neerl.
P. Siemienski Stanislaus, *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Germ., Catech. FF. CC.* . » Pol.
P. Werner Otto, *Cur.* Act. Rom. *et* Mem. S. I., *Expl. med. FF. CC.* . . . . » Austr.

COADIUTORES

Baguñá Narcissus, *Aman., Ian.* 2, *Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . Prov. Arag.
Banquells Ignatius, *Soc.* 1 *P. Gen., Aman., Aedit., Vis. noct.* . . . . . » Arag.
Barlassina Ioannes B., *Sart., Tons., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . » Ven.
Beckmann Godefridus, *Soc.* 2 *Adiut. Secr. Soc.* (*Exaten*) . . . . . » Germ. Inf.
Bellon Victor, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* . » Lugd.
Bosch Iosephus, *Soc.* 2 *Proc. Gen., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . » Arag.
Del Vecchio Vincentius, *Infirm., Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . » Rom.
Durelli Ioannes, *Adiut. aedit., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . » Ven.
Grau Theodorus, *Aman., Adiut. praef. bibl., Vis. med. et exam., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . » Arag.
Herrero Aemilius, *Soc.* 2 *P. Gen., Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . » Leg.
Huete Antonius, *Praef. tricl., Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . » Tolet.
Iannarelli Philippus, *Cust. vest. et lint., Vis. mat.* . . . . . » Rom.
Lampe Maximilianus, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . » Neerl.
Oteiza Esdras, *Aman., Adiut. infirm., Comp. mss. et libr., Ad dom., Soc. exeunt.* . » Cast.

Otrebski Eugenius, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.*	Prov.	Pol.
Prieto Iosephus, *Soc.* 1 *Proc. Gen., Ad dom.* .	»	Leg.
Przewlekly Franciscus, *Cust. pen., Adiut. coq. et cell., Ad dom., Soc. exeunt.* .	»	Pol.
Sangalli Iosephus, *Empt., Coq., Cell.* . . .	»	Ven.
Weidinger Ioannes B., *Aman., Ian.* 1, *Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Ven.
Wenzel Iosephus, *Soc.* 1 *Adiut., Secr. Soc.* (*Exaten*)	»	Austr.

Curiae annumerati sunt:

P. Arregui Antonius M., *Par. revis. Instit.*	Prov.	Cast.
P. Besson Iulius, *Par. revis. Instit., Conf. dom.*	»	Tolos.
P. Coemans Augustus, *Par. revis. Instit.* .	»	Belg.
P. Ferreres Ioannes B., *Par. revis. Instit.*	»	Arag.
P. Thill Ernestus, *Par. revis. Instit.* (*Exaten*) .	»	Germ. Inf.

Sac. 28 — Coad. 18 — Univ. 46

Vita functi in Curia.

P. Paulus Hernández (Prov. Aragoniae).

PP. Anicetus Galdos et Paulus Hernández qui per amplius tres annos regestis epistolarum Praepositorum Generalium conficiendis operam dederant et id opus magni momenti paene finiverant, eodem fere tempore coacti sunt laborem abrumpere et hic reluctans quidem quieti in valetudinario se tradere, ille vero medicorum consilio in Hispaniam redire.

P. Hernández, postquam incredibili fortitudine qua semper excellebat, cum omnium admiratione per hebdomadas restitit funesto gravissimi mali impetu — tumor erat malignus, tandem morbi vi coactus, valedixit schedis suis in quas scribendas tanto cum studio incubuerat. Sed etiam nunc exercitia communia fideliter est secutus et recreationis saltem principio interfuit. Vix per octo dies Pater decubuit et, omnium morientium sacramentis munitus, die 16 februarii hora 1.20 post mediam noctem mortuus est. Vir erat antiquae simplicitatis et fortitudinis, paupertatis aman-

tissimus: in America meridionali ubi oboedientiae iussu tabularia scrutabatur et monumenta antiquorum nostrorum Patrum lustrabat, itinera longissima peragebat verbum illud Domini « sine sacculo et pera » ad litteram fere exsecutus; tres libros habebat et semper secum portabat: breviarium antiquum, quod ipse legibus novis accommodaverat, Novum Testamentum, Imitationem Christi, quibus in valetudinarium descendens flagellum adiungere non omisit.

Pater Noster ad Praepositum Prov. Aragoniae, ad quam pertinuit P. Hernández, die 26 februarii 1921 haec scripsit: « R^ae V^ae ac toti Provinciae Aragoniae significo magnum dolorem quem ego et huius Curiae Patres et Fratres omnes experti sumus ob mortem desideratissimi P. Pauli Hernández. Fuit enim vir admodum spiritualis, qui principiis supernaturalibus constanter ducebatur, in laboribus etiam difficilibus et obscuris ob gloriam Dei susceptis tenacissimus, in Superiorum voluntate exsequenda fidelissimus, sibi ipsi durus et mortificatus, paupertate, simplicitate religiosa aliisque virtutibus vere insignis. A Patribus Curiae magni fiebat eius sanctimonia et omnes eum sincera et intima caritatis significatione prosequebantur. Ingens eius labor in parandis Curiae regestis utilissimus erit toti Societati. Denique mortem acceptavit plena voluntate ardentissime desiderans, ut ipse aiebat, Patrem suum Deum ac Dominum Iesum Christum contemplari, a quo Patrem Paulum splendidam gloriae coronam accepisse magna cum fiducia speramus ».

Natus erat Pater Paulus Hernández y Gimeno in pago Rubielos de la Cérida, Archidioeceseos Caesaraugustanae, die 9 octobris 1852; Societatem ingressus est Andorrae, ubi tunc erat Provinciae tirocinium, 4 feb. 1872; sacerdotio auctus die 8 sept. a. 1887, hostiam divinam primum obtulit die proximo; professionem quattuor votorum fecit 2 feb. 1890.

Opera praecipua P. Pauli Hernández:

Juicio crítico sobre la Educación antigua y la moderna. — 1ª edición. Obra premiada en el certamen celebrado por la Academia del Plata en 30 agosto 1886. — 396, 18 × 12. Buenos Aires, 1886.

Juicio crítico sobre la Educación antigua y la moderna. — 2ª edición. 513, 18 × 12. Madrid, 1888.

El extrañamiento de los Jesuitas del Rio de la Plata y de las Misiones del Paraguay por decreto de Carlos III. — 420, 20 × 13. Madrid, 1908.

Organización social de las doctrinas Guaraníes de la Compañía de Jesús. — 2 tom. I, XVI-608; II, 733; 26 × 16. Barcelona, 1913.

Reseña historica de la Mision de Chile-Paraguay de la Compañía de Jesús desde su origen en 1836 *hasta el Centenario de la Restauración de la Compañía en* 1914. — V-319, 25 × 17. Barcelona, 1914.

La Compañía de Jesús en las repúblicas del Sur de America: 1836-1914.

Vida del venerable sacerdote Don Domingo Muriel, religioso un tiempo de la abolida Compañía de Jesús y último Provincial de su Provincia del Paraguay. Escrita por un discípulo suyo, sacerdote de la misma Compañía (Bibl. del tercer Centenario de la Universidad Nacional de Córdoba). — IX-547, 8°. Córdoba, República Argentina, 1916. — P. Paulus Hernández edidit hoc manuscriptum P. Francisci X. Miranda librumque obtulit Universitati Cordubensi.

La Casa de S. Ignacio de Loyola en Barcelona. Noticia historica de ella y su estado actual. — 122, 22 × 14. Barcelona, 1917.

TRANSLATIONES:

Historia del Paraguay escrita en francés por el P. Pedro Francisco Javier de Charlevoix de la Compañía de Jesús con las anotaciones y correciones latinas del P. Muriel traducida al castellano. — VI tom. Madrid, 1910-1916.

Historia del Paraguay desde 1747 *hasta* 1767. Obra latina del P. Domingo Muriel de la Compañía de Jesús. Traducida al castellano. — 659, Madrid, 1919.

Explanación de las Meditaciones del Libro de los Ejercicios de San Ignacio de Loyola por el P. Mauricio Meschler de la Compañía de Jesús. Traducido del aleman. — XVI-581. Manresa, 1917.

El P. Francisco Suárez de la Compañía de Jesús... por el P. Raúl de Scorraille de la Compañía de Jesús. — 2 t. XXX-455 et 528. Barcelona, 1917.

P. ANICETUS GALDOS (Prov. Castellanae).

Die 26 aprilis 1880 puer quidam P. Rectori Collegii Loyolaei obviam venit capite aperto, galerum Bascorum proprium manu terens, modeste petiit ut in Societatem admitteretur. P. Rector aliqua humaniter ex eo quaesivit et, cum comperisset petentem 17 aprilis 1867 demum natum esse, respondit eum, quia aetatem a sacris canonibus postulatam nondum haberet, modo quidem recipi non posse. Pacatus et tranquillus ut venerat puer abiit, sed post annum eodem die eadem fere hora rediit idem petiturus. Nunc vero postulantis votis satisfieri potuit. Inter novitios admissus brevi ab omnibus exemplar modestiae et angelici candoris est habitus. P. Galdos — is est novitius noster — Oñate natus erat. Sacerdos quidam mira eius pietate et innocentia captus eum latinam linguam docuit. Post duos autem annos dixit: « hic puer me

superat ». Tunc quidem Anicetus Loyolam venit primum admissionem frusta petiturus.

Post absolutam philosophiam anno 1890 in Missionem Aequatorianam missus in Collegio Quitensi praefectum morum egit; Pifo per tres annos rhetoricam docuit ibidemque studia theologiae actu publico finivit. Tertiae probationis anno in domo Chapinerensi peracto, usque ad annum 1907 in Missione Columbiana variis functus est muneribus: Socii Magistri Novitiorum, Professoris philosophiae, Ministri, Magistri Novitiorum, Professoris theologiae, Instructoris Tertiae Probationis; inter quae 2 feb. 1901 professionem quattuor votorum fecerat.

In urbem Bogotá vocatus, annis 1907-1912 laboribus apostolicis se dedit; assiduus erat in confessionibus audiendis, in carceribus et nosocomiis visitandis, semper, die noctuque, promptus ad sacramenta morientibus administranda. De nosocomio S. Ioannis de Deo, ubi sexcenti lecti continenter occupantur et quibusdam anni temporibus infirmorum numerus ad 1200 augetur, modo suo proprio dixit: « Haec est nostra fodina ». At de hoc animarum studio nemo est miratus qui P. Galdos virtutem et magnum animum noverat. Omnium autem exspectationem vicit contionibus, quas per aliquot annos omni dominica mane hora quinta in magno Collegii Bogotani templo habuit. Sermone simplici veritates graves et amaras diserte et sapienter magna vi protulit ita ut omnes, et sapientes et simplices, eum libenter audirent.

Anno 1912 in Hispaniam revocatus, philosophiam et postea ius canonicum in Collegio Oniensi (Prov. Cast.) docuit et anno 1917 Romam in Curiam est accersitus, ut in excerpendis Praepositorum Generalium litteris simul cum P. Paulo Hernández operam suam poneret. Huic labori vir magni ingenii et summae virtutis mira constantia se dedit, eius molestiam leniens interiecto aliquo hymno S. Bernardi, cuius operum magnum volumen praeter schedas plurimas in mensa angusta ante se apertum tenebat.

Ob tumorem cuius malignitas vix ullam spem salutis reliquit in Hispaniam missus, P. Galdos in Collegio Bilbaensi vitam duxit modo doloribus maximis obnoxius, modo ab iis liber, semper autem pacatus et tranquillus, Dei voluntati se plane committens, omnibus exemplo et aedificationi. Die 7 novembri 1921 suaviter et pie, ut vixerat, animam efflavit.

Fr. PHILIPPUS IANNARELLI (Prov. Romanae).

Fr. Philippus Iannarelli die 26 maio anni 1837 Aletrii (Alatri Prov. di Roma) natus die 22 novembri anni 1857 tirocinium romanum ad St. Andreae ingressus est. Post brevem moram in Collegio Romano Curiae Praepositi Generalis adscriptus, muneribus custodis vestium et tonsoris per 61 annos singulari constantia est functus. Laborandi indefesso zelo praestans, sinceritate et religiosa simplicitate omnibus carus, vitam suam in bona senectute finivit die 27 novembris anni 1921.

CAUSAE ET CULTUS SANCTORUM SOCIETATIS.

(1921)

CAUSAE.

B. Petrus Canisius. — Die 16 mensis martii decretum de reassumenda causa B. Petri Canisii est factum. Referunt monialem quandam in Neerlandia intercessione Beati a tubercolosi viscerum esse sanatam; qua de re nunc fit processus apostolicus in Curia episcopali ruremondensi.

Ven. Robertus Bellarminus. — Post promulgatum decretum de virtutibus heroicis Ven. Roberti Bellarmini continuo ex miraculis iam anno 1626 ad tribunal S. Congregationis allatis tria selecta sunt, quibus via ad beatificationem Ven. Cardinalis sterni posse speratur.

Ven. Claudius de la Colombière. — Per totum annum processus apostolici continuati sunt de duobus miraculis quae, ut anno superiore commemoravimus (Mem. I [1920] 351), patrocinio Ven. Claudii de la Colombière attribuuntur.

S. D. Franciscus M. Galluzzi. — Vicariatus Romanus mense novembri processum ordinarium de virtutibus etc. Servi Dei P. Francisci M. Galluzzi finitum atque clausum Sacrae Congregationi Rituum tradidit. Nunc fit inquisitio de scriptis eiusdem Servi Dei. Huius causae Ponens nominatus est Em. Card. Camillus Laurenti.

Martyres Parisienses. — Em. Card. Dubois, Archiepiscopus Parisiensis, litteris postulatoriis ad Summum Pontificem datis petiit, ut causa Martyrum Parisiensium (P. Olivaint eiusque sociorum), ob causas mere externas anno 1893 suspensa, reassumeretur.

Cultus.

Mira sanatio aqua S. P. Ignatii obtenta.

P. Lucianus Steger (Prov. Neerl.), in Residentia B. M. V. Hagae-Comitana operarius. haec refert: Teresia de J..., nata Hagae Comitis, die 7 iulii 1919, hieme vertentis anni 1920-1921, vix ergo 18 mensium infans, gravis morbi complicatione afficiebatur.

Dubii morbilli (sine exanthemate), bronchitis, necnon utriusque pulmonis infectio infantulam adeo in extremum deducebant periculum, ut medicus domesticus revalescentiam declarare exclusam non dubitaret et die 21 februarii de salute ferme desperandum censeret.

Alter interim medicus, specialista, ut aiunt, a parentibus nihil intentatum relinquentibus, invocatus, puellulae vitam nonnisi aliquot horas protrahi posse testatus est, et medici domestici sententiae annuens, suam scientiam nil posse iuvare ait, ideoque se non esse rediturum in vanum.

At, ut fit, parentes spem non abiiciebant et de amicorum consilio tertium medicum, item specialistam eumque optimae famae, consulere statuunt. Qui diagnosi instituta, affirmans valde seria agi de re, ne tamen parentes animum omnino perderent: « Dum vita, tamdiu spes » inquit, « quaecumque tentanda equidem tentabo ».

Interim, die 22 februarii, ex pneumonia phaenomena nota ereumica oriebantur: paralysis partialis, turbationes visus et auditus, convulsiones, quibus infans ululans e longinquo audiebatur, dum oculi in cavernis lividae faciei volvebantur et spumas paupercula puella agebat in ore, ita ut circumstantes sustinere vix possent et de consilio desperantis medici cataplasmata seminis lini et medicamina non diutius applicarentur, ne frustra puellula vexaretur.

Humectando, in quantum prae clausis labiis fieri poterat, filiam adhuc aliquo modo reficere conabatur mater idque de hortatu fratris Scholastici Societatis nostrae, avunculi Teresiae, inter pias preces. cum aqua benedicta in honorem S. P. N. Ignatii.

Amicus vero puerorum, S. Ignatius, fiduciam et perseverantiam parentum tentare visus est. Brevioribus enim intervallis phaenomena euraemica prodebantur et Teresia, sensibus destituta, morti proxima vagiebat in cunis.

Nocte 25 februarii, dum mater lacrimosa iterum tentabat guttulis aquae benedictae S. Ignatii tingere labella, en, subito vita redire visa est; ad lagenulam aquae sacrae manus extendit infans et unico tractu avide exhaurit. Dein sine matris ope sese in cunis erigit et ore balbo, sicuti sana balbutiare solebat: « Parata! » (vernacula: « Al klaar ») titubat, patrem, matrem, sororem fratrem acclamat, ut gestaretur in manibus singulorum et amplecteretur, denique placide indormit.

Phaenomena euraemica repente cesserant nec recruduerunt in posterum. Summo mane proximi diei, Teresia cum rosis in buccis, quasi e mortuis rediviva medico obstupefacto comiter et blande e cunis arridet.

Medicus domesticus, ipse catholicus vir, mihi testatus est: « Si unquam, hic revera sermo est de mira postulationis impetratione ». Alter, specialista acatholicus: « Hic vires supernaturales opus aggressae sunt. De auxilio humano etenim nil exspectandum erat! ». Medici timori, ne, post inexspectatam mutationem, sequelae tamen miserrimae remanerent, splendide contradicit eventus. Nec vola nec vestigium morbi exstat. Teresia belle se habet usque ad hodiernum diem.

De ossibus S. Stanislai ad S. Andreae in Quirinali conservatis.

Postulator Generalis, cum in lipsanotheca iam non haberet reliquias sancti Stanislai, quibus precibus frequenter ex Societatis aliarumque religiosarum familiarum tirociniis allatis satisfaceret, Patrem Generalem rogavit, ut Sancti sepulcrum aperire, quod contineret examinare, aliquam ossium partem lipsanothecae suae seponere sibi liceret. Qua facultate obtenta, die 22 maii 1921 simul cum P. Francisco Calcagno, Rectore Universitatis Gregorianae, a qua Residentia S. Andreae pendet cumque duobus eiusdem domus Patribus Fratreque Coadiutore in templum se contulit. Ianuis Ecclesiae clausis atque remoto opere illo e lapide sapphirino, quod urnae instar verum sepulcrum contegit, conspexerunt cratem duabus seris appensis clausam et post eam loculum in muro solido factum. Seras, quarum claviculae apud Residentiae Ministrum servantur, Frater aperuit et sublata gravissima crate arcam ligneam summi ponderis, quae fere totum spatium occupat, cum magna contentione extraxit. In hac capsa, postquam operculo externo reducto eam alia clavi reseraverunt, arculam ex

nuce factam, fere 0,45 cm. longam, 0,35 latam, 0,30 altam invenerunt clavi clausam et in transversum cinctam fascia serica rubra, quae ex omni parte sigillis Postulatoris Generalis muniebatur. Sigillis effractis et fascia revoluta clavicula parva, quae in sacculo serico reposita ad parietem arculae anteriorem affixa erat, operculum facile aperuerunt et invenerunt multa bombyce circumdatum involucrum sericum album, quod vitta rubra serica redimitum supra et infra et ad latera sigillo episcopali munitum erat. Apposita erat charta cum inscriptione: « Anno 1842 ». Detulerunt hoc involucrum in altare maius et, remotis sigillis et vitta, invenerunt diligenter composita haec ossa:

1° Os sacrum cum parte separata fossae iliacae dexterae et cum fragmento sinistrae.

2° Multas vertebras inter quas atlas, axis nonnullaeque cervicales, dorsales, lumbares erant.

3° Partem unius omoplatae.

4° Duo femora, integrum unum, alterius mediam partem.

5° Unum radium, unumque cubitum.

6° Multa ossa carpi, metacarpi, tarsi, metatarsi.

7° Multas phalanges, phalanginas, parvas phalanges.

8° Tres costas integras et fragmenta aliarum duarum.

9° Fragmenta scapularum.

10° Utriusque calcanei ossa.

Ex his in lipsanotheca seposita sunt:

1° Fragmentum pelvis.

2° Duo fragmenta scapularum.

3° Duo fragmenta costarum.

4° Octo ossa carpi, metacarpi, tarsi, metatarsi.

5° Octo ex unius pedis phalangibus, phalanginis atque parvis phalangibus manuum et pedum.

Reliqua bene ordinata eodem modo ac antea involuta, fasciis cincta ac sigillis Postulatoris Generalis munita sunt, arcula atque capsa clausae et in loculum reconditae. Quibus peractis quattuor Patres qui adfuerunt documentum exararunt, in quo gesta ex ordine italice narrantur, suaque nomina apposuerunt. Ex hoc documento, quae modo rettulimus, deducta sunt.

Beatus Petrus Canisius celebratur quattuor ab eius natali saeculis elapsis (1521-1921).

Quam alte memoria alterius Germaniae Apostoli in gratis popularium animis impressa sit, splendide monstrarunt festa quarta saecularia ab eius natali, quae in urbibus in quibus vir magnus natus, operatus, mortuus est, multisque aliis locis in eius honorem celebrata sunt.

Non inutile tamen videtur ipsi sollemnitatum narrationi aliqua praemittere quibus declaretur, quo modo animi fidelium ad Beati memoriam agendam parati sint.

Pontifex Maximus Benedictus XV fel. mem. ipse kalendis aprilibus anni 1921 litteras ad Helvetiae Episcopos misit, nominatim ad custodem sepulcri B. Petri Canisii, RR. DD. Marium Besson, Episcopum Lausannensem et Genevensem, quibus laudavit Antistitum consilium celebrandi magnum apostolum. « Velimus, inquit Papa, Petri memoria ita instauretur, ut ex eius vitae exemplis apte propositis christifideles vestri sentiant, quanti sibi faciendum sit divinum illud fidei munus, pro quo Petrus tam acriter, tam diu decertavit ». Quibus verbis Summus Pontifex non solum omnibus diem natalem B. Canisii celebrare permisit, sed etiam viam et finem sollemnium peragendorum ipse ostendit.

Paulo post Episcopi Helvetiae litteris pastoralibus fideles suos ut supplicationibus in honorem Canisii instituendis interessent, sedulo admonuerunt, pulcherrime ostendentes quam bene miles ille Christi fide sua invicta et studio animarum de patria quoque meritus esset. Similibus litteris etiam Archiepiscopus Coloniensis dioecesanos suos ad memoriam Canisii celebrandam invitavit.

Neque Nostri pietatis officio erga virum eximium defuerunt. Eleemosynis liberalibus ex America acceptis, Socii valkenburgenses imaginum Beati plus 300.000 per sacerdotes, moniales, ludi magistros inter pueros sparserunt simul cum brevi narratione, qui Canisius fuerit quidque ad fidem Germaniae gentibus servandam praestiterit; libros beati Petri vitam exhibentes conscribendos vel denuo edendos curaverunt eorumque exemplaria plurima, non pauca gratis, fidelibus distribuerunt; denique lucubrationibus conscriptis et in plus quam centum periodicis et ephemeridibus, etiam optimae notae et maximae auctoritatis, exhibitis catholicorum animos in beati Petri memoriam agendam verterunt.

Ita mirum non est quod appropinquante die natali beati Petri (octavo mensis maii) ubique fideles ad eum celebrandum laeti et alacres se accinxerunt. Ubi eius memoriae propria sollemnitas dedicari nequivit, saltem aliam etiam Beati nomini inscripserunt, ne ingratitudinis erga tantum virum opprobrium incurrere viderentur. Reliquas autem urbes facile superarunt et splendore honorum apostolo vel filio tributis et celebrantium frequentia: Vienna, Austriae caput, Neomagum (Nijmegen) in Hollandia, Colonia Agrippina Germaniae (Köln).

Viennae iam medio mense aprili catholici per integram hebdomadam invitati sunt in domus professae templum, a Canisio nuncupatum, ad sacras contiones quibus animi, plurimis nunc ibi expositi tentationibus e parte sectarum, in illa fide confirmarentur atque roborarentur, quam pretiosissimam hereditatem a maioribus acceptam non immerito laboribus B. Petri inprimis eiusque fratrum grati attribuunt. Nuntius Pontificius ipse, RR. DD. Franciscus Marchetti-Selvaggiani, hos primos dies Canisii sacros Missa pontificali ritu sollemniter celebrata conclusit. Ante diem natalem ipsum supplicatio per triduum instituta est in amplissima ecclesia cathedrali S. Stephani, quae quamquam pluviae assiduae vias impedirent, semper ad ultimam usque sedem replebatur. Loca maximae aulae, in qua die 8 mensis maii in honorem Beati nostri habitus est conventus, iam exeunte mense aprili omnia vendita erant. Ibi Em. Card. Gustavus Piffl, Archiepiscopus Viennensis, Canisium amplissimis verbis celebravit eiusque fidem ardentissimam et immensum Ecclesiae amorem auditoribus exemplo atque imitationi proposuit.

In Beati Petri patria neomagensi cives incredibili studio sollemnia in honorem summi urbis filii egerunt. RR. DD. Episcopus e sede sua accurrit, ut ipse die 8 maii Sacrificium sollemne ibi offerret: splendida pompa, magna cura praeparata, per urbis vias et plateas deducta est.

Praeterea viri summae auctoritatis, ex variis gentibus oriundi, delecti sunt, qui Em. Cardinali Viennensi Praeside pecunias colligerent ad erigendum Neomagi magnum Canisio monumentum In eum finem instituerunt ludum fortunae, cuius sortes, quadraginta milia numero, singulae singulis florinis venduntur. Inter praemia praecipua Benedicti XV et Patris Nostri dona eminent.

Coloniae sacerdotes omnes et consociationum catholicarum

moderatores litteris Em. Cardinalis Archiepiscopi, de quibus supra diximus, commoti cives adhortati sunt, ut in unum collecti Canisio honores tribuerent. Frequentes per triduum convenerunt Colonienses in templum B. Mariae V. ad audiendas laudes B. Petri, quas Pater quidam ex Ordine Fratrum Minorum dixit; plurimi die 8 mensis maii mane intererant Missae Pontificali et postea accurrebant in magnam aulam consociationis civium catholicorum, ubi post alios viros eximios Em. Cardinalis ipse de B. Petro Canisio verba fecit. Telegrammate ad Sanctum Patrem misso congregati petiverunt, ut mox sibi liceret magno apostolo et Germaniae benefactori Sanctorum honores tribuere.

Sed hoc die 8 maii festa Canisiana nequaquam erant finita; multis enim locis postea demum celebrata sunt v. g. in Düsseldorf, in Badeniae urbibus Mannheim, Karlsruhe, Freiburg. Etiam Vratislaviae (Breslau) Em. Cardinalis Adolfus Bertram ipse Beatum Petrum sollemni oratione commemoravit.

Friburgum Helvetiorum sub finem mensis iulii populus catholicus confluxit, ut prope sepulcrum eius quem etiam hae gentes apostolum suum et amatissimum patrem in fide laeti gratique acclamant, una cum Episcopis suis et multis hospitibus quintum congressum catholicorum Helvetiae agerent. Postquam dies natalis Beati tribus Sacris ritu pontificali peractis et splendida pompa Friburgi celebratus est, nunc sollemnium culmen erat supplicatio deducta ad Collegium S. Michaelis, quod Canisius olim inchoaverat. Adfuit RR. DD. Nuntius Pontificius idemque etiam impertiit trinam benedictionem eucharisticam.

Monachii (München) in Bavaria, Em. Cardinale Michaele de Faulhaber auctore, triduum Canisianum in principio mensis decembris habitum est et simul antiquae Societatis templum S. Michaelis Nostris redditum.

Quid in Societatis domibus factum sit in honorem B. Petri Canisii, ne longi simus, silentio praetermittimus; id tamen adducere liceat Nostros Collegii Valkenburgensis, quidquid a Canisio vel de eodem scriptum accipere potuerunt, ea simul collecta aspicientibus exhibuisse, ita ut suis quisque oculis quasi perciperet, quid Canisius ad rem catholicam muniendam atque augendam illis temporibus praestiterit et etiam nunc praestet.

Nam profecto illud S. Pauli « defunctus adhuc loquitur » (1)

(1) *Hebr.* XI, 4.

etiam de Canisio dici potest: multum nostra quoque aetate memoria sua et imprimis his sollemnitatibus in suum honorem peractis effecit, ut in plurimorum animis fides revirescceret et sic impleretur desiderium illud quod Benedictus XV f. m. saecularibus sollemnibus rationem atque finem praestituerat: « ut... christifideles... sentirent, quanti sibi faciendum esset divinum illud fidei munus pro quo Petrus tam acriter, tam diu decertavit ».

Varia.

Episcopi omnes Poloniae ad sanctuarium B. M. V. Czenstochaviense congregati, ut consilia de rebus ecclesiasticis patriae conferrent, litteris supplicibus ad S. Sedem missis rogaverunt ut canonizatio B. Andreae Bobolae properaretur.

Idem a Benedicto XV petiit Praeses Poloniae, Pilsudski, hac epistola:

Très Saint Père!

Depuis le commencement de la guerre mondiale, qui paraît finir aujourd'hui, le Tout-Puissant a béni manifestement les efforts de notre héroïque armée.

Contrairement aux desseins de nos ennemis notre Patrie est ressuscitée, chose qui paraissait presque impossible selon la prévision humaine.

Nous attribuons l'accomplissement de cet acte de justice dans l'histoire de l'humanité à la puissante intercession de nos Saints Patrons et notamment à celle du Bienheureux André Bobola, invoqué tout specialement par la nation polonaise, qui lui avait voué sa foi.

Nous sommes remplis du désir de lui témoigner notre gratitude pour la protection accordée à la Pologne et d'en assurer la continuation au cours du développement futur de notre État.

C'est pour cette raison, Très Saint Père, que nous supplions Votre Sainteté de placer le Bienheureux André Bobola au nombre des Saints.

Nous espérons, qu'en sa qualité de Patron de nos Marches orientales, où il trouva le martyre, il obtiendra de la grâce divine, que la Pologne continue toujours à servir d'avant-poste du christianisme aux confins de l'Orient.

Les nombreux témoignages de l'attachement de notre pays, ainsi que les bienfaits reçus des mains de Votre Sainteté nous rendent confiants, que le cœur paternel et si large de notre Saint Père daignera aussi accueillir cette prière, que lui adresse la Pologne.

PILSUDSKI.

Interea Patribus Prov. Poloniae redditum est antiquae Societatis Collegium Vilnense et templum S. Casimiri, ubi die 12 martii anni 1622 B. Andreas Bobola sacerdos ordinatus est, et Collegium

Pinscense, ex quo Beatus ad labores apostolicos et convertendos schismaticos proficisci solebat.

Cum 17 septembris 1921 dies rediret, quo ante tria saecula Ven. Robertus Bellarminus mortuus est, Universitas Gregoriana eum praetermittere noluit, quin tanti sui doctoris memoriam modeste recoleret. Ob ferias aestivas tamen commemoratio dilata est in diem 3 novembris et coniuncta cum graduum academicorum collatione et praemiorum distributione. Praeter alumnorum multitudinem eorumque Superiores et Universitatis Professores, septem Cardinales actui sollemni in templo S. Ignatii habito interfuerunt, omnes eiusdem Athenaei olim discipuli, si unum excipias (Em. Card. Billot) qui in eo magistrum per multos annos eximie egit. Viginti Universitates Facultatesve catholicae de die saeculari monitae, litteris missis Gregorianae Universitatis laetitiae se adiunxerunt atque etiam legatos quaedam miserunt, inter quas peculiari commemoratione dignae videntur Universitas Lovaniensis, qua in urbe Bellarminus per septennium ministerium sacrum magno cum fructu exercuit, et Facultas Theologica Mediolanensis, cui tunc Magnus Cancellarius praeerat Em. Card. Achilles Ratti, brevi ad summum dignitatis fastigium extollendus. « Il Gran Cancelliere, S. E. il Card. Achille Ratti e i Dottori collegiali, sic illi, con voto unanime si tennero altamente onorati di poter partecipare alla gloria scientifica e religiosa del Teologo insigne che seppe mirabilmente riunire la santità della vita con la profondità del sapere ». Neque congratulationes modo erectae Universitatis Mediolanensis Sacri Cordis defuerunt.

P. Iosephus Domenici (Prov. Rom.), historiae ecclesiasticae in Universitate lector, Bellarminum virum pium et theologum demonstravit; eiusque doctrinae notam traditionalem, personalem, pastoralem exposuit P. Mauritius de la Taille (Prov. Franc.) lector theologiae scholasticae in cursu magisterii.

P. Camillus Crivelli, Praepositus Prov. Mexicanae, Patri Nostro nuntiat in antiqua nostra missione Papigochic in Tarahumaris (Prov. Mex.; nunc locus vocatur Guerrero) adhuc memoriam perstare martyrii P. Cornelii Beudin, Belgae, qui missionem illam a. 1649 instituit ibique d. 4 iun. 1650 barbare necatus est, itemque

P. Iacobi Antonii Basile, Itali, qui eodem loco d. 3 martii 1652 sanguinem pro Christo effudit. Nunc quidem sacerdos saecularis ibi curam animarum habet.

Commemoratur gloriosa mors Martyrum Parisiensium.

Ante 50 annos Parisiis quinque e Nostris simul cum aliis obsidibus ab hominibus seditiosis et impiis occisi sunt: die 24 maii 1871 PP. Alexius Clerc et Leo Ducoudray in carcere la Roquette, die vero 26 eiusdem mensis in loco deserto ad viam Haxo (in paroecia Belleville) PP. Anatolius de Bengy, Ioannes Caubert, Petrus Olivaint. Quos anniversarios dies, paullo maiore sollemnitate celebrare, cum decimum lustrum ex Servorum Dei morte revolveretur, Nostri non omiserunt, quin tamen quidquam permitterent, quod publicum erga Servos Dei cultum saperet. Iam diebus praecedentibus conferentiae de occisis obsidibus habitae sunt atque etiam Missae celebrari potuerunt in Residentiae S. Germani (25, rue de Sèvres) templo, nunc quidem publicato et clauso, ubi corpora martyrum condita sunt.

In ea vero quam villam Obsidum (Villa des Otages; 85, rue Haxo) vocant triduana supplicatione praemissa per totum diem 26 maii SS. Sacramentum expositum mansit fidelium adorationi. Hora 9 Missa sollemnis est cantata, hora 4 contio habita a R. D. Courbe, parocho et canonico parisiensi.

Die dominica proxima, 29 maii, viri qui in Collegio Vallegirardensi (Vaugirard), quod P. Olivaint per aliquot annos rexerat, educati erant, iuvenes circulorum Olivaint et Laënnec, discipuli aliqui Collegiorum nostrorum parisiensium peregrinationem in villam Obsidum instituerunt ad martyrum memoriam colendam. Ibi Missam audierunt et orationem in honorem Patrum; postea vero venerati sunt locum, ubi hi occubuerunt, qui ager martyrum appellatur.

Quod Tertullianus dicit semen esse sanguinem martyrum, hoc quoque loco conspicitur. Nam media in regione, ubi olim imperitabant ignorantia religionis et officiorum christianorum negligentia, sedes est constituta ex qua gratiae uberrimae profluunt. In hunc locum pius quidam sacerdos, qui ipse inter obsides fuerat, puellas aliquas congregavit, quae pueros regionis tunc ethnicorum soboli similiores quam christianorum, doctrina christiana institue-

rent. Hae catechistae iam coeperunt pia peregrinatione nonnunquam petere locum, qui martyrum sanguine conspersus fuerat. Parte fundi coempta piae mulieres in ea stationem posuerunt, ex qua in vicinitatem evangelium efferretur. Ex hoc tempore nomen villae Obsidum loco inhaesit. Denique P. Pitot, Superior Residentiae ad S. Germani, sacellum aperuit, in quo singulis hebdomadis Missam celebrabat. Ea fuit peregrinationis origo.

Tam felici eventu opus modeste coeptum crevit, ut per hos triginta annos circiter 6000 puerorum et 8500 puellae doctrinae christianae elementis imbuerentur. Ne horum laborum fructus tempore et inconstantia perirent, opus quod vocant perseverantiae est institutum et duae sodalitates B. M. V., una pro virginibus, pro iuvenibus altera.

Cum porro non pauci parentes in hac regione baptismum infantium negligerent, peculiaris cura huic rei adhibita est et ex mense martio anni 1897 cum Archiepiscopus eam facultatem faceret, 2835 homines in sacello baptizati sunt, praeterea duodecim haeresim eiurarunt. Per pueros via aperitur ad parentes: hi adeuntur, ut liberos ad catecheseos scholam diligenter venire iubeant, eadem occasione saepe efficitur, ut infantes baptizentur, matrimonia rite celebrentur, sacerdoti via ad aegrotos paretur aliaque multa praestentur officia caritatis, quibus animi Ecclesiae devinciuntur.

Cum anno 1896 conderetur consociatio Matronarum Christianarum, matres familias ea sola lege admittebantur ut matrimonium secundum Ecclesiae leges celebraverint. Paulatim vero id obtentum est, ut Missae die dominica interessent, dein ut paschali tempore communicarent; nunc pleraeque singulis mensibus atque adeo singulis hebdomadis ad sacram mensam accedunt.

Virorum consociationi bellum non parum nocuit. Aliquot tamen fideles remanserunt et semel in mense solent communicare. Denique quotannis sacri secessus communiter instituuntur pro variis fidelium classibus.

Tam assiduis curis atque laboribus fructus praemiumque non defuerunt: 17 vocationes religiosae in terra illa, antea tam arida, effloruerunt et catechistae exstiterunt zelo animarum et Dei gloriae pleni, qui propria commoda saluti proximorum generose postponentes, pueris in tutelam locumque certum coactis (« patronage ») operam suam et tempus liberaliter impendunt ibique in magnis difficultatibus magnos fructus consequuntur.

Duo Nostri, qui ibi laborant, praeter haec omnia, centum iuvenes diligenter selecti in coetum Iuventutis Catholicae coniunxerunt et laboribus suis effecerunt, ut in regione illa sacerdos iam non sit invisus, sed plerumque amice excipiatur et saepe a pueris in via publica salutetur.

II.

DE SINGULIS PROVINCIIS.

Visitatio provinciarum.

Ass. Italiae, Prov. Sicula:	P. Henricus Carvajal (Leg.) 28 dec. 1920-15 iun. 1921.
» Galliae, Prov. Lugdunensis:	P. Aemilius Thibaut (Belg.) 26 oct. 1921–iul 1922.
» Angliae, Prov. Hiberniae:	P. Gulielmus Power (Neo Aurel.) 11 iul. 1921–sept. 1922.
» Americae, Prov. Neo Aurelianensis:	P. Norbertus de Boynes (Franc.) 12 febr. 1921-23 oct. 1921.

Visitatio missionum.

Miss. Mangalorensis (Prov. Ven.):	P. Leo Dupont (Camp.; Miss. Trincomaliensis) 27 ian. 1921-15 aug. 1921.
» Brasiliae Sept.; Cent.; Merid. (Prov. Lus.; Rom.; Germ. S.):	P. Marcellus Renaud (Mex.) 15 iul. 1920.
» Nankinensis (Prov. Franciae):	P. Iosephus Hoeberechts (Neerl.; Miss. Iavensis) 23 dec. 1921-10 oct. 1922.

Studiorum superiorum inquisitio.

P. Augustus Bulot (v. *Mem.* I [1920] 368) invisit a. 1920-1921: Collegia Oniense (Theol. et Phil., Cast.), Comillense Seminarium (Leg.), Granadense (Phil., Tolet.), Sarriense (Theol. et Phil., Arag.) Cheriense (Theol. et Phil., Taur.), Neapolitanum (Theol. et Phil., Neap.), Valkenburgense (Theol. et Phil., Germ. Inf. et Sup.).

Provinciarum administratio.

Nominationes Superiorum maiorum.

Administrationem suscipiunt anno 1921:

29 mart. — R. P. Paulus Chastonay Superior Missionis H. (Prov. Germ. Sup.).

9 maii. — R. P. Ioachimus Vilallonga Missionis Philippinae Superior.

31 maii. — R. P. Carolus Raaijmakers Provinciae Neerlandicae Praepositus.

31 maii. — R. P. Gulielmus Bodkin Provinciae Angliae Praepositus.

3 iun. — R. P. Iosephus B. Kammerer, Superior Missionis Hondurensis Britannicae (Prov. Miss.).

6 iul. — R. P. Ferdinandus Willaert Provinciae Belgicae Praepositus.

31 iulii. — R. P. Patritius F. O'Gorman Viceprovincialis Regionis Novae Angliae (Prov. Marylandiae-Neo Eb.).

7 aug. — R. P. Liborius Rubino Provinciae Siculae Praepositus.

8 sept. — R. P. Bernardus Bley Provinciae Germaniae Inferioris Praepositus.

18 sept. — R. P. Augustinus Bea Provinciae Germaniae Superioris Praepositus.

10 oct. — R. P. Petrus Geny Provinciae Campaniae Praepositus.

12 oct. — R. P. Bernardus Bolle, Vicesuperior Missionis Brasiliae Meridionalis (Prov. Germ. Sup.).

Mutati Provinciarum fines.

Provinciae Germaniae divisio, ex anno 1917 parata, perficitur decreto die 6 ianuario anni 1921 a Patre Generali lato et die 2 februario promulgato. Novae Provinciae, quarum fines decreto exhibentur (*Act. Rom.* III [1921] 350) nomina Germaniae Inferioris et Superioris (a Rheni fluminis cursu) accipiunt. Illa, divisione peracta, 649 Socios in 26 domibus habuit, haec 608 in 28 sedibus. Missiones Danica, Suecica, Iaponica Provinciae Germaniae

Inferiori attribuuntur, Germaniae Superiori Missio Brasiliae Meridianae (1).

Provincia Veneta Viceprovinciae Iugoslaviae cessit Stationem Scopiensem (Skoplje) in Serbia sitam.

Divisio Provinciae Marylandiae-Neo Eboracensis, quae ineunte anno 1921: 1087 Socios in 31 domibus et in Missione Iamaicensi habuit, praeparatur litteris a Patre Nostro 24 iunii datis (*Act. Rom.* III [1921] 362-4), quibus huius Provinciae administratio ita dividitur ut, Provincia una atque integra remanente, domibus in Nova Anglia i. e. in statibus Maine, New Hampshire, Vermont, Massachusetts, Rhode Island, Connecticut sitis, Viceprovincialis praeficiatur, qui sedem suam in urbe Boston figit.

Domus novae, instauratae, dissolutae.

Ass. Italiae. — Provincia Romana, cum villa Carpegna non satis ampla esset et novae domui erigendae temporum difficultates obstarent, tirocinium saltem ad tempus *Tusculum* transtulit in eundemque locum Iuniores quoque revocavit ex Provincia Taurinensi, cuius hospitio et caritate ad hoc usque tempus fruiti erant. — Villa Vecchia, Frascati.

Villa Carpegna autem Exercitiis tradendis destinata, circiter 20 hominibus locum praebet.

Eadem Provincia Romana Collegio *Stratensi* in aedificio finitimo Parvum Societatis Seminarium, S. Ioannis Berchmans sacrum, adnexuit. Cum schola die S. Stanislai aperiretur, novem alumni aderant. Hi in omnibus a convictoribus Collegii separati vivunt; etiam scholas proprias habent.

Ass. Germaniae. — *Monachii* templum S. Michaelis a Bavariae duce Gulielmo V. Nostris exstructum, in quo Patres antiquae Societatis per duo saecula eximio studio et miro animarum fructu laboraverunt, intercessione Em. Cardinalis de Faulhaber a gubernio usui Nostrorum est redditum. Triduo in honorem B. Petri Canisii praemisso, 4 decembri Patres Prov. Germaniae Superioris curam templi sollemniter receperunt. Quinque Patres et duo Fratres prope templum habitant.

In pago *Hoheneichen* prope Saxoniae caput, Dresden, summa

(1) 192 Socii Prov. Germaniae Superioris erant in 17 domibus Missionis Brasiliae Meridionalis.

liberalitate nobilissimae benefactricis Domus Exercitiorum comparata est, quae mutata et novo usui accommodata 20-25 exercitantes recipere poterit. — Erholungsheim Hoheneichen, Hosterwitz, Post Pillnitz, Dresdenerstr. 34 c.

Provincia Germaniae Inferioris hoc anno quattuor novas Stationes in urbibus *Essen* (Sachsenstrasse 13), *Hamburgi* (Hamburg 3, Michaelisstrasse 7), *Wratislaviae* (Breslau 7, Gabitzstrasse 16) et in regione *Warmiensi* (Ermland) disposuit; *Berolini* alteram Residentiam constituit. — Berlin-Charlottenburg, Neue Kantstrasse 2. Postquam summae et omnis fere generis difficultates miro S. Ioseph auxilio superatae sunt, Domus Exercitiorum in *Biesdorf* prope Berolinum tandem usui tradi potuit; circiter 60 cubicula exercitantibus praebet. — Erholungsheim, Fortunaallee 31-37, Biesdorf – Süd bei Berlin.

Die 19 iunii Provincia Hungariae novam Domum Probationis *Erdensem* Novitiis aperuit et S. Stanislao dicavit: 30 Novitii Scholastici et 17 Novitii Coadiutores eam incolunt. — Rendház Érd, Fehérmegye.

Collegium Inchoatum *Quinqueecclesiense* (Pécs) iusti Collegii titulo et iuribus instructum est. Eadem Provincia Hungariae autumno anni 1921 Philosophos suos e Collegio Colocensi in urbem *Szeged* duxit et in Collegio Inchoato S. Ioseph posuit. — Szeged, Kálvária utca 1.

Viceprovincia Iugoslaviae Seminario Archiepiscopali Saraievensi quod in *Travnik* regit, Parvum Seminarium Societatis in nostra villa adiunxit, ita ut pueri scholas quidem Seminarii frequentent, alias vero vitam propriam agant.

Cracoviae templum SS. Cordis Iesu, sumptibus totius populi polonici exstructum, die 29 maii 1921 consecratum est. Adfuerunt Em. Cardinales Dalbor et Kakowski, adfuerunt 24 Poloniae Episcopi, quos frequens atque pia hominum multitudo circumstetit. Ex dissitis quoque regni partibus peregrini accurrerant, ut sollemnibus interessent; iis finis impositus est pompa splendide ducta et tota Polonia denuo SS. Cordi consecrata.

Ass. Hispaniae. — Praepositus Provinciae Aragoniae sedem suam e Collegio Barcinonensi transtulit in novam Residentiam viae *Palau*, quae die 7 augusto 1921 aperta est. De fundatione quae ibi habetur recipienda iam ab ipso S. P. Ignatio tractatum est et adhuc conservatur documentum continens condiciones, sub quibus

Sanctus capellam et domum acceptare volebat. Quod pactum tunc perfici non potuit, nunc conclusum est liberalitate et beneficio nobilissimae familiae comitum de Sobradiel, cui ideo communicatio bonorum spiritualium Societatis concessa est. Domus non quidem ampla locum tamen praebet Curiae Provinciali et aliquot Patribus qui curam parvi templi gerunt. — Barcelona, Paláu, 3. Apartado 143.

Provincia Castellana *Bilbai* die 8 sept. Collegium externorum instituit quod iam primo anno 55 discipuli frequentarunt; anno vero superiore (1920) eadem Provincia *Segobiae* aperuit Residentiam, ut Patres in se susciperent scholae militaris curam spiritualem, quam iis demandatam voluerunt. Praeterea urbs Segobia cara est Societati, quia S. Alphonsum Rodriguez ei dedit; quod beneficium Patres nunc rependere conantur missionibus in illa regione habendis. — Bilbao, 12, C. Particular de Allende (Indauchu); Segovia, Colmenares 1.

Provincia Legionensis in villa Sancti Salvatoris de *Celorio*, quod olim Ordinis S. Benedicti monasterium erat, non tantum magistris Scholasticis variorum Collegiorum paravit amoenum locum, ubi inter ferias aestivas vires religiose reficerent, sed domum ita instituit, ut intra reliquum anni spatium i. e. per 10 menses ad exercitantes recipiendos apta esset; plus 40 homines ibi una colligi poterunt. — Celorio (Llanes), Casa de Ejercicios.

Eadem Provincia novitiatui *Salmanticae* e fundo excitando aream 150.000 m. acquisivit et *Oveti* discipulis externis aperuit collegium, cuius scholas elementares hoc autumno (1921) 50 pueri frequentare coeperunt. — Oviedo, Colegio de S. Ignacio, Quinta Roel.

Patres lusitani tirocinium et iunioratum ex domo S. Hieronymi non longe ab urbe Murcia, ubi ab anno 1915 hospitalitate Provinciae Toletanae gavisi sunt, propius ad fines septemtrionales patriae admoverunt. In pago *Oya* qui propter mare atlanticum situs est, et ab oppido gallaico La Guardia circiter 12 kilometris distat, monasterium olim S. Bernardi monachorum proprium, sed anno 1834 impie publicatum et nunc omnino ruinosum, Nostris oblatum est, quo in 20 annos gratis uti possent. Sane non parva pecunia opus fuit ad reficiendam aedificii maiorem partem, qua Iuniores et Novitii reciperentur. — Monasterio de S. Maria de Oya, La Guardia (Pontevedra), Hispania.

Provinciae Mexicanae hoc anno 1921 alterum Collegium in patria ipsa recuperare licuit *Angelopoli*. — Colegio Católico, Calzada del Agua Azul, Puebla de los Angeles.

In Missione Aequatoriana Provincia Toletana quinque domibus quas ibi habet sextam adiunxit: Residentiam *Esmeraldensem*. Illinc Patres vicos alborum hominum invisere, nigritas longe lateque sub asperis Andium tractibus dispersos conquirere, ethnicosque indianos, qui Cayopae vocantur, adire poterunt. Sic pro Missione orientali ad flumen Napo, ex qua gubernium Ecclesiae infensum Nostros anno 1895 expulerat, modo iam altera in provincia Esmeraldas efflorescit, quae numero neophytorum eorumque docilitate potior, illam longe superatura esse videtur. — Esmeraldas, Apartado 38, Ecuador.

Ass. Angliae. — Provincia Canadensis Domum Exercitiorum *Quebecensem* transtulit in aliud amplius aedificium horto pulchro circumdatum; circiter 30 exercitantes facile excipi possunt. — Villa Manrèse, Québec, Chemin Ste. Foy 80.

Ass. Americae. — Patres Prov. Missourianae ab Archiepiscopo Chicagiensi, RR. DD. Mundelein, in novum archidioeceseos seminarium *St. Mariae ad lacum* vocati sunt ut magistrorum et Patris spiritualis muneribus fungerentur. Tres nostri ibi sunt cum duobus sacerdotibus dioecesanis, quorum alter disciplinae praeficitur, curae rei familiaris alter. Alumni 44 numerantur qui omnes primo anno philosophiae student. — Theological Seminary of St. Mary-of-the-Lake, Area, Illinois.

Collegium S. Francisci Xaverii *Cincinnatense* (Prov. Miss.) in amplioribus aedibus collocatum est, aedificio antiquo soli S. Xaverii academiae (St. Xavier High School) reservato. — S. Xavier College, Evanston Station, Cincinnati, Ohio.

Varii Nuntii ex Provinciis.

Die 25 septembris anni 1921 Provincia Poloniae memoriam celebravit eius diei, quo ante centum annos Domus Probationis Staraviesiensis aperta est. Pater Generalis, qui ipse in domo illa vitae religiosae fundamenta iecit, epistola ad Patres et Fratres staraviesienses die 12 sept. 1921 data, memoriam renovavit gratiarum, quae ex tirocinio per saeculum in singulos Provinciae socios eamque universam profluxerunt atque etiam in externos, quos Patres la-

boribus suis apostolicis iuverunt. Die festo ipso aderant tres Episcopi, Patres qui aliquando Collegium rexerant, Provinciae atque Domus amici et benefactores. Sacrum sollemne in templo nostro ritu pontificali celebravit RR. DD. Nowak, Episcopus Coadiutor Cracoviensis, concionem autem habuit senex venerandus, RR. DD. Ioseph Pelczar, Antistes Premisliensis. Vesperi pompa sollemni ab Episcopis ipsis in coemeterium deducta, ibi benedicta sunt fundamenta sacelli, in quo ossa Nostrorum defunctorum reponentur, inter quos non pauci ex Alba Russia Socii.

Item Collegium Washingtoniense S. Aloisii Gonzagae (Prov. Maryl.-Neo Eb.), apertum die 8 sept. anni 1821, a die 13 usque 17 nov. saecularia sollemnia egit, quibus interfuerunt RR. DD. Ioannes Bonzano, Delegatus Apostolicus, aliique viri summae in Ecclesia et in re publica dignitatis; litterae gratulatoriae allatae sunt a Summo Pontifice, Patre Nostro, Statuum Confoederatorum Praesidente. Horum sollemnium narrationem edidit et simul historiam Collegii iam antea descriptam usque ad diem saecularem deduxit P. Audoënus A. Hill libro saeculari cui titulus: *Gonzaga College. An historal Sketch from its Foundation in* 1821 *to the solemn Celebration of its First Centenary in* 1921, Washington, 1922.

In re publica Aequatoriana Societas tam laetos progressus facit, ut Domus Probationis (Cotocollao) quae ab urbe Quito non multum distat, mense novembri anni 1921 alumnos Parvi Seminarii Societatis 18, Novitios 18, Iuniores 10, Philosophos 12 habuerit.

In Peruvia Nostri grati gaudent aequa illa libertate, qua gubernium scholas liberas nuper donavit. Cum enim rogatio de publica institutione ordinanda a peculiari deputatorum concilio conscripta esset, comitia legislatorum gubernium iusserunt schema illud in quantum necessarium videretur mutare. Cui mandato et iustis bonorum civium petitionibus obsequens, gubernium inter alia hoc induxit: « Articulus 263. Publica auctoritate gaudebunt studia peracta in collegiis (privatis)... quae in docendo sequuntur rationem studiorum et programmata officialia vel quae a gubernio approbata fuerint ». Quo adiuncto collegiis privatis permittitur ut et in institutione primaria et in secundaria sequantur proprium programma, dummodo id a gubernio approbatum sit. Maior pars collegiorum privatorum urbis Limae, innixa ea qua apud gentes maxime cultas studia classica gaudent auctoritate, proposuerunt programma classicum quod sequi intenderent. Postquam aliqua

levioris momenti in eo mutata sunt, Praeses rei publicae et Minister instructionis publicae petitam approbationem concesserunt.

Gratitudine plena Prov. Lusitana de caritate suis a Patribus toletanis exhibita haec rettulit: Difficilibus temporibus Novitios lusitanos, belli causa e Belgio profugientes, hospitio prorsus gratuito receptos per sex annos Murciae in domo S. Hieronymi retinuerant et multis ad vitae usum necessariis partim datis, partim commodatis adiuverant. Cum vero in eo esset ut communitas lusitana iam abiret, Praepositus Provinciae Toletanae accurrens eis gratias egit ob aedificationem omnibus datam eosque magna liberalitate rogavit ut, cum fratres carissimos in aperienda nova probationis domo ob inopiam propriae Provinciae non ea ratione qua cuperent, iuvare valerent, Socii lusitani secum asportarent quidquid linteaminum, instrumentorum aliarumque rerum sibi usui fore videretur; praeterea non parvam partem expensarum itineris in se suscepit ita ut Magister Novitiorum scriberet: « Haec caritatis, amoris benevolentiaeque singularis officia plus meos Novitios docuerunt quam meis possem docere adhortationibus ».

Non praetermittendum hic videtur Provinciam Toletanam etiam septem Provinciae Siculae Scholasticos inter suos Granatae recepisse et simile quid Praeposito Provinciae Austriae obtulisse, qui impedimentis externis tantum retentus hac liberalitate uti non potuit.

Provincia Mexicana, pedetentim in patriam rediens, in urbe Guadalajara, quamquam difficultatibus omnis generis impedita, Collegium inchoavit. Cum vero deessent instrumenta ad physicam et chimiam docendam necessaria neque coëmi possent ob penuriam pecuniae, nihil reliquum esse videbatur quam discipulos, cum in classes superiores ascensuri erant, dimittere. Quam aegre id ferrent Patres nemo non intelligit, qui consideret quot quantisque periculis obnoxia fieret innocentia atque pietas optimorum puerorum, si e nostris ad scholas publicas remitterentur. Tunc advenit in Collegium illud P. Firminus Chanal; qui vir, ingenio et industria plenus, feliciter invenit summae difficultatis solutionem. Cum suis discipulis praecipua instrumenta physica tam ingeniose fabricatus est, ut professores publici, qui ad discipulos examinandos venerunt, ingenti admiratione afficerentur. Pueri vero qui Patre moderante instrumenta suis manibus confecerant, tam peritos illa-

rum disciplinarum in examine se praestiterunt ut examinatores, quorum nonnulli adverso animo in Collegium venerant, ultro faterentur alumnos omnem exspectationem superasse.

Scholastici Iuniores Provinciae Hiberniae hisce annis compluria praemia sunt consecuti quae maxima studentibus ab Universitate Nationali praebentur: ineunte anno academico tres ex illis fruuntur biennio ad studia superiora apud exteras nationes sumptibus publicis peragenda: unus in scientiis physicis, alter in mathematicis, tertius vero in studiis celticis.

Antequam F. Luchini, Prov. Taurinensis Frater Coadiutor, moreretur, P. Provinciali pollicitus est se ut primum in caelum admissus fuisset, alterum pro se arcularium esse missurum. Novem dies ante festum S. Ioseph obiit; duobus diebus post iuvenis arcularius ut in Societatem admitteretur petivit et ipso die festo inter postulantes est adnumeratus. Pater qui filium adduxit: « Hodie, ait, die festo S. Ioseph, Iesu Patris, offero filium meum unicum. Est sacrificium, quia nunc demum familiam adiuvare coepit; sed cum ante decem annos in hac sancta domo Exercitia facerem, intellexi voluntati Dei semper esse parendum, quidquid patiendum est ». Filius ipse quoque mense superiore Exercitia sacra peregerat.

Fr. Henricus Severijns (Prov. Belg.), vir singularis pietatis et caritatis, Societati in munere coqui per 48 annos fideliter servivit. Cum in Residentia Bruxellensi adventu et discessu hospitum frequentium non raro vehementer tentaretur, nunquam officio defuit dicens: « Quo plures, eo melius ». Nunquam quemquam offendit, nunquam minus bene de alio locutus est; senex innumeras coronas recitavit et loquendi iam incapax, moriturus crucifixi imaginem tremebundis strinxit manibus. Die 13 martii a. 1921 in domo Probationis Trunciniensi (Tronchiennes) anno aetatis 86, Societatis 57 pie in Domino mortem obiit.

***

Die 25 februarii anni 1921 mortua est pia mulier Berta Welch, quae cum antea plurima in Nostros Prov. Californiae beneficia contulisset, haec novo eoque praeclaro suae erga Societatem benevolentiae testimonio cumulavit dando pecuniam ad magnam Residentiam in urbe S. Francisci (San Francisco, Cal.) exstruendam. Etenim ex quo tempore abhinc 16 annos templum nostrum S. Ignatii Collegiumque eiusdem urbis terrae motu atque incendio

consumpta sunt, Patres in domo, non una tantum de causa valde incommoda, habitare debuerunt. Nunc autem spes est fore ut mox novum etiam Collegium adiacens ad templum et Residentiam aedificare possit.

***

Medio mense augusti a. 1921 complures incolae Collegii S. Ioannis Berchmans in urbe Belize (Miss. Hondur. Brit.; Prov. Miss.) et Nostri et alumni et familiares correpti sunt morbo quae febris flava dicitur. Die 29 augusti obiit Fr. Coadiutor Carolus Studer; die 12 septembris Fr. Gabriel Bachner, Scholasticus. Nonnulli servi mortui sunt, ex alumnis nemo. In hac calamitate Nostri, totius Provinciae precibus et auxilio adiuti, maiorum fortitudinem et erga peste afflictos caritatem, toties in fastis Societatis celebrem, aemulabantur et etiam medici aliique externi magna caritate erga Nostros utebantur. Quamprimum licuit domos missi sunt omnes pueri qui ex aliis Americae Centralis regionibus erant. Cum periculosissimus morbus ab istarum partium incolis maxime timeatur, multi in Collegium non redierunt, adeo ut de eiusdem futura sorte pene desperandum esse non paucis videretur. At quae est divina bonitas, res ita mutatae sunt ut nunc alumnorum numerus pristinum fere adaequet.

Die 9 nov. 1921 Pater Noster telegramma accepit a Praeposito Prov. Neo Aurelianensis: « Domus Probationis Matisconensis heri combusta est. Macon Ga. » Die 8 novembris — qui erat tertius dies liber inter menstrua Novitiorum Exercitia — cum Scholastici post coenam ad adorandum Sanctissimum se conferrent, nidorem ex adustis pannis sentientes, mox focum in quinta domus contignatione detexerunt. At omnes eorum conatus ignem exstinguendi in cassum ceciderunt neque vigiles urbis, statim advocati, auxilium ferre potuerunt, ita ut totum pulchrum aedificium paucis horis penitus deletum sit. Damnum 200.000 dollariorum aestimaverunt.

Collegii Linciensis (Linz, Austriae) in praedio stabula fulmine tacta una cum horreo et granario deflagraverunt. Mira sane caritate aliae religiosae familiae et populus Nostris statim subvenerunt. RR. DD. Episcopus non rogatus P. Rectori permagnam pe-

cuniae summam dono dedit. Bonus operarius mille coronas de suo obtulit et paulo post denuo mille attulit, quas apud socios operis collegit, atque ancillula quaedam, cum opinaretur Patres fame vexari, cum lacrimis P. Rectori 200 coronas obtrudit.

Spiritus et ascesis Societatis libris populariter scriptis in Hispania illustratur.

Patres aliqui hispanici coeperunt edere: *Biblioteca Manual sobre la Compañia de Jesús.* Cum *Monumenta Historica Societatis Iesu* usui virorum doctorum potissimum inserviant et tantum fontes historicos exhibeant, haec nova collectio, quamquam ipsa quoque summa cura et diligentia edita, tamen omnibus indiscriminatim destinatur, quorum interest Societatem et eius spiritum et ascesim recte cognoscere. Praeter documenta historica, quae primam collectionis seriem constituent, altera serie edentur lucubrationes etiam recentes de Societate et eius operibus virisque illustribus.

Volumina omnia, lingua hispanica conscripta, erunt formae 8ae, bene ornata, pretii mediocris, quod sane pro vario paginarum numero ipsum quoque varium erit. Ordo et tempus editionis non statuitur certus. Venditioni proponuntur libri a bibliopola barcinonensi Raphaele Casulleras.

Peculiari cura id intendetur, ut libri proferendi materia et modo tractandi lectoribus utiles existant ad progressus in spiritu faciendos et simul attrahant atque delectent animos eorum praesertim, qui in vita spirituali rationem Societatis propriam sequi cupiunt.

Adhuc apparuerunt huius bibliothecae seriei 1ae (textus) tomus primus et secundus: *San Ignacio de Loyola, Autobiografia y Constitución canónica de la Compañia de Jesús. Edición y traducción en parte del latin y del italiano con introducciones y notas de José M. March, Sacerdote de la misma Compañia,*1920, XVI-98; 2 pesetis.

Memorial Espiritual del Beato Padre Pedro Fabro de la Compañia de Jesús segun el texto antiguo castellano y la continuación traducida del latin por el P. José M. Velez revisado y publicado por el P. José M. March, ambos de la misma Compañia, 1922, XVI-224; 3 pesetis.

Cultus SS. Cordis Iesu.

De insigni studio, quo Nostri, suavissimo mandato Domini Nostri obsecuti, cultum erga SS. Cor dilatare altiusque in fidelium animis inserere ubique conantur, pauca aliqua nobis nuntiata. hic coniuncta exhibemus.

Zagrabiae (Zagreb, Viceprov. Iugoslaviae) diei festo SS. Cordis praemiserunt novenam, qua animi contione quotidiana pararentur. et vigilia (fer. V) viri nostrarum Congregationum B. M. V. adorationem nocturnam instituerunt: primi adoratores fuerunt Congregationis sacerdotalis socii, qui summa aedificatione populi omnes simul ab hora 9 usque ad 10 hoc amoris et satisfactionis officium inchoarunt. Dominica proxima curribus viae ferratae ordinariis specialibusque circiter 6000 peregrini advenerunt et saltem 10.000 hominum sollemni pompae interfuerunt.

Angiense Collegium (Enghien, Prov. Camp.) multiplici modo promovit splendorem sollemnitatis SS. Cordis in eiusdem loci paroecia. Per triduum praevium unus e lectoribus theologiae viros allocutus est et quinque Scholastici horis vel locis diversis adhortati sunt adolescentes, pueros, mulieres. Ipso die festo Communiones numeratae sunt ad 1400, cum aliis praecipuis anni festis diebus circiter 800 distribui soleant. Vesperi hora 8 post contionem deductus est longus ordo 300 puerorum, qui agebant sive devotionis erga SS. Cor heroes sive belgicae historiae varias illustres personas. Deinde Scholasticus e suggestu recitavit invocationes, ad quas omnes uno ore responderunt, ita ut imago quaedam haberetur sollemnitatum, quae in monte Martyrum parisiensi vel ad Dominam Nostram Lapurdensem peraguntur.

***

De prima mensis feria VI referunt ex Residentia Ituensi (Miss. Bras. Centr.; Prov. Rom.) haec: Inter devotiones quibus Nostri pietatem fidelium fovere student, eminet cultus SS. Cordis Iesu. Prima mensis feria VI mane Missa et Communione generali, vesperi vero explanatione intentionis menstruae et eucharistica benedictione magno populi concursu celebratur. Expositio SS. Sacramenti per totum diem in proximam dominicam differtur ut plures fideles adorare possint, et etiam contione atque benedictione concluditur. Hora vero sancta ab ipso Domino commendata

reliquis feriis VI cum Via Crucis et SS. Sacramenti benedictione agitur.

In templo nostro quitensi (Quito, Miss. Aequ.; Prov. Tolet.) prima mensis feria VI non pauciores quam 2000 Communionum habentur.

Ex missione inter Indianos Odjibweg (Prov. Can.) P. Eug. Papineau scribit: « Devotionem primae feriae VI abhinc duodecim annos in stationibus meis per vices instituo. Sat multi viri ex variis campis pedites ad ecclesiam suam se conferunt, itinera decem vel quindecim vel viginti leucarum non reformidantes, ut Communionem prima feria VI accipere possint. Idem faciunt tam hieme quam aestate, quotiescumque missionarius " Reservationem " visitat. Hae Communiones omnino mirum fructum in Indianorum nostrorum animis efficiunt ». Hinc idem Pater adicere potest: « Maior pars Odjibwegensium sanctam matrem Ecclesiam vere amat eiusque mandata fideliter observat atque ab ea plus quam albae nationes videntur iuvari eo, quod multo plus quam hae ad quaedam scelera proni sunt. Fides catholica silvicolas in moderatione quadam continet; praesertim ne abutantur « aqua vitae » (igneam eam vocant aquam) ad quam bibendam vehementissime inclinantur ».

***

In Hungaria ad cultum SS. Cordis augendum « Consociatio SS. Cordis » plurimum confert. Curat familiarum consecrationem; aestate ex variis dioecesibus sacerdotes, magistros, moniales convocavit ut per hebdomadam quam « SS. Cordis hebdomadam » appellarunt, partim triduo Exercitiorum excolerentur, partim de promovendo cultu SS. Cordis conferentiis edocerentur. Frequens evasit in universo regno puerorum coetus « Sziv-Gárda » (SS. Cordis cohortes) quae nunc 88 « praesidia » numerat puerorumque 15.000 congregavit, ut colendo SS. Corde morum puritatem securius sibi servarent aliosque a vitio defenderent.

Strenue adlaborant Patres nostri murcienses (Prov. Tolet.), ut statua ingens Sacratissimi Cordis in summo colle qui planitiei murciensi imminet erigatur, loco quidem excelso et ruinis mauri castelli conspicuo. Cum propter asperitatem clivi lapides iam sculpti non sine magnis sumptibus evehi potuissent, haec ratio a nostris sodalibus marianis inventa est, ut sollemnitas quam vocant « saxi » cele-

braretur. Statuto die pia sollemnisque pompa ad radicem collis, explicatis signis ac vexillis Congregationum piarum, deducitur; sacrum medio campo celebratur; quibus peractis, humeris accipit unusquisque sive solus sive ab amicis adiutus, saxum iam paratum quod ad summum montem efferre nititur. Pluries iam ad hoc pium opus conventum est.

P. Henricus Perroy (Monsieur l'Abbé H. Perroy, 19 Quai Tilsitt, Lyon) qui antea insignibus SS. Cordis distribuendis operam dedit, laboris ambitu amplificato, de omnibus iam informationes praebet quae ad cultum SS. Cordis spectant: de libris editis, de imaginibus divulgatis, de statuis, de reproductionibus ad strictas leges artis factis vel ad populi usum destinatis; edocet eos quorum interest de consociationibus variis in honorem SS. Cordis institutis et de omnibus quae ad cultum historiamque S. Margaritae Mariae Alacoque et Ven. Claudii de la Colombière pertinent. Ad hoc usque tempus distribuit 14.000.000 insignium SS. Cordis, 35.000 vexillorum cum SS. Corde, 15.000 vexillorum ad templa ornanda, 700.000 minorum vexillorum, quibus milites uti soliti erant.

Apostolatus Orationis.

Inter ministeria sacra Prov. Belgicae, quae divina Bonitas speciali benedictione hisce ultimis annis prosecuta est, annumerandi sunt « Coetus Sacratissimi Cordis », vulgo dicti « Bonden van het H. Hart », qui in permultis Belgii paroeciis, praesertim vero in magna dioecesi mechliniensi, erecti sunt.

Hae piae consociationes e nostra domo Exercitiorum Lyrana originem ducunt; suntque nihil aliud nisi Apostolatus Orationis cum suis tribus gradibus, qui omnibus viris et iuvenibus saltem quattuordecim annos natis proponitur. Ope eorum qui Exercitia in domo Lyrana peregerunt, conati sunt Patres hos coetus SS. Cordis tam in pagis quam in urbibus propagare. Exercitantes vel alii ferventiores paroeciarum incolae partes agunt zelatorum Apostolatus Orationis. Hi statuto mensis die cum sacerdote moderatore conveniunt et in hoc opere spirituali veri auxiliatores laici vocantur et sunt. Singulis etiam mensibus die dominica quadam ad sacram Communionem accedunt omnes socii, segregati a ceteris fidelibus, in Missa Communionis quae cum brevi allo-

cutione tres horae quadrantes vix excedit. Hymnis sacris, quos inter Missam decantant, homines nostri reliquis fidelibus non parvae aedificationi sunt.

Hae consociationes ad respectum humanum frangendum multum contulerunt; hoc modo etiam vita christiana statusque gratiae multorum firmata sunt.

Addi tandem potest aliud pietatis atque religionis adminiculum, quod ope coetuum Sacratissimi Cordis multis paroeciis collatum est. Experientia constitit permultis locis, ruri praesertim, presbyteros locales per se solos impares esse, qui facile omnes confessiones sociorum foederis exciperent, immo et sacram Communionem commode porrigerent. Inde multis locis fauste contigit ut advocaretur confessarius extraneus. Quovis mense igitur datur copia confessarii extraordinarii et hac ratione numerus confitentium augetur et coetus Sacratissimi Cordis aequo passu firmantur.

Statistica Communionum in coetibus SS. Cordis non facile dari potest; in omnibus fere paroeciis flandricis dioecesis mechliniensis ad sacram synaxim accedunt singulis mensibus abhinc circiter decem annos centum viri et iuvenes, immo et saepe multo plures. Domus nostra Lyrana 75.000 menstruas pagellas Apostolatus Orationis distribuit. Prudenter conici potest his 75.000 pagellarum fere 35.000 virorum ad s. Communionem singulis mensibus adduci.

Anno 1921 in Italia constituta sunt 639 centra Apostolatus Orationis; in urbe Roma sola nunc 69 habentur. Pagellae menstruae eodem anno per universam Italiam ad 900.000 distributae sunt.

Provincia Poloniae celebravit memoriam Apostolatus Orationis ante decem lustra illuc inductum, cum novum templum, totius populi polonici sumptibus Cracoviae exstructum, SS. Cordi consecravit (cf. p. 542).

In Hibernia quotannis circiter 45.000 hominum Apostolatui Orationis adiunguntur.

Pater quidam Residentiae Leonensis (León., Prov. Mex.) omni ope nititur Apostolatum Orationis inter istius urbis viros in pristinum statum restituere. Iam numerantur 2600 socii quorum maior pars sutores sunt atque coriarii; viget enim in civitate illa ars sutoria.

Ex Residentia Santensi (Santos; Miss. Bras. Sept.) haec refe-

runt: Primum locum tenet inter ministeria huius Residentiae Apostolatus Orationis. Haec ratio colendi Sacratissimum Cor Iesu quae summo animarum bono per totam Brasiliam mirabiliter diffunditur, hic quoque ingentes fructus salutis attulit. Centrum huius devotionis est templum nostrum Sacro Cordi Iesu dicatum et nuper pictoris opera splendide exornatum. Lamentabilis sane erat religionis status, praesertim inter viros, cum Nostri urbem santensem, commercio et terrenis rebus plane deditam, ingressi sunt. Pauci admodum praecepto annuae confessionis et Communionis satisfaciebant. Apostolatu Orationis et Patrum studio civitas mutata est. Prima feria sexta mensis, pia virorum et mulierum multitudo ad sacram synaxim accedit: viri primarii, zelatorum numismate insigniti, cereos in manibus deferentes, sanctissimum Sacramentum in throno expositum reverenter adorant. Mensis iunius integer cultui SS. Cordis Iesu quotidiana SS. Sacramenti benedictione et contione consecratur.

Per Nuntium SS. Cordis Prov. Marylandiae-Neo Eb. a. 1921: 249 nova Centra Apostolatus Orationis instituta sunt et plus 24.000.000 pagellarum menstruarum inter socios et 6301 diplomata inter promotores distributa. Experientia constat Apostolatum Orationis et devotionem erga SS. Cor magnum incrementum accepisse triduis (21 numero) ad eadem propaganda a Patre quodam habitis.

Ex anno 1912 ad annum 1921 ferme 1.000.000 familiarum SS. Cordi consecratae sunt. Nuntius SS. Cordis a Patribus Prov. Marylandiae-Neo Eb. editus plus quam 300.000 subscriptorum habet idque his temporibus, quorum difficultates periodica omnia male persentiunt.

Miro modo in Canada cultus SS. Cordis et Apostolatus Orationis ad pacem socialem servandam confert. Cum Episcopi ipsi litteris pastoralibus et parochi contionibus fideles saepe instruant de iuribus et obligationibus patronorum et opificum, Patres Societatis in hoc munere utrosque edocendi suam partem exercent per libellos atque periodica nostra et per lucubrationes in ephemeridibus catholicis editas et per Exercitia S. P. Ignatii tradita. Attamen instrumentum praecipuum, quo Nostri utuntur ad viros edocendos vera principia catholica in rebus socialibus atque ad eos permovendos ut his doctrinis in vita sua et labore regantur, sunt « Coetus virorum SS. Cordis » i. e. aliis verbis Apostolatus

Orationis ad cuius exercitia adiungitur actio apostolica; Apostolatum Orationis ad virorum indolem et terrae illius nostrorumque temporum necessitates peculiari ratione accommodant.

Ad hunc SS. Cordis Coetum ubique erigendum deputatur unus e missionariis excurrentibus qui in paroeciis urbium, ubi Nostri Exercitia tradunt, praecipuos cives Coetui ascribere studet eosque seorsum a ceteris edocet de obligationibus patronorum atque opificum et praesertim de gravi necessitate his in difficillimis temporibus adhaerendi directionibus S. Matris Ecclesiae, quae sola veram solutionem problematum socialium affert.

Iam vero dici potest Apostolatum Orationis et praesertim « Coetus SS. Cordis pro viris » fere in omnibus paroeciis quasi seminarium fuisse, ex quo variae aliae consociationes et coetus catholici originem habuerunt viresque adhuc hauriunt ad actionem vere catholicam efficiendam et, si hodie forsan nullibi in mundo inveniatur tanta tranquillitas ac in regionibus industrialibus canadensibus, id praeter zelum Episcoporum et parochorum etiam modesto quidem, sed efficaci labori Coetuum SS. Cordis tribuendum esse videtur.

Congregationes Marianae.

Congressus Chilensis.

Inter ea quae Congregationes Marianae hoc anno (1921) memoranda perfecerunt, sane eminet Primus Congressus Panamericanus Congregationum B. M. V., a die 8 usque ad 12 septembris in urbe S. Iacobi (Santiago de Chile) celebratus. Huius conventus auctor fuit Congregatio Maior, in Collegio nostro S. Ignatii eiusdem urbis instituta, quae Moderatore P. Francisco Correa (Prov. Arg.-Chil.) omni pietate et studio apostolico florens opera sua coronavit convocato et praeparato Congressu Congregationum.

Nam ut obtineretur exitus faustissimus quem conventus habuit, opus erat longa, actuosa accurataque praeparatione duorum fere annorum, sive scriptis sive habitis conventibus in provinciarum praecipuis urbibus; eas magna ex parte in hunc finem perlustravit Congregationis Iacobopolitani Collegii praeses, D. Alfredus Barros Errázuriz, egregius advocatus, rei publicae Senator, et, quod caput est, optimus catholicus verusque Sodalis Marianus.

Hinc factum est ut, quae languentes forte exstabant Congregationes, reviviscerent ac novae quamplures (fere 110) virorum exsurgerent, ita ut tempore Congressus adventante, magnus in tota re publica esset ardor nec levis exspectatio. Ex aliis etiam nationibus Americae Latinae fere omnibus adhaesiones pervenerunt cum Episcoporum, tum etiam Congregationum Marianarum. Delegati etiam nominati sunt, qui Congressui adsisterent, sive ex connationalibus hic commorantibus, sive etiam qui ex professo huc se conferrent. Hi tamen postremi fere omnes, instante die, variis de causis impediti sunt, quominus longo ac difficili itineri se committerent.

Initium cepit Congressus die Nativitatis B. M. V., celebrato sacro sollemni in Ecclesia Cathedrali ab Exc. Nuntio Apostolico, intra quod orationem sacram de Marianis Congregationibus earumque spiritu dixit Ill. Episcopus Ancudiensis, RR. DD. Antonius Castro, octo adstantibus Episcopis et ministrante Capitulo Cathedrali, magno Sodalium ac populi concursu. Vespere hora 5, prima Congressus publica ac sollemnis sessio habita est in aula theatri Patrum de Sacris Cordibus (Picpus) magna hominum frequentia. Initium, paucis prolatis verbis, fecit ipse Archiepiscopus Iacobopolitanus RR. DD. Crescens Errázuriz, eumque secuti sunt opportunis allocutionibus: 1° laudatus Congregationis et Congressus Praeses, qui optime ac fervide disseruit de fine et significatione Congressus; 2° Brasiliae negotiorum Gestor apud Chilense Gubernium simulque Congregationum Marianarum brasiliensium Delegatus, qui praeclara atque intima protulit de brasiliensibus Congregationibus Marianis deque meritis Patrum Societatis Iesu in Brasiliam; 3° Delegatus Argentinus a Congregatione Collegii Bonaërensis missus, qui egregie etiam dixit de spiritu pietatis ac caritatis Congregationum, iuvenum praesertim, in re publica Argentina; 4° tandem Ill. Episcopus Conceptionensis, RR. DD. Gilbertus Fuenzalida, oratione unctionis plena ostendit vitam interiorem ac supernaturalem animam esse ac secretum successus in Congregationibus Marianis. Quae omnia cum musica gravi et cantibus gratissima sine dubio fuere Virgini Matri, cuius imago eminebat in proscenio, sicuti certe placuerunt adstantibus omnibus.

Diebus 9 et 10 integrae sessiones mane ac vespere consumptae sunt in studio ac discussione thematum praestitutorum atque

scriptorum opportune missorum. Singulis sessionibus praefuerunt Episcopi, adstantibus semper saltem ducentis delegatis ex omnibus rei publicae provinciis. Res omnes, praeside praelaudato senatore D. F. Errázuriz, miro ordine, studio, fervore, magna gravitate, opportunitate sunt agitatae. Mira etiam consensione in ultimo consessu die 11 habito conclusiones propositae atque approbatae sunt, adstantibus compluribus Episcopis. Spiritus vere marianus viguit in hoc Primo Congressu Panamericano Congregationum B. M. V., maxime in sessionibus particularibus, in quibus omnis fere vis ac utilitas conventus constabat.

Die 11 Communio Generalis congregatorum celebrata est in nostro templo, intra sacrum ab Episcopo Gerenensi litatum. Verba fecit Ill. DD. Prudentius Contardo, Temucensis Gubernator ecclesiasticus, et sacram synaxim tres Episcopi viris sodalibus distribuerunt.

Foederatio quoque omnium Congregationum Marianarum in chilensi re publica existentium constituta est, magno omnium plausu, in speciali sessione huic negotio destinata et decretum ut secundus Congressus Panamericanus Congregationum sub finem anni 1923 in urbe Buenos Aires celebraretur.

Praeterea ex optimis B. V. Mariae picturis, quae Iacobopoli repertae sunt, magnifica adornata est expositio in ampla bibliotheca Universitatis Catholicae.

Fundamenta quoque his diebus iacta sunt sacelli exstruendi in Congressus Mariani memoriam, prope magnam Virginis Immaculatae statuam, quae eminet in cacumine montis dicti Cerro de San Cristóbal, quaeque totam urbem et regionem dominatur, nocte praesertim splendida luce coruscans.

Tandem die 12, vespere h. 5, iterum in theatro PP. de SS. Cordibus habita est sollemnis sessio finalis maiore etiam frequentia, adstantibus Nuntio Apostolico aliisque octo Episcopis, delegatis, etc. Optimis musices ac cantus numeris permixtas suas dixerunt allocutiones: 1° Delegatus Valdivianus nomine delegatorum e provinciis rei publicae; 2° P. Provincialis Provinciae Argentino-Chilensis nomine Societatis Iesu, Matris Congregationum Marianarum; 3° Delegatus e Republica Colombiana, qui optimum recitavit poëma Marianum a se hac occasione compositum; 4° Ill. Episcopus Auxiliaris Iacobopolitanae Archidioecesis Praesesque Actionis Socialis Catholicae, qui de actione Sodalium Marianorum disseruit et

nalem Congregationum hispanarum, de qua supra (p. 559) sermo erat, probaverunt statueruntque ut proximo anno conventus Sodalium in honorem S. Ignatii Manresam convocaretur.

Incrementum Congregationum et opera.

Quanto Congregationes hoc anno numero creverint, statistica in tertia parte adiungi solita exhibet. Aliqua tamen particularia hic notanda videntur. Viennae in Austria, postquam Congregationes temporibus antiquae Societatis florentes paullatim interierunt, anno 1857 demum prima mulierum Congregatio denuo erecta est in templo nostro, biennio post prima virorum Congregatio in eodem templo. Per multos annos hae Sodalitates solae manserunt; ab anno 1870-80: 5; 1880-1900: 35 novae erectae sunt. 1910 numerabantur in urbe 113 et mense ianuario 1922: 355 Congregationes (156 virorum, 199 mulierum), e quibus Patres Societatis 31 in nostris, 36 in alienis templis sacellisve moderantur. Plurimum ad hoc laetum augmentum obtinendum contulerunt quinque periodica a Nostris Viennae edita et variis Sodalium classibus destinata, quae anno 1921 fere 70.000 subscriptorum habuerunt.

In Belgio Sodalitas Studentium Lovaniensium optima fama gaudet; ad eius exemplum instaurata est Sodalitas Leodiensis (Liége); imo, auctore RR. DD. Episcopo Gandavensi, Patri Collegii Gandavensis commissa est cura moderandi duas hoc anno ibi erectas Congregationes studentium, alteram gallicam, alteram flandricam.

Pragae (Viceprov. Cechoslov.) Nostri, ut Sodalitates efficacius iuvarent, ad S. Ignatii, ubi periodicum Congregationum editur, secretariatum iisdem instituerunt.

In Brasiliae urbe Pará Patres lusitani ad eundem finem mense ianuario huius anni periodicum *Legionario de Maria* divulgare coeperunt, quod omnium plausus meruit.

Spiritum antiquum in Sodalibus etiam nunc vigere, paucis exemplis adducendis videre non ingratum erit.

Sodales Paraenses (Bras. Sept.) ad 2000 visitationes aegrotorum et leprosorum peregerunt, unde factum est, ut raro aliquis sine sacramentis moreretur. Alia Congregationis sectio bonos libros et ephemerides detentis in carceribus atque pauperibus

distribuit, alia pueros puellasque in miserrimis urbis regionibus incredibili patientia colligit et doctrina christiana instituit. Eos ad primam Communionem praeparat et non parvis sumptibus donat vestibus ut decenter ad s. mensam accedere possint.

Item Mexicopoli Congregationes, quae a Patribus nostris reguntur, singulari studio parvulos catechismum docent: 250 virgines sustinent plurima centra catechistica atque etiam curant ea prope scholas publicas et laicas statuenda: cum parvuli ex ludis exeunt, eos statim ad doctrinam christianam audiendam alliciunt; 300 iuvenes idem praestant et 150 Sodales matrimonio iuncti catechismum docent in suburbiis. Pragae (Cechoslov.) quoque, Congregatione ludimagistrarum duce, Sodales virgines parvulos bis terve in hebdomada docent.

Cum Sodalitates in templo nostro S. Francisci Xaverii dublinensi (Prov. Hib.) erectae quinquagesimum ab exordiis annum celebrarent, 2500 homines simul ad s. Communionem accesserunt; Monachii (Prov. Germ. Sup.) illustris Congregationis virorum, quae a Patribus antiquae Societatis erecta, ad haec usque tempora perdurans denuo a Nostris regitur, 16 sectiones, in variis urbis paroeciis constitutae, prima mensis dominica miro virorum confluxu in nostrum templum S. Michaelis ad Communionem generalem conveniunt.

Congregatio Academica Bahiae (Miss. Bras. Sept.) anno 1916 a Nostris pro alumnis cursuum superiorum medicinae, polytechnicae, iuris publici erecta, omnium exspectationem superans ita crevit numero et spiritu, ut fructus uberrimos proferat. Ei iam adscripti sunt 104 optimi iuvenes, quorum multi cotidie pane angelorum reficiuntur; magno exemplo sunt non solum collegis, sed etiam professoribus et toti civitati. Tanta modestia procedunt, ut iis praesentibus nemo turpiloquia proferre aut quidquam contra bonos mores agere audeat. Multi tempore vacationum maximo sane sacrificio in domum nostram se recipiunt ad Exercitia peragenda. Eorum tres, iuvenes optimo ingenio et indole, quasi primitiae Congregationis, novitiatum Provinciae Lusitanae, in Hispania ad S. Mariae de Oya situm, petierunt. Alii curriculo studiorum emenso laureaque doctoratus adepta, per diversos Brasilienses Status dispersi, ut suae professionis artem exerceant, mirum quantum Dei gloriam animarumque salutem et verbis et exemplo, maxime per sacram synaxim frequenter susceptam, promovent.

ratore generali et Consiliorum regionalium Moderatoribus. Singulae Congregationes in suis rebus sui iuris manent; Consiliorum regionalium et centralis est in suo quodque districtu vigilare ut Congregationes ad mentem regularum procedant et, omni qua ratione possunt, promovere Congregationum augmentum. Ad commercium inter centrum partesque fovendum instituitur Secretariatus generalis; foederis periodicum officiale declaratur *La Estrella del Mar*; commendatur Consiliis regionalibus ut sua periodica vel pagellas edant, quibus res districtuum propriae tractentur. Expensae foederis solvuntur liberis Congregationum subsidiis. (*La Estrella del Mar*, II, 1921, 442-444, 446, 450-451, 454-455).

In Bavaria 41 Congregationes discipulorum scholarum mediarum (omnes praeter tres) cum 2347 Sodalibus et 638 candidatis in foedus coierunt. Tempore Paschatis anni 1920 et mense iulio anni 1921 in urbem Eichstätt congressum convocarunt, ex quo vigor harum Congregationum et adolescentium erga B. M. V. pietas magnum cepit incrementum.

Item in Polonia iam ante aliquot annos Congregationes B. M. V. discipulorum scholarum mediarum confoederationem inierunt, quae in dies crescit: anno 1922 erant 61 Congregationes cum 3183 Sodalibus. Foederi bavarico praeest Pater ex Ordine Capuccinorum, polonicum gubernant tres sacerdotes saeculares.

Eadem ratione etiam in Austria, Cechoslovachia, Germania multa Congregationum foedera sive per provinciam aliquam vel per dioeceses extensa sive maiore urbe contenta habentur, quibus ut plurimum sacerdotes externi praesunt, quia Congregationum externarum numerus nostrarum valde superat; Nostri autem sincero studio ad commune bonum contribuendi et B. M. V. Congregationes augendi, sive periodicis editis, sive aliis ministeriis ut contionibus, Exercitiis Spiritualibus, Secretariatu Congregationum instituto, multum valent ad genuinum Congregationis spiritum in iis retinendum.

Plurimum ad ardorem in Sodalium animis excitandum et conservandum Congressus Sodalium conferunt, dummodo diligenter praeparati sint. Rei publicae cechoslovacae Sodales diebus 14 et 15 augusti convenerunt in urbem Brünn, quod Moraviae caput est. Archiepiscopus Olomucensis et alii duo Episcopi a 5000

Congreganistarum acclamati sunt et res summi momenti tractatae ad vitam catholicam augendam in terris istis, hostium aggressionibus praecipue obnoxiis. Eodem tempore in urbe episcopali Leitmeritz (Bohemiae) ad 2000 Sodalium germanorum consilia contulerunt, quomodo B. M. V. cultum eoque christianas virtutes promovere possent. Sed hoc non contenti, Moderatores aliis temporibus Sodales eiusdem dioeceseos in quinque districtus distributos coegerunt; qui minores conventus commoda propria afferunt, quia in iisdem res locales maiore cum libertate agitare licet et hac ratione etiam Congressus maiores securius atque utilius praeparantur.

3000 Sodalium Austriae Superioris initio mensis maii Lincium (Linz) congregati, contra terrorem a socialistis et communistis exercitum, contra lasciviam vestibus choreisque propagatam insurrexerunt et concilium actioni catholicae promovendae instituerunt. Hoc concilium laborum suorum initium fecit institutis Exercitiis Spiritualibus pro opificibus in Collegio nostro Linciensi. In Styria quoque et in urbe Salzburg et in Tiroli conventus habiti sunt; in hac provincia 50 Moderatores una cum Episcopo ipso de rebus Congregationum consuluerunt.

In Germania Congressus Sodalium in urbe Meppen (Hannover), in Saarbrücken, Friburgi (Freiburg) habitae sunt. In Bavaria Bamberga 2000 Sodalium excepit; ludimagistrae 300 in urbem Landshut aliaeque mulierum Congregationes Erding convenerunt.

Sodales Mariani Neerlandiae diebus 14 et 15 augusti (a. 1921) Traiectum ad Mosam (Maastricht) petiverunt eorumque Praesides 110 ibidem proximo die suum conventum egerunt (1), ut de variis rebus consilia conferrent: quomodo vestium licentia coerceri posset; ut si qua in urbe plures Congregationes essent, foedus inirent et labores coniungerent, in quantum id prudenter fieri posset et rebus permitteretur; ne Sodales accessu suo augerent eas consociationes ludis promovendis institutas, quae socios sine ullo ad religionem respectu admittunt.

Cataloniae et Balearium insularum Congregationes 50 in urbem Vich 2500 socios deputarunt; incredibili laetitia hi ab urbis incolis et magistratibus ipsis recepti inter alia Confoederationem natio-

(1) Septimum, cum Congressus Sodalium secundus fuisset huius generis in Hollandia.

nalem Congregationum hispanarum, de qua supra (p. 559) sermo erat, probaverunt statueruntque ut proximo anno conventus Sodalium in honorem S. Ignatii Manresam convocaretur.

Incrementum Congregationum et opera.

Quanto Congregationes hoc anno numero creverint, statistica in tertia parte adiungi solita exhibet. Aliqua tamen particularia hic notanda videntur. Viennae in Austria, postquam Congregationes temporibus antiquae Societatis florentes paullatim interierunt, anno 1857 demum prima mulierum Congregatio denuo erecta est in templo nostro, biennio post prima virorum Congregatio in eodem templo. Per multos annos hae Sodalitates solae manserunt; ab anno 1870-80: 5; 1880-1900: 35 novae erectae sunt. 1910 numerabantur in urbe 113 et mense ianuario 1922: 355 Congregationes (156 virorum, 199 mulierum), e quibus Patres Societatis 31 in nostris, 36 in alienis templis sacellisve moderantur. Plurimum ad hoc laetum augmentum obtinendum contulerunt quinque periodica a Nostris Viennae edita et variis Sodalium classibus destinata, quae anno 1921 fere 70.000 subscriptorum habuerunt.

In Belgio Sodalitas Studentium Lovaniensium optima fama gaudet; ad eius exemplum instaurata est Sodalitas Leodiensis (Liége); imo, auctore RR. DD. Episcopo Gandavensi, Patri Collegii Gandavensis commissa est cura moderandi duas hoc anno ibi erectas Congregationes studentium, alteram gallicam, alteram flandricam.

Pragae (Viceprov. Cechoslov.) Nostri, ut Sodalitates efficacius iuvarent, ad S. Ignatii, ubi periodicum Congregationum editur, secretariatum iisdem instituerunt.

In Brasiliae urbe Pará Patres lusitani ad eundem finem mense ianuario huius anni periodicum *Legionario de Maria* divulgare coeperunt, quod omnium plausus meruit.

Spiritum antiquum in Sodalibus etiam nunc vigere, paucis exemplis adducendis videre non ingratum erit.

Sodales Paraenses (Bras. Sept.) ad 2000 visitationes aegrotorum et leprosorum peregerunt, unde factum est, ut raro aliquis sine sacramentis moreretur. Alia Congregationis sectio bonos libros et ephemerides detentis in carceribus atque pauperibus

distribuit, alia pueros puellasque in miserrimis urbis regionibus incredibili patientia colligit et doctrina christiana instituit. Eos ad primam Communionem praeparat et non parvis sumptibus donat vestibus ut decenter ad s. mensam accedere possint.

Item Mexicopoli Congregationes, quae a Patribus nostris reguntur, singulari studio parvulos catechismum docent: 250 virgines sustinent plurima centra catechistica atque etiam curant ea prope scholas publicas et laicas statuenda: cum parvuli ex ludis exeunt, eos statim ad doctrinam christianam audiendam alliciunt; 300 iuvenes idem praestant et 150 Sodales matrimonio iuncti catechismum docent in suburbiis. Pragae (Cechoslov.) quoque, Congregatione ludimagistrarum duce, Sodales virgines parvulos bis terve in hebdomada docent.

Cum Sodalitates in templo nostro S. Francisci Xaverii dublinensi (Prov. Hib.) erectae quinquagesimum ab exordiis annum celebrarent, 2500 homines simul ad s. Communionem accesserunt; Monachii (Prov. Germ. Sup.) illustris Congregationis virorum, quae a Patribus antiquae Societatis erecta, ad haec usque tempora perdurans denuo a Nostris regitur, 16 sectiones, in variis urbis paroeciis constitutae, prima mensis dominica miro virorum confluxu in nostrum templum S. Michaelis ad Communionem generalem conveniunt.

Congregatio Academica Bahiae (Miss. Bras. Sept.) anno 1916 a Nostris pro alumnis cursuum superiorum medicinae, polytechnicae, iuris publici erecta, omnium exspectationem superans ita crevit numero et spiritu, ut fructus uberrimos proferat. Ei iam adscripti sunt 104 optimi iuvenes, quorum multi cotidie pane angelorum reficiuntur; magno exemplo sunt non solum collegis, sed etiam professoribus et toti civitati. Tanta modestia procedunt, ut iis praesentibus nemo turpiloquia proferre aut quidquam contra bonos mores agere audeat. Multi tempore vacationum maximo sane sacrificio in domum nostram se recipiunt ad Exercitia peragenda. Eorum tres, iuvenes optimo ingenio et indole, quasi primitiae Congregationis, novitiatum Provinciae Lusitanae, in Hispania ad S. Mariae de Oya situm, petierunt. Alii curriculo studiorum emenso laureaque doctoratus adepta, per diversos Brasilienses Status dispersi, ut suae professionis artem exerceant, mirum quantum Dei gloriam animarumque salutem et verbis et exemplo, maxime per sacram synaxim frequenter susceptam, promovent.

Sodalitas virorum nobilium B. M. V. a Columna (del Pilar) et S. Francisci Borgiae in Domo Professa Matritensi sub finem anni 1921 numerabat 842 Sodales e primis Hispaniae familiis ortos.

Praefectus huius Congregationis, qui idem est Praeses nobilitatis (Presidente de la Grandeza Española) et Ordinum Militarium, Dux del Infantado, praeclarum christianae caritatis et humilitatis exemplum dedit. Post Exercitia Spiritualia a Congreganistis simul peracta moderatori gratias agens adiunxit se velle primum ea, quae Pater de concordia in Congregatione servanda dixisset in usum deducere et venia humiliter petita a duobus Sodalibus, qui nescio an potius illum offenderint, cum iis in gratiam rediit.

Sectio Communionis sabbatinae habet 115 socios inter quos duo Regis Comites (ayudantes), virum pluries Consilii Ministrorum Praesidem, multos Ministros, Senatores, Academicos, quorum omnium ea est assiduitas ut vix unquam aliquis statuto die a sacra mensa absit; immo illi, quos antea commemoravimus Regis Comites Praesidemque Consilii Ministrorum, s. Communionem quotidie recipiunt. Sectio quae dicitur « Militaris Communionis Reparatricis » ad 200 Sodales complectitur: Praefectum classis, summos duces, alios militum praefectus. Multi lacrimas cohibere non potuerunt, cum tot milites altiorum ordinum, insignibus suis et honoribus decoratos, longa serie ad altare, panem divinum recepturos, accedere viderent.

Ad Sectionem Apostolatus Orationis fere omnes Sodales pertinent. Alii operibus socialibus, alii bonis libris distribuendis operam dant, alii aegrotos in nosocomiis visitant, alii vigilantia sua cinematographi licentiam cohibere conantur.

Sodalitas, Toleti (Prov. Tolet.) pro alumnis scholae militaris instituta, quamquam severis legibus regitur, brevi tempore ita crevit ut iam 380 socios numeret. Hi in bello africano demonstrarunt et etiam nunc demonstrant, quantopere iuvenes Congregatione Mariana formati virtute christiana et fortitudine militari, fidelitate erga Deum et patriam excellant.

In Miss. Bengalensi (Prov. Belg.).

Congregationum B. M. V. instituendarum inter Europaeos aeque ac inter indigenas nostri missionarii bengalenses semper curam habuerunt: ita hoc anno Sodalitas puellarum et mulierum

indigenarum, in ranchensi Sororum conventu erecta, iubilaeum 25 annorum celebrare potuit.

Iam die 15 augusti anni superioris P. Ludovicus Bodson, moderator Congregationis alumnorum ranchensium, huius loci Sodalitates convocaverat ut de rebus suis consilia conferrent. Hoc autem anno (1921) idem Pater novum impulsum adhibuit. Mense enim ianuario coepit edere periodicum lingua hindica conscriptum et Congreganistis destinatum, cui titulus est *Nishkalank* (Immaculata). Singulis mensibus plus quam 2000 exemplarium divulgantur. Et in Missione nostra et in aliis avide leguntur hae pagellae. Pater Generalis opus probavit et multum laudavit. Ut etiam Europaei de Congregatione magis edocerentur, complures litterae scriptae sunt in calcuttensi nostro periodico *The Catholic Herald* et quaedam controversiae hac ratione suscitatae de operibus Sodalitatis. Tandem mense decembri conventus omnium Congregationum Chota-Nagporensium Ranchi convocatus est. Multi delegati die 7 decembris convenerunt et per plures horas mane et post meridiem secundum spiritum Congregationis non solum de cultu B. M. V., sed etiam de variis operibus caritatis et zeli et de infidelium conversione egerunt. Vesperi habitus est consessus sollemnis, in quo relationes a Sodalitatum secretariis lectae sunt. Adfuit etiam Exc. DD. Delegatus Apostolicus qui tunc Ranchi versabatur. Relationes postea typis impressae, distributae sunt cum fasciculo periodici *Nishkalank* et etiam cum Europaeis communicatae per *Catholic Herald*. Die proximo B. M. V. Immaculatae Conceptioni sacro sollemnitates religiosae haec pietatis et zeli apostolici consilia propositaque confirmarunt.

Praedicatio.

Biennium sacrae eloquentiae.

Litteris die 31 decembris 1921 ad P. Ioseph de Giovanni, tunc Praepositum Provinciae Neapolitanae, datis Pater Noster rationem quandam brevem exhibuit instituendi rite biennium contionatorum (1).

1. Apti seligantur; quod facile fiet, dummodo eloquentiae exercitationes in Instituto praescriptae ab ipso novitiatu per omnes deinceps annos scholasticatus rite continuentur.

(1) *Act. Rom. S. I.*, III (1921), 382-383.

2. Toto biennii tempore Patres sint liberi ab aliis omnibus occupationibus et certam fixamque rationem sequantur.

3. Primus biennii annus consecretur studio S. Scripturae et Patrum; hic primus annus utilissime in Pontificio Instituto Biblico de Urbe transigetur, nam praeter bibliothecam bene instructam ibi habentur lectiones in finem huius biennii ordinatae et Patres certo iudicio excellentium professorum illuminari et regi possunt.

4. Anno altero, non intermisso studio S. Scripturae et Patrum, optimos suae nationis oratores attente legant et bonos contionatores audiant, ipsi se exerceant in contionando et habeant qui ipsos regant. Hoc secundo anno P. Provincialis locum PP. biennistis assignabit, ubi haec omnia facile fieri poterunt; nequaquam tamen tractandi erunt ut operarii designati, sed extraordinarii.

5. Commendatur privata lectio summorum artis sacrae magistrorum, Segneri, Bourdaloue, Vieira aliorumque; item historiae ecclesiasticae et normarum quas S. Sedes contionatoribus statuit.

6. Meditatione, oratione, sancta vita ad munus eximium se praeparent.

Pontificium Institutum Biblicum autem programma divulgavit suum, quod huius biennii rationi apprime congruit quodque praestat referre.

DE RATIONE STUDIORUM IN CURSU S. SCRIPTURAE AD MINISTERIUM VERBI.

Cum finis huius cursus sit auditores practica illa Verbi Dei cognitione instruere, quae sacros oratores decet, quaeque necessaria est, tum ad sacras contiones, tum ad conferentias, quas dicunt, apologeticas, videntur aequae partes tribuendae tum studio privato sub directione Professorum faciendo, tum praelectionibus scholasticis.

I.

Ad studium privatum pertinet in primis:

1. Lectio attenta totius Sacrae Scripturae in qua summatim integro textui studendum et illa scriptim notanda, quae aptiora ad ministerium occurrant.

2. Lectio scriptorum selectorum ex operibus SS. Patrum.

II.

In praelectionibus scholasticis quaestiones selectae ex introductione, exegesi et scientiis auxiliaribus tractabuntur, quae nempe ad propositum scopum opportunissimae videantur.

A. VETUS TESTAMENTUM.

1. Conspectus totius historiae V. T.
2. Exegesis pericoparum ad oratoriam sacram et apologeticam aptiorum.
3. Breves notiones de Theologia Biblica V. T.

B. NOVUM TESTAMENTUM.

a) Evangelium.

1. *Pars expositiva.*

Condicio tum populi iudaici tum civitatis graeco-romanae tempore Christi et Apostolorum.

Chronologia vitae Domini.

Miracula, parabolae, orationes Domini,

2. *Pars apologetica.*

Brevis conspectus controversiarum recentiorum de Evangeliis et de Persona Christi.

Indoles et historica auctoritas evangeliorum tum synopticorum tum S. Joannis.

b) Apostolus.

1. *Pars expositiva.*

Vita S. Pauli (chronologia, itinera).

Praecipua capita theologiae paulinae.

Analysis (vel conspectus analyticus) epistolarum S. Pauli cum brevibus adnotationibus exegeticis.

2. *Pars apologetica.*

Crisis sententiarum rationalistarum de persona et de doctrina S. Pauli.

C. ARCHEOLOGIAE BIBLICAE QUAESTIONES SELECTAE AD MINISTERIUM VERBI ACCOMMODATAE.

D. NOTIONES DE GEOGRAPHIA PHYSICA ET HISTORICA PALAESTINAE AD MINISTERIUM VERBI ACCOMMODATAE.

III.

Utiles erunt, sed auditorum arbitrio permittuntur, collationes et lectiones publicae, quae habentur in Pontificio Instituto Biblico.

Praeterea ad institutionis complementum iuvabit studium monumentorum Urbis tum sacrorum, tum profanorum, quae ad illustrandas contiones multum valent, et iter palaestinense.

N. B. Ut per se patet, in praelectionibus ratio habebitur eruditionis alumnorum; ut nempe vel omnia superius notata tractentur, si opus sit, vel illa omit-

tantur, quibus ipsi iam sufficienter studuerint, nonnulla etiam privato eorum studio demandentur.

Methodus autem tractationis fini proposito accommodata sit oportet; quae igitur hic habentur cum cursu mere scientifico Instituti Biblici communia, alia methodo in hoc, alia in illo tractanda sunt.

Integer cursus uno anno absolvetur.

Tres singulis hebdomadis erunt lectiones: Fer. II h. 2,30 p. m.: Novum Testamentum. — Fer. IV h. 2,30 p. m.: Geographia et Archaeologia. — Sab. h. 3,30 p. m.: Vetus Testamentum.

Dialogi et lectiones S. Scripturae.

Per Assistentiam Italiae et in aliis quoque mos est in aliquibus Societatis templis catechismum per annum, missionis autem tempore decem praecepta dialogi instar a duobus Patribus doceri. Hi in cathedris, iuxta aut adversus positis, sedent et eorum unus, fungens magistri munere, doctrinam exponit, alter ad eam melius elucidandam et altius in memoriam audientium figendam, difficultates profert e vulgo desumptas et a doctore solvendas. Vix credi potest quanta attentione non solum plebs, sed etiam homines culti hanc expositionem sequantur et qui sensus iucunditatis in vultibus omnium manifestetur si Pater, qui hominis ignari, uti dicunt, partes agit, popularem aliquam difficultatem clarius, quam ipsi eam senserint, afferat et quanta aviditate exspectent, quid alter responsurus sit. In templo nostro taurinensi SS. Martyrum, ut de aliis taceam, fere viginti annos iam hoc modo catechismus explicatur cum frequentissimo semper fidelium concursu.

Romae in templo SS. Nominis cives, qui optimis oratoribus frui solent, magna cum voluptate audierunt Patres qui tempore quadragesimali (a. 1921), hac ratione quaestiones aliquas summi momenti tractarunt.

In varia templa Prov. Angliae iam ante multos annos inducti, hi dialogi publici non minorem fructum attulerunt. In ecclesia Residentiae Londinensis per totum annum cum magno populi concursu habiti sunt; etiam ad instituendos acatholicos per mensem maium adhibiti, felici successu non caruerunt.

Eodem modo Patres mexicani in longinqua inter Tarahumaras Missione usi sunt, cum fideles coloris albi in pago Sisoguichic ad consecrationem SS. Cordi faciendam praeparabant; qua delectatione illi homines huiusmodi explicationem secuti sint, ipsum

nomen manifestat quod ei adhibuerunt: « Comedia de los Padres ». Qua felici experientia laeti, missionarii nunc etiam dialogos in lingua tarahumarica praeparant, ut fortasse hac ratione sibi contingat superare indigenarum inconstantiam, quae Patrum conatus animos doctrina christiana imbuendi fere inutiles reddit.

In variis Provinciis lectio S. Scripturae, prout a primis Societatis temporibus est habita et nonnullis locis adhuc habetur, cum magno fidelium applausu et concursu est instaurata. Viennae in Austria ad 2000 virorum excultorum in templum nostrum (Am Hof) hoc anno confluebant, ubi singulis diebus dominicis vesperi hora 6,30 P. Ludovicus Kronseder (Prov. Germ. Sup.) epistolam secundam ad Thessalonicenses explicabat: 30 vel 40 versibus quibus totum aliquod doctrinae caput continetur perlectis, expositio fiebat et applicatio ad temporum nostrorum et auditorum usum.

Eodem fructu P. Ioannes Rostworowski (Prov. Pol.) Cracoviae lectiones S. Scripturae instituit, Matriti P. Alphonsus Torres (Prov. Tolet.), Bilbai P. Florentinus Ogara (Prov. Cast.).

P. Arthurus Day (Prov. Angl.), auspice consociatione « Catholic Evidence Guild », in hortis publicis londinensibus (Hyde Park) sub divo amplius centies contionatus est. Auditores erant frequentes et attenti: eorum non pauci ad fidem conversi sunt.

Missiones populares in regionibus ubi vita christiana tepidior est. — In Saxonia.

Cum missionarii nostri Prov. Germaniae mense octobri 1921 in Lindenau prope Lipsiam (Leipzig) vocarentur, ea quae de loco illo audierunt parum consolationis iis attulerunt: ex 8000 catholicorum quos parochia complectitur tantum 1200 Communionem paschalem recepisse; uno verbo inter omnes partes urbis Lipsiae, socialismo penitus infectae, Lindenau esse quasi castellum quoddam atque munimentum factionis illius.

Sed res narratis peius se habebant. Nam Saxoniae populus multo maiorem partem protestanticis sectis adhaerens institutione scholari quidem optima gaudet et summa industria pollet, at religionem pietatemque plurimi paene contemnunt, ita ut socialismus crassus fere ubique dire dominetur. Inter urbis Lipsiae vero 600.000 incolarum 35.000 catholicorum fere non apparent

multique, institutione atque educatione religiosa prorsus carentes, omnem sensum catholicum amittunt. Praeterea socialistae incredibili tyrannide ad suas partes opifices cogunt. In officina quadam operarii neminem ad laborandum ibi assumi patiebantur, qui non antea ephemeridi socialistarum subscripsisset et ab Ecclesia defecisset. Alio loco cum fabro murario charta qua panem involverat e manibus cecidisset, alius eam sustulit videnque esse ephemeridem catholicam, reliquos de hac re edocuit et omnes simul coniuncti a praefecto postulaverunt ut ille dimitteretur, minitantes nisi id fieret, se a labore cessaturos. Ne ad vesperum quidem laborem continuare homini permissum est, sed illico loco cedere debuit. Plurimi ab Ecclesia deficiunt et multi patres liberos doctrinae christianae explanationi interesse vetant.

Praeclarum fructum Missionis habuerunt, quod 15 pueri 12-14 annos nati primam Communionem receperunt; usque ad hoc tempus parentes id non permiserant. Alii cum parentes eos dominica in templum venire non sinerent, iis insciis, aliis diebus accesserunt.

Initia Missionis tristissima fuerunt. Pueri primum convocati ut suo exemplo parentes attraherent, cum scholae vacarent, rari venerunt et soli 20 vel 25 (ex 700-800 quos parochia habet) confessionem peregerunt. Post ferias finitas Patres id obtinuerunt, ut circiter 200 (25 %) sacramenta acciperent. Prima dominica Missionis ad summum 800 homines Missae interfuerunt. Mulieres post meridiem 250 primam contionem audierunt, vesperi 320 venerunt. Aliis diebus h. 6 mane 40 vel 50 adfuerunt, h. 8,30: 80, vesperi plures. Cum pro viris Missio haberetur, mane 40, vesperi 200-250 viri et praeterea 100-150 mulieres adfuerunt; universi qui sacramenta receperunt, pueris puellisque inclusis, circiter 800 fuerunt.

Patres, qui venerant ex aliis Germaniae partibus, ubi si non omnes, multo maior pars fidelium Missioni interesse et sacramenta recipere solent, tanta negligentia summa tristitia affecti sunt, sed sacerdotes et laici, quibuscum hac de re loquebantur, successum Missionis optimum sibi videri responderunt, neminem tantam frequentiam exspectasse et praesertim summae admirationi sibi fuisse, quod 15 pueri ad primam Communionem accessissent.

In Burgundia.

Burgundia, vinearum ferax, iam a longo tempore minorem pietatis fructum affert. Gens in dies decrescit; ita ut, post triginta annos, vix tertiam partem incolarum reperias in nonnullis vicis, ubi intra duos aut tres annos semel tantum collatus est baptismus. Domus commodae sunt et in bono statu, sed est locus ubi vix quinta quaeque incolas habet. Hinc, ut conicere est, a compluribus templis abest Sanctissimum, a multis presbyteriis sacerdos. Parochi curam habent aliquando decem pagorum: minimorum utique, sed inter se pluribus kilometris distantium. RR. DD. Antistes Divionensis, ut tantae miseriae subveniret, voluit Nostros (Prov. Camp.) in octo vicis parocho orbatis per decem dies continuos opus apostolicum exercere.

Visitantur primum omnes incolae et nominatim invitantur; quotidie una cum Missa fit contio; per diem pueri instituuntur religione; vesperi omnibus praedicatur: et tandem accedunt ad sacramenta animae bonae voluntatis. Hae non desunt; ipsi incolae debent tectum et victum missionariis praestare: libenter et comiter id faciunt.

Pueri ubique magis ad pietatem dociles inveniuntnr et ad orationem propensi; ipsi edocebantur quoque praxim Apostolatus orationis. Aliquando etiam viri bono animo adfuere; in uno pago integrum consilium municipii saltem officio pro mortuis adstabat. Interdum mulieres repertae sunt idoneae, quae et pueros docerent et semina per missionem sparsa excolerent.

Ex dictis conicias quam laeti habendi sint fructus: In pago Ménessaire ex 350 incolis 125 (25 viri) ad sacramenta accesserunt; in Chaignay ex 300 incolis 115 (12 viri); in Semezanges ex 120: 35 (2 viri, eadem hora qua Nicodemus ad Iesum primum venerat), in aliis duabus paroeciis 47 et 70 personae, sed unus vir tantum christiano officio functus est, non sine magno victi respectus humani merito. Tribus locis virorum numerus non exhibetur, sed tantum communicantium ex 200-68, ex 200-24, ex 140-18. Is fuit eventus ut RR. DD. Episcopus rursus ad annum 1923 viginti huiusmodi missiones Patribus (sive Divionensis domus, sive tertiariis) crediderit.

Apud francomurarios doctrina catholica explanatur.

Cum inter Batavos in praesentia fere ubique a protestantibus expostulentur conferentiae de doctrina catholica, etiam coetus quidam massonicus in Rotterdam a P. Provinciali petiit Patrem, qui sibi de hac re obiectivam faceret expositionem. P. Petrus Hoenen, Rector Collegii Vetusbuscensis ad singulare sane hoc ministerium destinatus. P. Provinciali haec retulit:

Reverende in Christo Pater,

P. C.

Mitto ad R^am^ V^am^ brevem hanc narrationem eorum, quae die 21 februarii huius anni (1922) Rotterodami gerebam, ubi in coetu massonico orationem habere iussus sum de doctrina ac vitae ratione, quas catholici profitentur.

A « fratrum » praeside in eorum « officinam », quae illo die corona sat magna, ut ipsi aiebant, implebatur — aderant autem 30 vel 40 auditores — introductus, urbaniter, uti expectandum erat, receptus sum. Praeses brevem habuit oratiunculam, qua tamquam factum notatu dignissimum laudabat sacerdotem catholicum in eorum « officina » sermonem facturum esse de rebus catholicis.

Tempus unius horae et dimidiae mihi concessum erat, ita ut ex materia abundanti delectus faciendus esset. Sic huic muneri satisfacere conatus sum.

Initium sermonis feci agendo de rationabilitate obsequii fidei, cuius rationabilitatis — ut antea iam expertus sum — apud multos acatholicos ne suspicio quidem adesse videtur. Ex alia parte exponere conatus sum, quomodo conscientia nostra, ipsa illa conscientia personalis, quae tantopere laudatur a modernis, post talia praeambula fidei (et inter ea) nos ad assensum fidei praebendum impellat. Inde concludebam ad « valorem vitae humanae », qui tantus est ut ipse Deus de hac nostra vita nos instruere velle constet, ad soliditatem quoque ac simul intimitatem talis « experientiae religiosae », quae solido rationis quoque fundamento nititur.

In altera orationis parte agebam de praxi vitae catholicae ad quam elucidandam breviter exponebam fundamentum ipsum Exercitiorum Spiritualium S. P. N., dein quaedam ex sequentibus hebdomadis: quomodo Christus, Deus-Homo, nobis sit vitae

exemplar et stimulus, ut iterum concluderem ad maiorem valorem vitae humanae, quippe qua Christus ipse vivere volebat.

Huic exteriori valori, aiebam, correspondet multo pretiosior valor internus, quem efficit gratia sanctificans, qua homo usque ad consortium divinae naturae elevatur.

Divitiis his internis tum gratiae sanctificantis, tum « experientiae religiosae » quae dicitur, correspondet exterior magnificentia totius cultus, actionum, caeremoniarum, quae sine cognitione harum internarum divitiarum intellegi non possunt. Ex quibus pauca particularia elucidavi tum ope considerationis psychologicae — fere sicut P. Eymieu scripsit in opusculo: « Le Gouvernement de soi-même. Les grandes lois »: id quod, ut a quodam audivi, valde placuit — tum ope veritatum revelatarum et historicarum. Specialiter de signo crucis egi.

Postea occasio data est quaestiones ponendi id, quod a praeside hoc fere modo annuntiatum est : « Frater inspector prime (eerste opziener), estne quis fratrum in tua columna, qui velit quaestionem movere? » Cumque nemo inspectori inspicienti sese offerebat eodem modo frater inspector secundus interpellatus est: sed nec in illius columna quisquam inventus est, qui me interrogare, publice saltem, cupiebat. Post oratiunculam quidem qua praeses mihi gratias referebat, cum uno ex « fratribus » colloquium de variis rebus a me tractatis habui.

Post pauca momenta dein dimissus sum praeside exclamante: « Fratres caeremoniarii, prosequimini R. Patrem! » et sic duo caeremoniarii me deducebant ad rhedam automobilem, qua ad Residentiam Nostrorum ductus sum.

Commendo me ss. SS.

R^ae V^ae

Servus in Xto.

P. Hoenen S. I.

Scientia.

Concilium studiis altioribus promovendis in Anglia institutum.

P. Cuthbertus Lattey, S. Scripturae in Collegio S. Beunonis professor, non parvae utilitatis fore existimans, si theologiae et philosophiae in Angliae seminariis professores convenirent et de

materia ac ratione docendi amice inter se conferrent, consilium suum proposuit quod alii laeti exceperunt. Conventum praeparavit et, annuentibus Em. Cardinali Bourne et Archiepiscopo, Ordinario loci, atque adiuvante regulari ac saeculari clero, Oxonii tempore Nativitatis Domini 1919 ad effectum consilii feliciter perventum est. Proximo autem anno omnibus iam Episcopis sollemniter approbantibus conventum magno cum successu Cantabrigia excepit. Tertia postea vice in Collegio nostro Stonyhurst hic conventus congregatus est, ita ut firma iam et stabilis institutio (« The Catholic Conference of Higher Studies ») haberi possit. Viginti vel triginta sacerdotes, omnes fere professores, et unus alterve laicus adesse solent; conferentiae leguntur de diversis materiis theologiae, philosophiae, scientiae naturalis et socialis, etc.; discussio oritur benevola atque utilis; neque minimus fructus est quod professores ex diversis dioecesibus et ordinibus inter se libere atque amantissime versantur.

Ex hac institutione duo alia opera pulcherrima creverunt: alterum ad occasionem quandam peculiarem, alterum ad usus perpetuos accommodatum. Post conventum enim cantabrigiensem (1920-21) Ordinarius loci Episcopus Northantoniensis ex P. Lattey per litteras quaesivit, utrum censeret congressum biblicum Cantabrigiae fructuose haberi posse. Id affirmante Patre celebratus est congressus et haud parvam famam in Anglia obtinuit; ad hunc felicem successum multum contribuit experientia hominum et rerum orta ex Conferentia illa (« The C. C. of H. S. »). Verum congressus ille biblicus semel tantum habitus est in honorem S. Hieronymi sicut Summus Pontifex cupiebat; sed nunc praelectiones annuae (« The Summer School of Catholic Studies ») Cantabrigiae praeparantur, ita ut professores et alii eruditi, qui sub festum Nativitatis Domini convenerint et consilia inter se contulerint, mense iulio Cantabrigiae publice rem catholicam exponant ac defendant. Facile igitur erit sacerdotibus, religiosis, laicis catholicis atque etiam acatholicis, in solida scientia verae fidei et studiorum catholicorum proficere. Hanc autem « scholam aestivam » sacerdotes cantabrigienses directe administrant; quae tamen ad praelectiones et reliquam eruditionem pertinent, per Concilium Conferentiae Catholicae (« Catholic Conference of Higher Studies ») praeparantur. Quod Concilium duos iam secretarios habet: alterum qui conventui hiemali se dedicat, alterum, scilicet Patrem Lattey,

qui ad « scholam aestivam » (« Summer School of Catholic Studies ») mense iulio celebrandam allaborat. Neque parvus fructus ex hac organizatione studiorum catholicorum exspectari potest; necesse enim omnino est ut non solum populo, sed etiam inter magis excultos et eruditos res catholica melius exponatur et ut catholici ad hoc etiam opus consiliis collatis se accingant.

Speculae.

P. Aliosius Rodés, director speculae Roquetensis ad Iberim (Observatorio del Ebro, Tortosa: Prov. Arag.), mense februario 1921 in Regali Academia Geographica Matritensi disseruit de re astronomica audientibus Ministro Institutionis Publicae, directore speculae matritensis cum sociis omnibus, Universitatis professoribus astronomiae aliisque viris huius disciplinae peritis vel auctoritate praestantibus. Comes del Grove, educando principi, regni heredi, praefectus, qui Patrem audiverat, invitavit ut alumnum suum de eadem re alloqueretur. Cui voto obsequens Pater in palatio regio conferentiam principi repetivit; ex inopinato ipsa Regina Mater quoque adfuit et summa cum delectatione, quaestionibus etiam interpositis, ambo per duas horas P. Rodés audierunt. Alio die Pater in theatro publico, quod «Comedia» vocatur, magna hominum multitudine concurrente, res astronomicas exposuit non sine audientium fructu spirituali, ut multi confessi sunt et ex eorum litteris apparet. Vir magnae auctoritatis scripsit se iam diu non tanto cum fervore orasse quam hoc vespere, postquam ex iis quae P. Rodés dixit, quantus Creator mundi sit, melius intellexit.

Specula Roquetensis ad Iberim in praesentia lucubrationem suam, « *Boletín mensual* » cum aliis 190 extra Hispaniam permutat et quanti a viris harum rerum peritis fiant, quae in eadem specula continuo registro notantur de phaenomenis magneticis, sismicis, electricis demonstrant litterae ad directorem missae v. g. a F. Sanford ex Universitate Stanford in Washington (Cal.), E. Wiechert, Directore Instituti Geophysici in Göttingen (Germania), A. Wolfer, Directore Speculae Helveticae in Zürich, Llambias de Olivar, Uruguay. L. A. Bauer, Director Speculae magneticae in Washington (D. C.), qui praecipua auctoritate pollet apud rerum electricarum et magneticarum studiosos, in articulo quodam synthetico, edito anno 1921 in periodico « *Terrestrial Magnetism and Atmospheric Electricity* », observationes speculae Roquetentis passim adhibet.

Specula vero washingtoniensis aliquem ex suis. Dr. Parkinson, Tortosam misit ad partem magneticam invisendam et postea scripsit: « Observationes ibericae optimum habuerunt successum et Dr. Parkinson multum dilaudavit, qua efficaci et accurata ratione istic procedatur ». Item Dr. Albert Göckel, cum Rector Universitatis Friburgensis die 15 novembris 1921 novum cursum studiorum oratione sollemniter inauguraretur, Speculam Iberi honorificentissime commemoravit.

Specula Meteorologica Nationalis Columbiana. — Cum Praeses rei publicae Columbianae speculam meteorologicam pro dignitate nationis vellet attollere, decrevit eam Societati tradere atque ad munus Directoris Patrem a Superioribus flagitavit. Datus est ei P. Simon Sarasola (Prov. Cast.), qui in Collegio Centumfocensi (Cienfuegos, Cuba) magna cum laude hoc munere fungebatur.

Specula in ipso Collegio nostro Bogotensi erecta, perelegans est et quam aptissima. Ad optima autem instrumenta comparanda ipse Praeses misit P. Sarasola in Europam atque in Status Foederatos. Pater per complures menses in Hispania, in Gallia, in Germania, in Anglia, in Statibus Foederatis praecipuas speculas invisit, optima quaeque instrumenta comparavit ac nuper Bogotam sospes rediit. Post paucos menses specula meteorologica nationalis, Nostrorum curis commissa, inaugurata est.

Civitas autem Centumfocensis litteras honoris plenas ad Patrem Sarasola per Municipium Bogotense misit, in quibus illum inter suos cives optime meritos inscribit.

Allatum est etiam nuper a Nostris primum sismographum in Columbiam, cuius ope paulo post occasione cuiusdam terraemotus in littore oceani pacifici accuratissimum sismogramma divulgari potuit.

Haec scientiarum cultura ibi, sicut aliis in locis, non parum iuvat tum ut ministeria nostra melius suscipiantur, tum ut inimicis religionis os praecludatur.

Sismologicam Stationem Collegii Granatensis (Prov. Tolet.) ipsius Director P. Emmanuel Sanchez Navarro sismographo, a se invento et ab illius domus Fratribus Coadiutoribus constructo, ditavit, machina quidem potentissima omniumque, ut aiunt, forte accuratissima, quae valeat non solum ad perfecte inscribendos terraemotus, qui intra 1000 kilm. accidant, sed etiam ad indicandos aliquatenus motus terrae cuiusvis distantiae ad antipodas usque.

Moles solo nititur super flexilia automata (muelles) ferreoque receptaculo continetur. Huius forma cubica; mensura lateris 1 metr.; pondus 3000 kilogr.; periodus propria sismographi 5,5 sec.; coefficiens temperationis (coeficiente de amostiguamiento): 4. Terraemotus inscriptiones, vi ordinaria et quasi propria, quae tamen adhuc augeri potest, sexcenties auget. Adeo pondere vel minimo movetur, ut, cum totius machinae pondus tria milia milium grammorum excedat, unum tantum grammum debito loco additum sentiat sismographus inscribatque recessum a linea recta vel unius millimetri.

Utpote constructa ineunte anno tertio saeculari a S. Ioannis Berchmans natali, nomen habet ab auctore impositum, « Sismographi Berchmans ». Granatensis Statio copiose sui specimen edidit Barcinone, ubi res ad astronomiam pertinentes expositae sunt. P. Sanchez Navarro qui ibi publice verba fecit, magno honore plausuque exceptus est.

Varia.

Societatis Bollandistarum Praeses, P. Hippolytus Delehaye (Prov. Belg.), hoc anno (1921) donatus est praemio publico quinquennali (1911-1915) historiae ob librum « *Les Origines du Culte des Martyrs* » et simul ut in eo, qui nunc Societati Bollandistarum praeest, socii omnes ornarentur qui operam contulerunt ad volumen tertium Novembris Actorum Sanctorum edendum. Idem Pater iam antea socius externus (« membre correspondant ») Instituti Gallici et Academiae Britannicae est electus atque ab Universitate Oxoniensi Doctor honoris causa creatus.

Anno 1915 tria saecula completa sunt, ex quo opus Bollandianum inchoatum est; tunc quidem ob bellum hic dies celebrari non potuit, sed clare apparuit hac occasione quanta fama et auctoritate apud viros doctos Bollandiani ubique gaudeant.

Hoc anno (1921) Bollandistarum Societati addicti sunt quattuor Scholastici, qui quantum per studia licet ad opus egregium assumendum se parant.

Universitas Oxoniensis Patres nostros (Prov. Angl.) invitavit ad habendas lectiones de rebus theologicis: oblati sunt in hunc finem P. Ioseph Rickaby lecturus de S. Augustino in « Balliol College », P. Ignatius Walker de SS. Trinitate in « University College ». Iam ex aliquo tempore P. Cyrillus Martindale cum magna laude

habet lectiones de historia poeseos latinae. Praeterea Nostri partem suam habent in lectionibus a Superioribus quattuor domorum catholicarum oxoniensium institutis.

Ne pauperibus sacerdotibus, quibus post dissoluta nefasta separationis lege Seminaria et expulsas Congregationes religiosas horum bibliothecis uti iam non licet, deessent prorsus libri ad colendas disciplinas sacras aliasque necessarii, P. I. B. Piolet (Prov. Lugd.) cum aliorum virorum auxilio anno 1907 Parisiis bibliothecam (« Bibliothèque Générale des Études ») inchoavit, quae post bellum valde aucta in praesentia 1397 socios habet. Iis pro modica subscriptione annua libri et periodica ad certum tempus commodantur.

Mirum in modum ad religionem catholicam in Hispania scientifico apparatu propugnandam contulerunt Conferentiae scientifico-religiosae, quas P. Iosephus Antonius Laburu (Prov. Cast.), in Collegio Maximo Oniensi biologiae professor, in quibusdam Hispaniae Atheneis, Universitatibus, scientificis circulis anno scholari 1921-1922 habuit.

Mense novembri, Societas « Cultura Vasca » P. Laburu rogavit, ut Bilbai initium suis de re biologica conferentiis daret. In iis disseruit: « De vitae origine, evolutione eiusque fine », adstante numeroso hominum eruditorum delectu, inter quos 70 in arte medica doctores. Cum vero omnes, et catholicae ephemerides et illae quae aegre catholicorum triumphos ferre solent, Patrem Laburu laudibus cumulassent amplissimis, ab aliarum quoque civitatum scientificis circulis est rogatus, ut apud eos verba faceret. Eorum igitur desideriis acquiescens, sub finem mensis decembris, ad S. Sebastiani (San Sebastián) profectus est, quo viri delecti non solum ex urbe, sed etiam ex propinquioribus Hispaniae oppidis atque adeo e Galliae vicina aliqua civitate ad conferentias convenerunt. Ab Universitatis Vallisoletanae Rectore postea invitatus, adstantibus non paucis doctoribus, plurimis medicinae studentibus, praeeuntibus civitatis Archiepiscopo, regionis illius summo militum Duce (Capitán General), ipsoque Universitatis Rectore, illorum exspectationem longe superavit. Postea in caesaraugustana Universitate (Zaragoza) conferentiam habuit, in qua cuiusdam in eodem atheneo professoris materialisticos errores summa copia

dicendique vi confutavit. Qua de re imprimis boni iuvenes universitarii gaudii pleni fuerunt. Complures in Collegium nostrum venerunt ut Patrem grati salutarent cumque eo de rebus biologicis colloquerentur; unus ex iis hanc suae laetitiae rationem exhibuit: tandem se vidisse nostram sanctam religionem apud homines doctos scite et fortiter propugnatam victoriaeque lauris insignitam in his praecipue scientiae quaestionibus, in quibus ab ipsorum magistris despectui haberetur.

In instituto Catholico Artium ed Industriarum, quod nostri Patres Matriti moderantur, habitae sunt mense februario quinque dissertationes de electricitate in viis ferratis hispanicis adhibenda. Postremam fecit P. Ioseph A. Pérez del Pulgar, illius Instituti professor. Rex ipse conferentiae interfuit atque ea finita disserenti etiam atque etiam gratulatus est.

Bibliotheca Rossiana.

Ultimis anni 1921 diebus insignis illa bibliotheca, quae a fundatore suo Rossianae nomen accepit, Vienna Romam advecta est et annuente benigne b. m. Benedicto Papa XV in Bibliothecae Vaticanae aedibus publico usui exhibita.

Collegerat eam Ioannes Franciscus de Rossi, patricius romanus, ab anno 1838 usque ad annum 1854, ope et aere uxoris Carolae Ludovicae Borboniae, Maximiliani Saxoniae Ducis viduae. Mortuo Ioanne Francisco, Carola Ludovica ne dilecti viri opus periret, universam bibliothecam 1195 codicum 2500 incunabulorum aliorumque fere 6000 librorum Societati Iesu dono dedit, publico instrumento donationis die 6 martio anni 1855 confecto. Hoc documento plenum ius proprietatis in bibliothecam Societati tribuitur Patrique Nostro penitus ius asseritur assignandi locum, ubi bibliotheca custodiatur; simul autem ad praecavendos quosvis eventus Imperator Austriae huius iuris proprietatis tutor instituitur ita ut, si Societas omnino exstinguatur, bibliotheca ad ipsum deveniat et eidem officium incumbat Societatis iura tuendi, si haec e loco, ubi bibliotheca custoditur, depellatur.

Quod anno 1873 Romae accidit, ubi bibliotheca ex anno 1855 in Domo Professa asservabatur; statim legati austriaci locum tenens Raphael liber baro de Hübner, die 10 nov. anni 1873 sigillis ad bibliothecae ianuas appositis, eam nomine Imperatoris occu-

pavit sollemniterque, publico instrumento confecto, declaravit integra manere omnia Patris Nostri et Societatis iura. Eodem die in finitimam legationis imperialis sedem bibliotheca devecta est; anno 1877 denique annuente P. Petro Beckx et sumptibus Imperatoris Austriae Viennam in Societatis Residentiam (Universitätsplatz 1) portata est.

Cum vero ibi ob spatii angustias bibliothecae tam illustri non pro dignitate provideri posset et aliqui consiliarii aulici eam, quasi esset proprietas Imperatoris, in aedes Universitatis publicae traducere intenderent, his conatibus imperterrite restitit P. Franciscus X. Schwärzler (Prov. Austr.) atque Imperatore favente litem diuturnam vicit, illi vero necessitati remedium allatum est eo, quod bibliotheca anno 1895 in domum Lainciensem (Wien XIII) vecta ibique in ampla et apta aula usui exposita est.

Convulsis autem funditus rebus austriacis anni 1918 eventibus, Pater Generalis ut securitati tanti thesauri, Societatis fidei commissi, pro officio provideret, de bibliotheca Romam reportanda et in aedibus Bibliothecae Vaticanae collocanda cogitare coepit. Haec enim sive securitatem respicias sive eruditorum commoditatem aptissima videbatur, in qua bibliotheca nostra reponeretur, et augustae testatricis voluntati maxime conveniens. Annuente benigne Benedicto Papa XV et Bibliothecae Apostolicae Moderatoribus, P. Carolus Silva-Tarouca (Prov. Austr.), a Patre Nostro in fine anni 1920 Viennam missus, cum austriaco gubernio de transvehenda bibliotheca Rossiana agere inchoavit. Multis difficultatibus, maxime ope Nuntii Apostolici, RR. DD. Francisci Marchetti-Selvaggiani, feliciter superatis, sub finem anni 1921 demum hic librorum thesaurus salvus in Urbem rediit et nunc in Bibliotheca Vaticana doctorum hominum usui traditur.

Ibi omnes codices et libri Rossiani adservantur in aula propria, cuius parieti tabula marmorea affixa est, inscriptionem exhibens, quam olim in Domo Professa Romana visere licebat:

CAROLA · LUDOVICA · BORBONIA
INFANS · HISPANIAR · DUX · SAXON
CODICES · ET · VETUSTIORA
ARTIS · TYPOGRAPHICAE · MONUMENTA
INGENTI · CURA · ET · PECUNIA · SIBI · ADQUISITA
PATRIBUS · SOCIETATIS · IESU
DONO · DEDIT · ANNO · REP · SAL · MDCCCLV

Quanto autem emolumento fuerit studio litterarum bibliothecae nostrae reditus in romanam patriam, iam ex eo apparet, quod, cum antea vix decem viri docti quotannis eam adirent, nunc dies non praeterit quin unus vel etiam plures codices expostulentur.

Inter Nostros qui de Bibliotheca Rossiana custodienda et describenda bene meruerunt, habendi sunt P. Franciscus X. Patrizi (Prov. Rom.), linguarum orientalium in Universitate Gregoriana professor, qui in hebraicorum codicum studium incubuisse videtur; P. Felix Massaruti (Prov. Rom.), bibliothecae Domus Professae Romanae praefectus, tempore dispersionis (1873-1877) multam operam posuit in bibliotheca servanda et Viennam transvehenda. Viennae postea PP. Carolus Anschütz et Aloisius Dichtl (uterque Prov. Austriae) catalogum incunabulorum confecerunt et P. Ioseph Oberhammer (Prov. Austriae) de codicibus manuscriptis describendis bene meritus est. Indices codicum et incunabulorum ab ipsis confecti, etiamnunc iis qui bibliotheca utuntur inserviunt, mutatis tantum numeris quos ipsi voluminibus assignaverant; Codices nunc numeros 1-1195, praemissa nota « Ross. » et libri typis exscripti numeros 1 et reliquos ostendunt cum nota « Ross. Stamp. » e quibus primos numeros — Ross. stamp. 1-2500 — incunabula occupant. Nunc vero P. Carolus Silva-Tarouca catalogo codicum manuscriptorum conficiendo operam navat.

Non videtur alienum ab hoc loco aliqua addere de perpaucis codicibus et libris, quae utcumque ad historiam Societatis pertinent. Inter codices primum locum obtinent Ven. Roberti Cardinalis Bellarmini exhortationes domesticae aliique tractatus eius manu exarati, quae anno 1899 P. Franciscus Van Ortroy (Prov. Belg.) edidit. In praesentia signatus est ille codex numero 735. Exstant praeterea in cod. 1171 complures Archiducissae Mariannae, infelicis Paccanari illius patronae, epistolae annis 1801-1809 Romae datae ad Pium VII P. M. quibus hominem istum defendere conabatur, aliqua Pontificis ad eandem responsa, una ipsius Paccanari epistola. Inter libros typis exscriptos facile eminet rarissimum opus, cui titulus est « *Informatio pro veritate contra iniquiorem famam sparsam per Sinas cum calumnia Patrum Societatis Iesu et detrimento Missionis, communicata Missionariis in Imperio Sinensi* 1717, auctore P. Eremberto Fridelli S. I. (Sommervogel, III, 993). Adest etiam P. Prosperi Intorcetta « *Sinarum scientia*

politico-moralis. Goae iterum recognitum et in lucem editum die 1 *octobris* 1669 » (Sommervogel, IV, 641) et Vita Christi secundum *Evangelicae historiae Imagines* P. Hieronymi Natalis Antverpiae 1593 aere incisas, ab artifice sinensi figuris xylographicis adornata. (Sommervogel I, 158, 10) Ad Missionis Sinensis historiam porro pertinent « *Responsa S. Congregationis Universalis Inquisitionis a SS. D. N. Alexandro VII approbata ad quaesita Missionariorum Societatis Iesu apud Sinas A. D.* 1656 », Romae 1656, et « *Acta causae Rituum seu Caeremoniarum Sinensium* », Romae s. a.: nota tamen manu adscripta dicit: « publicata 16 mart. 1709 ».

III.

DE MISSIONIBUS.

Administratio.

Novi Episcopi, Superiores Regulares.

RR. DD. Henricus Döring, hactenus Episcopus Poonensis, in consistorio secreto die 16 iunii 1921 habito ad archiepiscopalem titularem Ecclesiam Maditensem eligitur.

R. P. Ferdinandus Perier die 10 iulii 1921 nominatur Episcopus Coadiutor cum iure futurae successionis Archiepiscopi Calcuttensis et die 10 augusti titulari episcopali Ecclesiae Platearum praeficitur.

* * *

Postquam omnia tentata sunt ad id oneris a Societate nostra avertendum, R. P. Aloisius Muñoz die 30 iulii 1921 metropolitanae Ecclesiae Guatimalensi praeficitur a Summo Pontifice, cui id istius Ecclesiae bonum omnino exigere visum est.

* * *

Administrationem suscipiunt:

21 maii 1921. — R. P. Gulielmus I. Eline Missionis Patnensis Superior.

6 iul. — R. P. Ioannes B. Debeauvais Missionis Tche-li Meridiano-Orientalis Superior.

21 aug. — R. P. Abel Dides Missionis in Syria Superior.

28 aug. — R. P. Mauritius Veys Missionis Bengalensis Occidentalis Superior.

1 nov. — R. P. Ioannes Spendel Missionis in Rhodesia Septentrionali Superior.

10 dec. — R. P. Iacobus Mertens Missionis Iavensis Superior.

Missiones nuper susceptae; mutationes in Missionibus.

Missio *Armeniae*, quae exodo Armenorum ad tres domos (Adanensem, Constantinopolitanam, Stationem ad Samsun) diminuta, nullam fere apostolici laboris opportunitatem in praesentia praebet, ad tempus curae Superioris Missionis in Syria relinquitur. Catalogo Provinciae Lugdunensis mense novembri 1921 edito primum exhibetur Statio *Hierosolymitana* cum duobus Patribus (*Mem.* I [1919] 178). — Jérusalem, Saint Pierre de Sion.

Patres Provinciae Germaniae Missionem *Bombayensem* ab anno 1856 summo studio et eximia laude, etiam ipsius gubernii anglici, excoluerant. Cum vero inter bellum omnes germanici originis ex Indiis eicerentur, tantum Patres helvetii et luxemburgenses remanserunt, quorum numerus, quamquam aliae Missiones eis magna caritate auxilio veniebant, adeo non satis erat, ut non pauci missionarii nimio labore fere frangerentur et magnifica opera vix conservari possent. Pulcherrimae Missionis tristis sors Patri Generali maxime cordi erat; sed omnes conatus eam iuvandi sine exitu fuerunt: Patribus germanicis etiam pace facta reditus non est concessus, Socii Provinciae Marylandiae-Neo Eboracensis ad Missionem accedere diu sunt prohibiti; denique cum iam non relinqueretur alia via providendi saluti immortalium animarum, quarum cura nobis in illa parte commissa est, Pater Noster Provinciam Aragoniae ex insulis Philippinis, ei ob longinquos labores notissimis atque carissimis, advocavit ut Missionem Bombayensem susciperet; in *Philippinas* vero missionarii Provinciae Marylandiae-Neo Eboracensis paullatim succedent.

Die 16 martio anni 1921 quinque socii Provinciae Missourianae, quibus RR. DD. Ludovicus Van Hoeck praeiverat, in Missionem *Patnensem* advenerunt. Ante tria saecula (sub annum 1620) primi missionarii iidemque e nostra Societate in hanc regionem videntur penetrasse. Post 80 fere annos Missio Patribus Capuccinis tradita est qui eam ad haec usque tempora exco-

luerunt. Dominica Palmarum novi missionarii suam quisque stationem occupaverunt et cum tres Patres Capuccini, qui usque ad adventum Nostrorum novum Episcopum RR. DD. Van Hoeck adiuverant, in suam dioecesim allahabadensem revocarentur, Patres modo advecti officia hebdomadae sanctae soli in suis quisque templis praeparare debuerunt. Neque sacra olea in procathedrali patnensi consecrari potuissent, nisi Patres finitimae Missionis Bengalensis eximia caritate auxilio venissent: ipse Superior Regularis illius Missionis, P. Ferdinandus Perier, nunc Coadiutor Archiepiscopi Calcuttensis, usque ad feriam secundam post Pascha cum Patribus patnensibus remansit.

Nova dioecesis continet (anno 1921): 25.000.000 hominum; 3.855 catholicos indos; 1166 catholicos europaeos.

Scholas habet in districtu Bihar septentrionali: 7 (4 pro pueris indis; 3 pro puellis indis);

scholas habet in districtu Bihar meridiani: 2 (1 cum 214 pueris europaeis; 1 cum 85 puellis europaeis).

2 orphanotrophia (1 cum 101 puellis europaeis; 1 cum 40 puellis indis).

In districtu septentrionali (Bettiah et Nepal), ubi praecipuae ad ethnicos convertendos stationes sitae sunt, sex sacerdotes saeculares indigenae laborant, quibus in praesentia ob parvum missionariorum numerum nemo ex Nostris adiungi potest.

Cura Praefecturae *Assam* inter bellum Missioni Bengalensi commissa, hoc anno (1921) Patribus italicis e Societate S. Francisci Salesii (Salesiani di Don Bosco) a S. Sede est demandata; Nostri autem (S. PP.) adhuc ibi remanent ut novos missionarios adiuvent et in suos labores inducant.

Cum ea Missionis *Mangalorensis* (Prov. Ven.) pars quae in ora canarensi sita est, clero indigena sat copioso instructa sit, statutum est, ut Patres hanc regionem sacerdotibus indis paulatim relinquerent et ipsi in oram malabaricam, quae adhuc parum exculta est, concederent. Cui rei veluti initium fecit constitutio Vicarii Generalis pro sola Malabaria. Id munus Superiori Regulari totius Missionis Mangalorensis commissum est, qui sedem suam ex urbe Mangalore in Residentiam Calecutanam transtulit. In eadem Missione anno 1921 tres novae stationes inter ethnicos positae sunt, quarum duae in Malabaria, tertia in Kanara.

In Missione quoque *Madurensi* (Prov. Tolos.) sacerdotibus saecularibus indigenis pars districtus Palamcottah quae ad

oram maris protenditur (Piscaria) tradi coepta est et Seminarium S. Pauli in urbe Trichinopoly ad cleri indigenae numerum augendum institutum.

Litteris Apostolicis die 8 aug. 1921 datis, a Vicariatu Apostolico *Nankinensi*, quem Patres Provinciae Franciae iam ab anno 1840 adeo singulari studio et fructu excolunt, ut ex S. Sedis sententia «inter illustriores atque ampliores» Vicariatus sinenses adnumerandus sit, Provincia civilis *Ngan-hoei* separata atque in Vicariatum eiusdem nominis erecta est. Reliqua autem pars a provincia civili *Kiang-sou* (1) in posterum appellabitur (*Act. Rom.* III [1921] 317 sq.).

Cum uterque Vicariatus curae Societatis relinqueretur, Pater Noster decreto die 17 oct. lato (*Act. Rom.* III [1921] 367) eam Missionis divisionem perfecit, quam instituere iam diu in votis erat, quamque numerus semper crescens christianorum atque operum exigebat (2). Vicariatus Kiang-sou Provinciae Franciae remansit, optime de hac Missione meritae, Vicariatus autem Ngan-hoei inter missionarios hispanicos et italicos, qui iam ex aliquot annis a Patribus gallicis de ratione colendi hunc campum edocti sunt, ita divisa est, ut ex tribus districtibus (sinice Tao), quibus provincia civilis Ngan-hoei constat ille qui versus septentriones iacet et Hoaise sive Feng-Yang appellatur, Prov. Taurinensi; medius Ngan-king Prov. Legionensi; meridianus Ou-hou Prov. Castellanae attributus sit. Patres taurinenses anno 1910, castellani 1913 in hanc Missionem venire coeperant. (*Act. Rom.* I [1910] 115 et [1913] 126).

RR. DD. Henricus Lécroart, Vicarius Apostolicus *Tche-ly merid.-orient.*, a S. Sede obtinuit ut ea pars Vicariatus, quae flumine Flavo a reliqua Missione separatur, finitimo Vicariatui Shan-tung adiungeretur; sic omnis difficultas traiciendi flumen illud tollitur. In hac regione anno 1920 erant 1388 catholici et 1643 catechumeni.

Cum S. Congregatio de Propaganda Fide voluisset ut Missio

---

(1) Interea petente Vicario Apostolico Missioni nomen pristinum redditum est.

(2) Provincia Ngan-hoei eo tempore (a. 1856) quo Patres galli eius curam susceperunt christianos minus 500 in duobus tantum pagis habebat; anno autem 1921 numerabat 73.912 christianos et 53.581 catechumenos. Incolae omnes eiusdem provinciae sunt circiter 25.000.000.

Hiroshimensis, quam a dioecesi Osaka separatam Societati commiserat, Patribus germanicis pro Missione Bombayensi traderetur, Pater Generalis decreto diei 31 iulii Provinciae Germaniae Inferioris attribuit etiam Collegium Tokyense, quod usque ad hoc tempus Praeposito Generali immediate subiectum erat.

RR. DD. Henricus de Saune, Vicarius Apostolicus Madagascar Centralis, seminarium, in Collegio S. Michaelis urbis Tananarivo ab aliquibus annis erectum, in vicinum pagum *Ambohipo* transtulit: novem in eo alumni indigenae theologiae, undecim philosophiae operam dant, tredecim in studio linguae latinae occupantur; cursus theologiae quattuor annos, philosophiae duos comprehendit.

Kwangensi Missioni (Prov. Belg.) a S. Sede addita est ea pars Vicariatus Kassai Superioris quae ad sinistram fluminis Loange iacet. RR. DD. Augustinus Declerq, cuius iurisdictionis districtus ille fuerat, id optaverat, quia Nostris facilior accessus ad regionem illam est quam suis. Statione in *Ipamu* mense septembri anni 1921 constituta hoc territorium occupatum est. (*Act. Rom. S. I.* III [1921] 313 sq.).

Patres Provinciae Californiae novam Stationem Missionis *Alaskae Borealis* in *Mountain Village* inchoarunt. Circiter 110 homines ibi habitant, quorum maxima pars Ecclesiae adhaeret; ceterorum alii protestantes sunt, alii fidem russiacam profitentur. Hos eorum sacerdos, qui vir rarae constantiae iam per 20 annos in asperrima illa sempiternae fere hiemis plaga degit et miro zelo laborat, ipse adhortatus est, ut religionem catholicam amplecterentur.

Nuntii ex Missionibus.

Missio in Albania (*Prov. Ven.*).

Socii huius Excurrentis Missionis Albaniensis superiore anno fuerunt Patres tres et unus Frater Coadiutor. A mense octobri totam archidioecesim scodrensem sacris missionibus excoluerunt, ut fieri solebat temporibus P. Dominici Pasi b. m., qui Missionem Excurrentem inchoaverat. Fructus ingentes revera fuerunt sicut in primis Missionis nostrae initiis; sufficiat ex. gr. meminisse 42 talionis remissiones, quae in publica ecclesia peractae sunt ante Patris missionarii pedes; hic Crucifixum sustinens illum porrigebat iis, qui tam heroice occisionem patris vel fratris vel parentis vel

amici unice ob Iesu Christi amorem condonantes in veniae datae significationem Crucifixum deosculabantur. Quae actio et missionariis et toti populo adstanti lacrimas saepe saepius exciebat. In missionum decursu plurima semper scandala evelluntur; multae confessiones generales excipiuntur; et pueri et puellae 7, 10 aut 12 annorum, qui per 6 aut 8 dies a nostro Fratre catechista in rebus fidei diligenter edocentur, ad 60, 80, 100 et 150 singulis mensibus numerati sunt.

Missio in Syria et in Armenia (Prov. Lugd.).

Beryti Collegium proprie dictum frequentarunt 630 discipuli; qui numerus numquam antea obtentus est. Etiam monachi non pauci ex variis orientalibus ordinibus tum Melchitarum tum Maronitarum, scholas nostras adire, ut ante bellum mos eorum erat, denuo coeperunt. Facultati medicinae gubernium gallicum aedificat nosocomium, ne illustris scholae alumni maiore studiorum facilitate allecti ad americanorum — protestantium — Facultatem dilabantur.

Specula sita quidem in praedio Ksara, sed dependens ab Universitate Berytensi, rogante et adiuvante gubernio, suscepit directionem observationum meteorologicarum in tota Syria; quibus cum adnexae maneant ut antea observationes astronomicae, magneticae, sismicae, specula iam evadit fere completa et non mediocris notae.

Conspectus scholarum elementarium Missionis Syriae a. 1921:

Scholae: 102; 47 pro pueris, 55 pro puellis.
Magistri: 114.
Magistrae: 139 (125 religiosae a SS. CC. Iesu et Mariae, 14 piae mulieres).
Pueri: 3386 } 8251.
Puellae: 4865 }

Cum die 1 decembris operibus Patrum nostrorum in Syria ab Academia Gallica praemium magnum virtutis quod vocant attributum esset, hac occasione usi, veteres alumni Collegiorum nostrorum in Oriente (Alexandrini, Berytensis, Cairensis), excellentissimo D. Mahmud Fakry Pacha duce, intima gratitudinis et fidelitatis sensa magistris suis telegrammate misso manifestarunt.

Quid de infelici Missione in Armenia futurum sit, difficile est dicere. Iam non adsunt catholici nisi admodum pauci; idem valet

de Armenis schismaticis. Nam postquam divulgatus est rumor de pacto inter Gubernium gallicum et Turcas facto, vi cuius Cilicia ex protectione gallica sub Turcarum potestatem redire debebat, subito pagos suos relinquentes miseri Armeni catervatim urbes maritimas petiverunt, ut inde in exteras regiones vicinas se reciperent: post unum mensem tota Cilicia Armenis orbata fuit. Urbs Adana ipsa, quia littori magis propinqua et discesssus inde facilior, omnes incolas armenos statim amisit; quo factum est ut Patribus fere nullum opus apostolicum relictum sit. Pars igitur illorum media (1) missa est in Universitatem Berytensem, reliqui remanserunt exspectantes, si qua futura sit rerum in melius mutatio.

Missio Mangalorensis (Prov. Ven.).

Apostolatus Orationis fere in omni paroecia dioeceseos mangalorensis est institutus, prima mensis feria sexta ubique Communione generali et summa pietate celebratur; promotores statutis diebus convenire solent neque foederi deest periodicum menstruum lingua konkanensi conscriptum, qua catholici regionis Kanara utuntur.

Mense maio clausus est primus annus scholae quam ad catechistas informandos Nostri instituerunt. Tentamen laetis fructibus non caruit; in praesentia enim iam 16 catechistae, qui hanc scholam frequentaverunt, missionarios gratissimi socii laboris adiuvant. Post experientiam hoc primo anno acquisitam certa spes est scholam catechisticam non mediocri utilitati fore Missioni.

Missio Bengalensis (Prov. Belg.).

Delegatus Apostolicus, RR. DD. Petrus Pisani, visitationem Indiae septentrionalis instituens in nostra Missione degit a die 27 nov. 1921 usque ad 19 apr. anni 1922. Ubique benignissimum se praestitit; ea quae videbat et audiebat, multum laudavit atque publice pollicitus est se apud S. Sedem valde esse commendaturum Missionem nostram, saepe dictitans ea quae hic aguntur magnae consolationi fore Summo Pontifici.

In regno Jashpur, quam Missionis partem Nostri novissimam occuparunt et ubi antea non paucas difficultates habuerunt, nunc

(1) Anno 1922 duo tantum Patres cum uno Fratre Coadiutore Adanae degunt; iam nemo armenus et paucissimi christiani remanent.

pleno gaudent favore Reguli eiusque filii atque «Agentis» gubernii anglici. Verumtamen, ut accidit in illis semibarbaris gentibus, magistratus inferiores nullam opem ferunt atque adeo, proprio arbitrio indulgentes et libidini, interdum omnis generis obstacula missionariis ponunt: hoc anno non potuerunt obtineri arbores ad perficiendam domum Ginabaharensem necessariae et christiani variis modis turbabantur in exercitiis religiosis et multis vexationibus obnoxii erant. Attamen mira patientia id ferunt; Patres autem indomita fortitudine et quieto animo tres novas Residentias instituendas parant.

Scholae mediae cum lingua vernacula (non anglica) ante duos annos apertae in tribus stationibus chota-nagporensibus prospere procedunt; magnam utilitatem, ut spes est, afferent iis pueris qui paulo altioris institutionis, qualis in Ranchi habetur, capaces non sunt. Praeterea magis et magis cogitatur de scholis industrialibus instituendis; una huius generis, quamquam modesta, hoc anno erecta est in statione Katkahi.

Societas cooperativa commercialis destinata ad vendendum indigenis res ad vitam necessarias, quae anno 1907 approbantibus Archiepiscopo et Superiore condita est, numquam prospera fuit et hoc anno tandem dissoluta est; simul tentatum ei substituere minores societates in centralibus Missionis stationibus, sed neque hae ad hoc usque tempus felicis exitus spem faciunt. Christiani enim nostri nondum intelligunt utilitatem huiusmodi operum socialium saepeque malunt paganos adire mercatores, a quibus misere decipiuntur.

Societas cooperativa argentaria quae eodem tempore condita est, melius procedit, etsi missionarios et in centro ranchensi et in variis stationibus multo labore gravat; revera catholicos iuvat iis mutuam dando pecuniam, cum indigent subsidio sive ad emenda semina vel animalia sive ad alias expensas faciendas.

Missio Madurensis (*Prov. Tolos.*).

In urbe Trichinopoly mense iulio (1921) inchoatum est Seminarium maius S. Pauli, ubi clerici saeculares indigenae vacant philosophiae 8, theologiae 9.

Trichinopolitani Collegii cursus universitarios 2276 iuvenes frequentant. Tres eorum inter candidatos omnes totius Praesi-

dentiae Madrasensis excelluerunt: unus enim primum praemium matheseos, alter physices, tertius oeconomiae politicae obtinuit.

Palamcottensis schola alta (« high school ») habet 1417 discipulos (425 catholicos), tuticorensis 609 (383 catholicos).

Ut ad humanum civilemque cultum adduceretur indica « casta » Latronum (Kaller), gubernium Nostros simul atque lutheranos missionarios protestantesque americanos rogavit, ut concilia mixta instituerent, quorum cura et aedes scholares aedificarentur et optimae notae magistri eligerentur sumptibus publicis remunerandi. Duobus Patribus huic labori addictis 45 scholae commissae sunt.

118. P. Ioachimus Farinha, nat. Peso (Beira Baixa) 23 nov. 1880, ing. 30 aug. 1895, Prof. 4 vot. 2 feb. 1916, ob. Bahia 4 mart. 1921; Prov. Lusitanae

119. P. Paulus Miller, nat. Preston 16 sept. 1871, ing. 7 sept. 1890, Coad. spir. 2 feb. 1909, ob. Georgetown (Guiana Brit.) 4 mart. 1921; Prov. Angliae.

120. C. Henricus Maks, nat. Beverwijk 19 sept. 1867, ing. 26 sept. 1892, Coad. temp. form. 2 feb. 1903, ob. Maastricht 7 mart. 1921; Prov. Neerlandicae.

121. C. Henricus Severijns, nat. Zolder-Viverselle (Limbourg) 7 aug. 1835, ing. 4 iun. 1864, Coad. temp. form. 15 aug. 1874, ob. Tronchiennes 13 mart. 1921; Prov. Belgicae.

122. P. Franciscus Bonnike, nat. Amsterdam 9 dec. 1842, ing. 26 sept. 1861, Prof. 4 vot. 2 feb. 1879, ob. Oudenbosch 14 mart. 1921; Prov. Neerlandicae.

123. P. Ioannes van den Tillaart, nat. Veghel 20 iun. 1868, ing. 22 sept. 1893, Prof. 4 vot. 2 feb. 1911, ob. Oudenbosch 16 mart. 1921; Prov. Neerlandicae.

124. P. Augustinus Pifarré, nat. Durro (Lérida) 30 iul. 1853, ing. 14 iul. 1879, Coad. spir. 15 aug. 1889, ob. Zaragoza 18 mart. 1921; Prov. Aragoniae.

125. C. Antonius Lingenauber, nat. Wiemeringhausen (Guestfalia) 11 maii 1879, ing. 30 sept. 1905, Coad. temp. form. 2 feb. 1916, ob. Valkenburg 19 mart. 1921; Prov. Germaniae Inf.

126. P. Alanus Le Dréau, nat. Laz (Finistère) 2 maii 1836, ing. 2 maii 1857, Coad. spir. 15 aug. 1872, ob. Paris 21 mart. 1921; Prov. Franciae.

127. C. Antonius Parmentier, nat. Freyneux (Luxembourg) 11 iul. 1867, ing. 19 mart. 1890, Coad. temp. form. 2 feb. 1901, ob. Kandy (Ceylan) 21 mart. 1921; Prov. Belgicae.

128. P. Ferdinandus Cermeño, nat. Rasueros (Avila) 18 oct. 1841, ing. 19 ian. 1870, Coad. spir. 2 feb. 1882, ob. Puerto de Santa Maria (Cádiz) 22 mart. 1921; Prov. Castellanae.

129. P. Ioannes McCluskey, nat. Dalkeith (Scotia) 18 sept. 1870, ing. 7 sept. 1891, Coad. spir. 2 feb. 1907, ob. Glasgow 22 mart. 1921; Prov. Angliae.

130. P. Eduardus Burkiewicz, nat. Marienburg (Borussia occident.) 25 maii 1839, ing. 13 dec.

1858, Coad. spir. 2 feb. 1871, ob. Kraków 23 mart. 1921; Prov. Poloniae.

131. C. Iacobus Brunet, nat. Cazavet (Ariège) 24 sept. 1846, ing. 14 aug. 1873, Coad. temp. form. 15 aug. 1883, ob. Toulouse 23 mart. 1921; Prov. Tolosanae.

132. P. Iosephus Zelle, nat. Bavilliers (Belfort) 22 feb. 1853, ing. 26 oct. 1874, Prof. 4 vot. 2 feb. 1891, ob. Chevrières (Loire) 24 mart. 1921; Prov. Lugdunensis.

133. C. Antonius Muller, nat. Urspringen (Germania) 21 ian. 1845, ing. 24 dec. 1867, Coad. temp. form. 2 feb. 1879, ob. Grand Coteau (Louisiana) 25 mart. 1921; Prov. Neo-Aurelianensis.

134. P. Michael Díez, nat. Valdesavero (León) 1 maii 1851, ing. 10 iul. 1868, Coad. spir. 2 feb. 1883, ob. Valladolid 26 mart. 1921; Prov. Legionensis.

135. P. Iosephus del Valle, nat. Latores (Asturias) 27 aug. 1876, ing. 4 oct. 1891, Prof. 4 vot. 2 feb. 1910, ob. Carrión de los Condes (Palencia) 28 mart. 1921; Prov. Legionensis.

136. P. Franciscus Chew, nat. Liverpool 16 iul. 1858, ing. 7 sept. 1874, Coad. spir. 15 aug. 1894, ob. Roehampton 2 apr. 1921; Prov. Angliae.

137. P. Alfredus Neut, nat. Gand 5 dec. 1845, ing. 26 sept. 1863, Coad. spir. 2 feb. 1881, ob. Calcutta 4 apr. 1921; Prov. Belgicae.

138. P. Carolus Mareira, nat. Póvoa (Castello de Paiva-Douro) 30 oct. 1856, ing. 14 ian. 1879, Coad. spir. 2 feb. 1891, ob. Bahia 4 apr. 1921; Prov. Lusitanae.

139. P. Victorianus Carmon, nat. Thyrimont (Hainaut, Belgium) 18 apr. 1844, ing. 13 nov. 1880, Coad. spir. 2 feb. 1895, ob. Le Caire 7 apr. 1921; Prov. Lugdunensis.

140. P. Iosephus Fouillet, nat. Vitré (Gallia) 27 oct. 1854, ing. 14 oct. 1875, Coad. spir. 2 feb. 1892, ob. Montréal 8 apr. 1921; Prov. Canadensis.

141. P. Iosephus Paré, nat. Montréal 1 nov. 1847, ing. 15 aug. 1867, Coad. spir. 15 aug. 1882, ob. Montréal 9 apr. 1921; Prov. Canadensis.

142. S. Ambrosius Castagna, nat. Mandello (Como) 12 oct. 1890, ing. 9 oct. 1907, Schol. approb., ob. Trento 11 apr. 1921; Prov. Venetae.

143. P. Archibaldus Campbell, nat. Ballachulish (Scotia) 12 apr. 1850, ing. 1 feb. 1871, Coad. spir. 2 feb. 1888, ob. Glasgow 13 apr. 1921; Prov. Angliae.

144. S. Gulielmus G. Busch, nat. Decatur (Illinois) 27 ian. 1899, ing. 2 sept. 1920, Schol. nov. ob. Florissant (Missouri) 15 apr. 1921; Prov. Missourianae.

145. P. Petrus Rochet, nat. Tarcienne (Namur) 27 sept. 1842, ing. 24 sept. 1875, Prof. 4 vot. 2 feb. 1889, ob. Liége 17 apr. 1921; Prov. Belgicae.

146. C. Edmundus Warembourg, nat. St-Martin-lez-Boulogne (Pas-de-Calais) 25 feb. 1871, ing. 20 sept. 1896, Coad. temp. form. 2 feb. 1907, ob. Florennes (Belgium) 17 apr. 1921; Prov. Campaniae.

147. C. Ioannes M. Le Ray, nat. Vannes (Morbihan) 5 aug. 1879, ing. 5 iul. 1898, Coad. temp. form. 8 sept. 1909, ob. Changhai (Sina) 18 apr. 1921; Prov. Franciae.

148. P. Michael MacMahon, nat. Patrick's Well prope Limerick (Hibernia) 25 dec. 1865, ing. 10 nov. 1887, Coad. spir. 2 feb. 1900, ob. Stonyhurst 19 apr. 1921; Prov. Angliae.

149. P. Iulius von Egloffstein, nat. Multhausen (Bavaria) 14 sept. 1849, ing. 6 iun. 1874, Prof. 4 vot. 2 feb. 1892, ob. San Francisco (California) 20 apr. 1921; Prov. Californiae.

150. P. Augustus Vaccon, nat. St.-Clément (Meurthe) 3 maii 1848, ing. 8 oct. 1869, Prof. 4 vot. 2 feb. 1888, ob. Amiens (Somme) 21 apr. 1921; Prov. Campaniae.

151. P. Gulielmus Salentin, nat. Rheinburg (Borussia) 17 mart. 1870, ing. 7 aug. 1890, Prof. 4 vot. 15 aug. 1910, ob. Mobile (Alabama) 21 apr. 1921; Prov. Neo Aurelianensis.

152. C. Carolus Pieters, nat. Nieucapelle (Bruges) 14 dec. 1881, ing. 8 mart. 1920, Coad. nov., ob. Gand 22 apr. 1921; Prov. Belgicae.

153. P. Ioannes Atkinson, nat. Buckland 7 dec. 1866, ing. 7 sept. 1883, Prof. 4 vot. 3 feb. 1902, ob. Wimbledon 23 apr. 1921; Prov. Angliae.

154. P. Theodorus Peters, nat. Dülken (Rhenania) 16 sept. 1848, ing. 21 iul. 1878, Prof. 4 vot. 15 aug. 1891, ob. Kemmendine (Birma) 24 apr. 1921; Prov. Germaniae Inf.

155. C. Ioannes Maria Noguès, nat. Oroix (Hautes Pyr.) 27 nov. 1865, ing. 30 oct. 1896, Coad. temp. form. 11 feb. 1907, ob. Tananarive 25 apr. 1921; Prov. Tolosanae.

156. C. Ladislaus Dražkowski, nat. Podgorz (Borussia occid.) 22 nov. 1877, ing. 30 ian. 1909, Coad. temp. form. 15 aug. 1920, ob. Wien-Lainz 25 apr. 1921; Prov. Austriae.

157. P. Iosephus Philips, nat. Borgerhout (Anvers) 19 sept. 1881, ing. 24 sept. 1900, Coad. spir. 2 feb. 1916, ob. Darjeeling 28 apr. 1921; Prov. Belgicae.

158. P. Gulielmus Forbes-Leith, nat. Versailles (Seine-et-Oise) 1 sept. 1833, ing. 9 oct. 1851, Prof. 4 vot. 2 feb. 1868, ob. Roehampton (Anglia) 30 apr. 1921; Prov. Franciae.

159. P. Gilbertus André, nat. Costaros (Haute Loire) 22 mart. 1880, ing. 24 sept. 1898, Prof. 4 vot. 2 feb. 1917, ob. Shembaganur (India) 30 apr. 1921; Prov. Tolosanae.

160. P. Bertrandus Rouillon, nat. Huos (Haute Gar.) 17 nov. 1831, ing. 12 nov. 1850, Coad. spir. 2 feb. 1869, ob. Stonyhurst 4 maii 1921; Prov. Tolosanae.

161. P. Ioannes De Smet, nat. Swevezeele (Bruges) 17 maii 1852, ing. 24 sept. 1874, Coad. spir. 3 feb. 1890, ob. Noatolli (Calcutta) 5 maii 1921; Prov. Belgicae.

162. P. Gulielmus Groeger, nat. Leobschütz (Silesia) 17 maii 1837, ing. 14 ian. 1858, Coad. spir. 2 feb. 1872, ob. Kalocsa 8 maii 1921; Prov. Hungariae.

163. P. Leontius Rebière, nat. Tulle (Corrèze) 14 dec. 1844, ing.

25 sept. 1876, Coad. spir. 15 aug. 1887, ob. Madura (India) 9 maii 1921; Prov. Tolosanae.

164. P. Petrus Pizzolari, nat. Legnago (Verona), 3 aug. 1853, ing. 25 nov. 1869, Coad. spir. 2 feb. 1885, ob. Bergamo 10 maii 1921; Prov. Venetae.

165. C. Henricus Toussaint, nat. Machtum (Luxembourg) 9 apr. 1878, ing. 2 feb. 1895, Coad. temp. form. 15 aug. 1906, ob. Tronchiennes 10 maii 1921; Prov. Belgicae.

166. P. Iosephus M. Soler, nat. Pau (Gerona) 7 ian. 1839, ing. 27 aug. 1856, Prof. 4 vot. 2 feb. 1874, ob. Barcelona 11 maii 1921; Prov. Aragoniae.

167. C. Ioannes Mier, nat. Camasobres (Palencia) 13 maii 1846, ing. 17 apr. 1878, Coad. temp. form. 15 aug. 1888, ob. Oña (Burgos) 12 maii 1921; Prov. Legionensis.

168. P. Ioannes Frink, nat. Montabaur (Nassovia) 24 feb. 1832, ing. 23 dec. 1856, Prof. 4 vot. 2 feb. 1894, ob. Valkenburg 13 maii 1921; Prov. Germaniae Inf.

169. P. Ioannes A. Pfister, nat. Cleveland (Ohio) 31 ian. 1875, ing. 30 aug. 1893, Coad. spir. 2 feb. 1911, ob. Kingston (Iamaica) 13 maii 1921; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

170. P. Franciscus L. Fenwick, nat. Baltimore (Maryland) 21 iun. 1884, ing. 15 sept. 1904, Schol. approb., ob. Georgetown (District of Columbia) 14 maii 1921; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

171. C. Franciscus Madriñán, nat. Lalin (Pontevedra, Hispania) 29 iun. 1848, ing. 14 dec. 1877, Coad. temp. form. 2 feb. 1888, ob. Mendoza 14 maii 1921; Prov. Argentino-Chilensis.

172. C. Nicolaus Visconti, nat. Montefusco (Avellino) 28 aug. 1835, ing. 14 nov. 1857, Coad. temp. form. 2 feb. 1868, ob. Napoli 16 maii 1921; Prov. Neapolitanae.

173. C. Vincentius Lombardozzi, nat. Ferentino (Roma) 7 feb. 1848, ing. 21 nov. 1868, Coad. temp. form. 15 aug. 1879, ob. Roma 17 maii 1921; Prov. Romanae.

174. P. Mathias Sarasola, nat. Baliarráin (Guipúzcoa) 4 ian. 1870, ing. 29 apr. 1886, Coad. spir. 2 feb. 1903, ob. Burgos 19 maii 1921; Prov. Castellanae.

175. P. Aloisius Ragaru, nat. Combrée (Maine-et-Loire) 29 nov. 1847, ing. 10 nov. 1869, Coad. spir. 2 feb. 1886, ob. Montréal (Canada) 24 maii 1921; Prov. Franciae.

176. P. Ernestus Rembry, nat. Warneton (Nord) 12 dec. 1881, ing. 18 nov. 1901, Prof. 4 vot. 19 mart. 1919, ob. Metz (Moselle) 25 maii 1921; Prov. Campaniae.

177. P. Otto Weishaupt, nat. Mekkenbeuren (Württemberg) 24 iun. 1855, ing. 30 sept. 1871, Coad. spir. 2 feb. 1889, ob. Bombay 25 maii 1921; Prov. Germaniae Superioris.

178. P. Ioannes Boschi, nat. Bertinoro (Forlì, Italia) 29 sept. 1862, ing. 20 oct. 1882, Coad. spir. 15 aug. 1895, ob. San José (California) 26 maii 1921; Prov. Californiae.

179. C. Ignatius Ackerl, nat. Altenberg (Austria sup.) 19 iul.

1854, ing. 19 sept. 1878, Coad. temp. form. 2 feb. 1889, ob. Linz 26 maii 1921; Prov. Austriae.

180. P. Caietanus Bertocchi, nat. Ferrara, 4 iul. 1841, ing. 23 apr. 1858, Coad. spir. 19 mart. 1873, ob. Oaxaca (Mexico) 31 maii 1921; Prov. Romanae.

181. C. Franciscus Jost, nat. Obergestelen (Helvetia) 29 sept. 1842, ing. 2 feb. 1861, Coad. temp. form. 15 aug. 1873, ob. Spring Hill (Alabama) 10 iun. 1921; Prov. Neo Aurelianensis.

182. P. Franciscus O'Donnell, nat. Ballingerry (Hibernia) 31 aug. 1849, ing. 15 maii 1873, Coad. spir. 2 feb. 1889, ob. Barbados (Indiae occidentales) 11 iun. 1921; Prov. Angliae.

183. P. Augustus Lebrocquy, nat. Gand 1 iun. 1847, ing. 27 sept. 1866, Coad. spir. 2 feb. 1883, ob. Arlon 17 iun. 1921; Prov. Belgicae.

184. P. Franciscus Ser. Jarabáč, nat. St. Ves ad Brušperk (Moravia) 24 dec. 1868, ing. 29 apr. 1894, Coad. spir. 15 aug. 1906, ob. Velehrad 17 iun. 1921; Viceprov. Cechoslovacae.

185. C. Iosephus Legaristi, nat. Placencia (Guipúzcoa) 8 feb. 1842, ing. 31 iul. 1861, Coad. temp. form. 10 nov. 1872, ob. Loyola 19 iun. 1921; Prov. Castellanae.

186. P. Augustinus M. Effinger, nat. Cincinnati 27 aug. 1855, ing. 17 sept. 1874, Coad. spir. 15 aug. 1893, ob. Omaha (Nebraska) 23 iun. 1921; Prov. Missourianae.

187. S. Gulielmus P. Gormaly, nat. Toronto (Canada) 30 apr. 1892, ing. 25 iul. 1912, Schol. approb., ob. Belize (Honduras Britt.) 23 iun. 1921; Prov. Missourianae.

188. P. Franciscus Gaillard, nat. S. Paul de Salers (Cantal) 16 nov. 1851, ing. 23 oct. 1877, Coad. spir. 2 feb. 1889, ob. Vals 24 iun. 1921; Prov. Tolosanae.

189. P. Iosephus M. Heinrich, nat. Moosch (Haut-Rhin) 11 nov. 1863, ing. 16 oct. 1890, Coad. spir. 3 feb. 1902, ob. Strasbourg (Bas-Rhin) 26 iun. 1921; Prov. Campaniae.

190. P. Marianus Ronchi, nat. Imola (Bologna) 8 sept. 1863, ing. 24 nov. 1879, Prof. 4 vot. 2 feb. 1897, ob. S. Paulo (Brasilia) 27 iun. 1921; Prov. Romanae.

191. P. Iosephus Franz, nat. Simmringen (Württemberg) 27 oct. 1868, ing. 30 sept. 1895, Prof. 4 vot. 2 feb. 1909, ob. Feldkirch 27 iun. 1921; Prov. Germaniae Superioris.

192. P. Franciscus X. László, nat. Budapest 13 nov. 1876, ing. 18 iul. 1904, Prof. 4 vot. 2 feb. 1920, ob. Budapest 27 iun. 1921; Prov. Hungariae.

193. P. Firminus Tilman, nat. Virton 23 feb. 1848, ing. 28 oct. 1870, Coad. spir. 2 feb. 1884, ob. Namur 27 iun. 1921; Prov. Belgicae.

194. P. Iulius Brinkmann, nat. Legden (Guestfalia) 2 dec. 1849, ing. 25 oct. 1871, Coad. spir. 15 aug. 1886, ob. Estrella (Brasilia) 2 iul. 1921; Prov. Germaniae Superioris.

195. P. Bartholomaeus Leceta, nat. San Vicente de Arana (Alava) 24 aug. 1841, ing. 20 nov. 1884, Coad. spir. 2 feb. 1895, ob. Sa-

lamanca 2 iul. 1921; Prov. Castellanae.

196. P. Ioannes B. Aschenbrenner, nat. Neunburg (Bavaria) 24 sept. 1843, ing. 1 oct. 1867, Prof. 4 vot. 2 feb. 1881, ob. Tisis 4 iul. 1921; Prov. Germaniae Superioris.

197. C. Ioannes Pérez, nat. Vellús (Valencia) 7 aug. 1850, ing. 12 nov. 1874, Coad. temp. form. 15 aug. 1885, ob. Manila 4 iul. 1921; Prov. Aragoniae.

198. C. Iosephus Prat Vilalta, nat. Manresa 18 mart. 1850, ing. 30 iul. 1867, Coad. temp. form. 15 aug. 1880, ob. Valencia 6 iul. 1921; Prov. Aragoniae.

199. C. Ioannes Haupt, nat. Defere (Stat. Foed. Americae) 13 dec. 1858, ing. 1 feb. 1909, Coad. temp. form. 2 feb. 1919, ob. Umvuma (Rhodesia) 6 iul. 1921; Prov. Angliae.

200. P. Radulphus de Scorraille, nat. Périgueux 24 ian. 1842, ing. 14 iul. 1860, Prof. 4 vot. 2 feb. 1877, ob. Mons (Gers) 11 iul. 1921; Prov. Tolosanae.

201. C. Aloisius Bilgery, nat. in Langenschimmer (Württemberg) 3 iul. 1847, ing. 5 mart. 1865, Coad. temp. form. 15 aug. 1877, ob. 's Heerenberg 11 iul. 1921; Prov. Germaniae Superioris.

202. P. Petrus De Backer, nat. Anvers 14 aug. 1849, ing. 27 sept. 1868, Coad. spir. 2 feb. 1885, ob. Liége 13 iul. 1921; Prov. Belgicae.

203. P. Iacobus Riba, nat. Igualada (Barcelona) 27 maii 1844, ing. 4 oct. 1862, Coad. spir. 2 feb. 1880, ob. Tortosa (Tarragona) 20 iul. 1921; Prov. Aragoniae.

204. S. Claudius M. Bakewell, nat. St. Louis 9 maii 1892, ing. 2 oct. 1910, Schol. approb., ob. Prairie du Chien (Wisconsin) 20 iul. 1921; Prov. Missourianae.

205. C. Ioannes Baptista Tremblay, nat. St-Simon (Québec) 14 dec. 1843, ing. 29 oct. 1864, Coad. temp. form. 15 aug. 1876, ob. Spanish (Ontario) 22 iul. 1921; Prov. Canadensis.

206. P. Ioannes de Mérignargues, nat. Nîmes (Gard) 13 iul. 1875, ing. 30 oct. 1899, Prof. 4 vot. 2 feb. 1916, ob. Avignon 30 iul. 1921; Prov. Lugdunensis.

207. P. Alexander Petticher. nat. Selmecbánya (Hon) 19 mart. 1844, ing. 7 sept. 1869, Coad. spir. 2 feb. 1884, ob. Kalocsa 30 iul. 1921; Prov. Hungariae.

208. P. Iosephus Pascal, nat. Dionay (Isère) 30 mart. 1859, ing. 7 oct. 1886, Coad. spir. 15 aug. 1901, ob. Saint-Chamond (Loire) 31 iul. 1921; Prov. Lugdunensis.

209. P. Ludovicus Le Cornec, nat. Guingamp (Côtes-du-Nord) 13 nov. 1854, ing. 15 aug. 1874, Prof. 4 vot. 2 feb. 1894, ob. Changhai (Sina) 1 aug. 1921; Prov. Franciae.

210. P. Iosephus Zwinge, nat. New York 28 mart. 1855, ing. 29 aug. 1873, Coad. spir. 3 feb. 1890, ob. Poughkeepsie 6 aug. 1921; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

211. P. Aemilius Diebold, nat. Strasbourg (Alsatia) 30 mart. 1874, ing. 7 sept. 1893, Prof. 4 vot. 2 feb. 1913, ob. New Orleans 7 aug. 1921; Prov. Neo Aurelianensis.

212. P. Alphonsus Taïx, nat. Bédarieux (Hérault) 25 apr. 1835, ing. 12 oct. 1852, Coad. spir. 8 sept. 1870, ob. Tananarive 8 aug. 1921; Prov. Tolosonae.

213. C. Emmanuel Claret, nat. Manresa (Hispania) 10 oct. 1852, ing. 15 aug. 1875, Coad. temp. form. 2 feb. 1887, ob. Buenos Aires 10 aug. 1921; Prov. Argentino-Chilensis.

214. C. Petrus Schäfer, nat. Johannesberg (Rhenania) 24 feb. 1881 ing. 30 sept. 1897, Coad. temp. form. 2 feb. 1912, ob. Grahamstown (Africa Merid.); 11 aug. 1921 corpus inventum; ex die 24 iul. iam non est visus. Prov. Germaniae Inf.

215. P. Aloisius Duquesne, nat. Arras (Pas-de-Calais) 12 feb. 1859, ing. 18 oct. 1879, Prof. 4 vot. 2 feb. 1897, ob. Sien-hsien (Sina) 12 aug. 1921; Prov. Campaniae.

216. P. Felicianus Czarlinski, nat. Brachnówka (Borussia occidentalis) 7 iul. 1868, ing. 14 iun. 1888, Coad. spir. 2 feb. 1904, ob. Kasanje (Rhodesia) 13 aug. 1921; Prov. Poloniae.

217. P. Constantinus Coopman, nat. Arnhem 23 nov. 1870, ing. 26 sept. 1891, Schol. approb., ob. Mariëndaal 13 aug. 1921; Prov. Neerlandicae.

218. C. Petrus Seurynck, nat. Anchorville (Michigan) 31 dec. 1874, ing. 13 aug. 1897, Coad. temp. form. 15 aug. 1907, ob. Cleveland 13 aug. 1921; Prov. Missourianae.

219. P. Lucianus Hans, nat. Vieux Thann (Haut Rhin) 8 aug. 1871, ing. 16 aug. 1890, Coad. spir. 8 sept. 1906, ob. Shembaganur (India) 19 aug. 1921; Prov. Tolosanae.

220. C. Carolus Serra, nat. Vercelli 19 aug. 1873, ing. 22 nov. 1908, Coad. temp. form. 2 feb. 1919, ob. Gozzano (Novara) 21 aug. 1921; Prov. Taurinensis.

221. P. Iacobus Cleary, nat. Tipperary (Hibernia) 10 maii 1841, ing. 7 sept. 1866, Coad. spir. 2 feb. 1878, ob. Sevenhills (Australia) 22 aug. 1921; Prov. Hiberniae.

222. C. Anastasius Izco, nat. Olleta (Navarra) 22 ian. 1901, ing. 4 feb. 1918, ob. Celorio (Asturias) 24 aug. 1921; Prov. Legionensis.

223. P. Iosephus M. Briansó, nat. Castelvell (Tarragona, Hispania) 13 maii 1867, ing. 2 iul. 1881, Coad. spir. 2 feb. 1904, ob. Buenos Aires 25 aug. 1921; Prov. Argentino-Chilensis.

224. C. Carolus I. Studer, nat. Washington (Missouri) 28 ian. 1869, ing. 1 sept. 1892, Coad. temp. form. 15 aug. 1903, ob. Belize (Honduras Britt.) 29 aug. 1921; Prov. Missourianae.

225. P. Ioannes Kusters, nat. Einighausen (Limburg) 6 sept. 1849, ing. 26 sept. 1868, Coad. spir. 2 feb. 1885, ob. Magelang (Iava) 30 aug. 1921; Prov. Neerlandicae.

226. P. Antonius Oddon, nat. Romeyer (Puy-de-Dôme) 15 mart. 1850, ing. 2 sept. 1873, Coad. spir. 2 feb. 1890, ob. Constantinople 30 aug. 1921; Prov. Lugdunensis.

227. S. Philippus Vispo, nat. Madrid 22 nov. 1897, ing. 7 sept. 1914, Schol. approb., ob. Oña (Burgos) 30 aug. 1921; Prov. Legionensis.

228. P. Iosephus A. Mulry, nat. New York 8 feb. 1874, ing. 31 oct. 1890, Coad. spir. 2 feb. 1910, ob. Philadelphia (Pennsylvania)

31 aug. 1921; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

229. C. Anicetus López, nat. Tuvilla (Burgos) 6 aug. 1855, ing. 7 sept. 1885, Coad. temp. form. 2 feb. 1896, ob. Roma 1 sept. 1921; Prov. Castellanae.

230. C. Ioannes Ascasíbar, nat. Elgueta (Guipúzcoa) 22 iul. 1896, ing. 12 dec. 1915, ob. Bogotá (Colombia) 8 sept. 1921; Prov. Castellanae.

231. P. Iosephus Krol, nat. Stavelot (Belgium) 24 iun. 1876, ing. 23 sept. 1894, Coad. spir. 7 feb. 1911, ob. Madagascar 11 sept. 1921; Prov. Tolosanae.

232. S. Gabriel G. Bachner, nat. Terre Haute (Indiana) 6 ian. 1895, ing. 25 iul. 1914, Schol. approb., ob. Belize (Honduras Britt.) 11 sept. 1921; Prov. Missourianae.

233. P. Theodorus Leyhausen, nat. Reusrath (Rhenania, Germania) 9 aug. 1853, ing. 30 sept. 1871, Coad. spir. 2 feb. 1889, ob. Köln 12 sept. 1921; Prov. Lugdunensis.

234. S. Albertus I. Heney, nat. San Francisco (California) 27 apr. 1895, ing. 29 iul. 1909, Schol. approb., ob. Salem (Oregon) 13 sept. 1921; Prov. Californiae.

235. C. Iosephus Geelen, nat. Mechelen (Limb. Belg.) 1 aug. 1864, ing. 26 sept. 1897, Coad. temp. form. 2 feb. 1908, ob. Oudenbosch 13 sept. 1921; Prov. Neerlandicae.

236. P. Alfredus Trück, nat. Strasbourg (Bas-Rhin) 28 iul. 1841, ing. 18 mart. 1867, Coad. spir. 2 feb. 1875, ob. Lausanne (Helvetia) 14 sept. 1921; Prov. Franciae.

237. P. Augustus Jean, nat. Farigoules (Haute-Loire) 15 oct. 1833, ing. 19 oct. 1852, Prof. 4 vot. 2 feb. 1870, ob. Shembaganur 15 sept. 1921; Prov. Tolosanae.

238. P. Paulus Clouet, nat. Le Mans (Sarthe) 6 ian. 1856, ing. 18 oct. 1881, Coad. spir. 3 feb. 1896, ob. Poitiers (Vienne) 18 sept. 1921; Prov. Franciae.

239. P. Iosephus Larrondobuno, nat. Tolosa (Guipúzcoa) 30 iun. 1872, ing. 16 feb. 1888, Coad. spir. 2 feb. 1906, ob. Logroño 19 sept. 1921; Prov. Castellanae.

240. C. Franciscus Arrieta, nat. Ochandiano (Vizcaya) 4 oct. 1859, ing. 30 iul. 1879, Coad. temp. form. 2 feb. 1891, ob. Lima (Perú), 19 sept. 1921; Prov. Toletanae.

241. C. Raimundus Mendizábal, nat. San Sebastián (Guipúzcoa) 11 ian. 1880, ing. 14 aug. 1900, Coad. temp. form. 15 aug. 1910, ob. New Orleans (Status Foed. Am.) 29 sept. 1921; Prov. Castellanae.

242. P. Aloisius Mari, nat. Gorla Minore (Milano) 9 nov. 1866, ing. 20 iul. 1916, Schol. approb., ob. Venezia 30 sept. 1921; Prov. Venetae.

Defuncti a die 1 octobris 1920 ad diem 30 septembris 1921:

PP. 168 — Schol. 13 — Coad. 61 — Universi 242.

INDEX ALPHABETICUS

DEFUNCTORUM A DIE 1 OCT. 1920 AD DIEM 30 SEPT. 1921

Ackerl I., 26 maii
André G., 30 apr.
Annacker C., 25 oct.
Arrieta F., 19 sept.
Ascasíbar I., 8 sept.
Aschenbrenner I. B., 4 iul.
Atkinson I., 23 apr.

Bachner G., 11 sept.
Bakewell C., 20 iul.
Balmont I., 9 nov.
Balzer P., 22 ian.
Barrantes M., 20 dec.
Bertocchi C., 31 maii
Bilgery A., 11 iul.
Bollen I., 1 nov.
Bonnike F., 14 mart.
Bonsans E., 6 ian.
Boschi I., 26 maii
Bosmin A., 30 dec.
Bousseau I., 11 nov.
Brandis E., 3 ian.
Briansó I., 25 aug.
Brinkmann I., 2 iul.
Brunet I., 23 mart.
Burkiewicz E., 23 mart.
Busch G., 15 apr.
Byrnes I., 13 dec.

Campbell A., 13 apr.
Capilupi C., 18 nov.
Carmon V., 7 apr.
Carrera S., 17 ian.
Carrez L., 7 oct.
Caruel C., 17 nov.
Casalone D., 6 nov.
Castagna A., 11 apr.
Castellar E., 29 nov.
Caterini A., 25 dec.
Cermeño F., 22 mart.
Chalfoun I., 23 dec.
Chartron M., 31 ian.
Chenn A., 27 ian.
Cherta I., 6 nov.
Chew F., 2 apr.
Claret E., 10 aug.
Cleary I., 22 aug.
Clouet P., 18 sept.
Collin H., 26 dec.
Colleoni I. I., 31 oct.
Colman M., 4 oct.
Coopman C., 13 aug.
Coppens C., 14 dec.
Costa I., 18 nov.
Czarlinski F., 13 aug.

De Backer P., 13 iul.
De Smet I., 5 maii
Diebold A., 7 aug.
Díez M., 26 mart.
Dijk (van) I., 26 nov.
Douste V., 12 dec.
Dowdle R., 22 feb.
Drazkowski L., 25 apr.
Dumana I., 1 ian.
Duquesne A., 12 aug.

Effinger A., 23 iun.
Egloffstein (von) I., 20 apr.
Elustondo I., 30 ian.
Endriss A., 12 nov.
Erbacher H. I., 8 nov.
Ernes F., 5 dec.

Farinha I., 4 mart.
Fels B., 30 dec.
Fenwick F., 14 maii
Fidalgo I., 27 dec.
Fontaine I., 3 mart.
Forbes-Leith G., 30 apr.
Fouillet I., 8 apr.
Franz I., 27 iun.
Frink I., 13 maii

Gagnieur A., 10 feb.
Gaillard F., 24 iun.
Geelen A., 11 dec.
Geelen I., 13 sept.
Gerste A., 27 nov.
Gisler E., 4 ian.
Gormaly G., 23 iun.
Groeger G., 8 maii
Guibé V., 7 feb.

Haghenbeek L., 21 nov.
Hahn I., 26 feb.
Hanf W., 8 nov.
Hans L., 19 aug.
Haupt I., 6 iul.
Hauser C., 14 ian.
Heinrich I., 6 nov.
Heinrich I. M., 26 iun.
Heney A., 13 sept.
Hengesch N., 28 dec.
Hernández P., 16 feb.
Hervé I., 18 ian.
Hoek (van) V., 21 oct.
Hogan I. P., 10 oct.
Hommes W., 15 nov.
Hoppen G., 29 ian.

Iacoli H., 12 feb.
Ibeas R., 26 dec.
Izco A., 24 aug.

Jarabác F. S., 17 iun.
Jaros I., 26 feb.
Jean A., 15 sept.
Jeganather P., 7 oct.
Jost F., 10 iun.

Kallen G., 24 feb.
Keller A., 27 oct.
King C., 9 ian.
Krol I., 11 sept.
Kusters I., 30 aug.

Laffely F., 6 feb.
Larrondobuno I., 19 sept.
Lasala P., 27 oct.
Lasaleta E., 4 feb.
László F. X., 27 iun.
Lauriol A., 22 oct.
Lawson G., 28 nov.
Lebrocquy A., 17 iun.
Leceta B., 2 iul.
Le Cornec L., 1 aug.
Le Dréau A., 21 mart.
Legaristi I., 19 iun.
Le Ray I., 18 apr.
Leyhausen T., 12 sept.
Lhuillier G., 26 ian.
Lingenauber A., 19 mart.
Lionnet I., 10 ian.

Lleonart I., 28 dec.
Llombart I., 21 ian.
Lombardozzi V., 17 maii
López A., 1 sept.
López E., 25 feb.
López de Pajares M., 17 nov.
López V., 24 ian.
Loughran P., 10 feb.

MacMahon M., 19 apr.
Madriñán F., 14 maii
Maks H., 7 mart.
Mari A., 30 sept.
Maurin C., 28 oct.
McCluskey I., 22 mart.
Mendizábal R., 29 sept.
Menne A., 15 oct.
Mérignargues (de) I., 30 iul.
Meseguer A., 19 dec.
Mier I., 12 maii
Miller P., 4 mart.
Möllers B., 18 feb.
Moreira C., 4 apr.
Mouterde G., 25 nov.
Muller A., 25 mart.
Mulry I., 31 aug.
Murphy P., 28 dec.

Neut A., 4 apr.
Nicolas E., 14 ian.
Noguès I., 25 apr.
Nuckowski I., 4 nov.

Obdrzálek F. S., 5 nov.
Oddon A., 30 aug.
O'Donnell F., 11 iun.
O'Leary T., 27 nov.
Otaño C., 2 ian.
Otis A., 23 feb.

Padreddi B., 15 nov.
Paré I., 9 apr.
Parmentier A., 21 mart.
Pascal I., 31 iul.
Pérez I., 4 iul.
Peters T., 24 apr.
Petticher A., 30 iul.
Pfister I., 13 maii
Philips I., 28 apr.
Pieters C., 22 apr.
Pifarré A., 18 mart.
Pizzolari P., 10 maii
Plater C., 21 ian.
Prat I., 6 iul.
Proulx S., 28 nov.

Quereda S., 10 dec.

Ragaru A., 24 maii
Reau (du) P., 29 oct.
Rebière L., 9 maii
Rejzek A., 6 dec.
Rembry E., 25 maii
Riba I., 20 iul.
Riega I., 4 oct.
Robert M., 10 feb.
Rochet P., 17 apr.
Ronchi M., 27 iun.
Rosselló E., 13 ian.
Rossetti A., 23 nov.
Rouillon B., 4 maii
Rouppe van der Voort T., 21 feb.

Salentin G., 21 apr.
Sánchez Prieto M., 19 dec.
Sander G., 4 dec.
Sarasola M., 19 maii
Schäfer P., 11 aug.
Scorraille (de) R., 11 iul.
Seitz H., 19 oct.
Serra C., 21 aug.
Seurynck P., 13 aug.
Severijns H., 13 mart.
Sinner L., 8 ian.
Sluka F. S., 16 dec.
Sœhnlin L., 14 oct.
Soler I., 11 maii
Studer C., 29 aug.
Swagemakers F., 31 ian.
Szajna I., 13 nov.

Taïx A., 8 aug.
Tejada R., 29 oct.
Tierny P., 17 dec.
Tillaart (van den) I. 16 mart.
Tilman F., 27 iun.
Toussaint H., 10 maii
Tremblay I. B., 22 iul.
Trück A., 14 sept.

Vaart (van der) I., 8 nov.
Vaccon A., 21 apr.
Valeur H., 29 ian.
Valle (del) I., 28 mart.
Velázquez R., 24 ian,
Villada P., 15 ian.
Visconti N., 16 maii
Vispo P., 30 aug.

Walachiewicz A., 17 oct.
Walsh R., 20 ian.
Warembourg E., 17 apr.
Weiler I., 12 ian.
Weishaupt O., 25 maii
Wichard E., 7 dec.

Zbiegien F., 25 nov.
Zelle I., 24 mart.
Zugasti I. A., 8 oct.
Zwinge I., 6 aug.

Impr. 25 ian. 1923

MEMORABILIA

SOCIETATIS IESU

ANNI 1922

AD USUM NOSTRORUM TANTUM



ROMAE
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS
1923

GRAFÌA, S. A. I. INDUSTRIE GRAFICHE

PARS PRIMA

1.

PONTIFICIA LEGATIO
AD SUBVENIENDUM RUSSIAE FAMELICIS CONSTITUTA.

« Horribilis inauditaeque cladis testes sumus. Innumerabilis multitudo fame, typho, asiatico morbo peritura steriles pervagatur campos et panem quaerens, in regiones magis frequentatas agitur, unde tamen vi et armis miserrime repellitur. Decies centena milia crudeli morte peritura, totius humani generis auxilium petunt ».

Hisce fere verbis Benedictus XV p. m. epistola sua ad Cardinalem Secretarium Status die 5 augusti 1921 data totum orbem catholicum monuit, ut infantibus in Russia inedia pereuntibus omnes succurrerent. Tanta enim erat in meridionali plaga fames, ut revera decies centena milia virorum, mulierum, puerorum, propriis domibus derelictis, alias invaserint regiones cibum quaerentes. Herba, cortex arborum, vermes, paleae, immo — horribile dictu — cadavera bestiarum hominumque cibo erant infelicibus. Tantus denique morientium numerus, ut corpora ne sepeliri quidem possent. Nive autem et glacie veris tempore dissoluta uno in loco ad flumen Volgam decem milia cadaverum palam apparuerunt. Nec aliter ac Decessoris sensit paternus animus Pii XI, qui vehementissime tali commiserans necessitati, huic quasi bellum indixit christiani nominis causa, quare Missionem Pontificiam, quae subsidia totius orbis terrarum afferret, in Russiam mittere intendit, ut perituros salvaret. Pontificii igitur operis praeclarissimi initia atque progressus, in quantum Nostri in eodem partem habuerunt, paucis enarrare iuvat.

Cum atrocissimo europaeo bello vix finito, dira gentem russiacam fames paene consumere coepisset, inter varias nationes

auxilium ferentes Gubernium Statuum Foederatorum Americae eminuit, instituendo Moscoviae amplissimum opus auxiliorum (Relief Expedition). Cui praeerat D. W. Haskell, exercitus americani dux, optimus catholicus, Patri Edmundo Walsh (Prov. Maryl.-Neo Eb.), eo tempore Paredii in Gallia tertiam agenti Probationem, amicissimus. Vi contractus Gubernium Americae inter et Sovietarum initi omnes religiones suum in consilio communi Moscoviae degenti delegatum habuerunt. Ex catholicis vero nemo ibidem aderat.

Enixe igitur iterum iterumque D. Haskell institit, ut P. Walsh ad tempus saltem Moscoviam veniret, praesertim quod idem erat desiderium concilii ab Episcopis Statuum Foederatorum rebus quibusdam communibus curandis instituti (National Catholic Welfare Council), quod P. Walsh suum Moscoviae in opere auxiliorum delegatum mense februario nominaverat. Interea dum Summus Pontifex genti Russiacae succurrere cogitat, Pater Noster opus hoc quam maxime Societati carum esse S. Sedi manifestat, pro viribus auxilium offerens; simul totius Societatis filios epistola die 25 februarii 1922 ad omnes Praepositos Provinciarum data paterne exhortatur, ut ad tantam calamitatem propulsandam subsidia Romam mittant, et aptos ex variis Provinciis Socios seligit, ut ad nutum S. Sedis sese sistant, missionem suscepturi, quae ob variorum morborum contagionem et rei publicae incertam condicionem summo periculo non vacabat. Tanta autem fuit liberalitas omnium Provinciarum, ut iam die 31 martii 1922 primam eleemosynam — decem milia libellarum — Pater Generalis nomine Societatis Beatissimo Patri obtulerit simul cum nominibus Sociorum, quos delegerat ex plurimis qui ad missionem suscipiendam et mortem ipsam obeundam certatim sese obtulerant; erant autem P. Ioannes Capello e Prov. Lugdunensi, P. Dominicus Piemonte e Prov. Veneta, Fr. C. Iosephus Belokostolsky e Viceprov. Cechoslovachiae.

Iam prius P. Walsh Romam venerat, cui Em. Cardinalis Gasparri nomine ipsius Summi Pontificis opus auxiliorum in Russia instituendum commiserat, haec ei die 8 martii scribens: « Le Saint Siège autorise Mr. l'abbé Walsh à s'occuper de préparer l'organisation des secours pontificaux pour la Russie. Il bénit tous les efforts qu'il fera pour mieux montrer aux Russes l'amour du Saint Père à leur égard et prie Dieu de récompenser tous ceux qui

l'aideront » (Sancta Sedes sacerdoti D. Walsh potestatem facit instituendi opus pontificium ad auxilia Russiacis ferenda. Benedicit omnibus conatibus, quos faciet, ut Russiaci melius intelligant, quanto eos Sanctus Pater prosequatur amore Deumque rogat, ut omnibus retribuat, qui eum iuvabunt). Quibus litteris acceptis P. Walsh Urbem continuo reliquit.

Haec autem fuit prima eius epistola Moscoviae die 26 martii data: « Feliciter, at non sine difficultatibus Roma per Rigam Moscoviam die 23 perveni. Rigae, quod est caput Lettoniae, variarum rerum copiam necessariam coëmimus: parvas fornaces, candelas, pulvinaria, cibos. Deficiente carbone, lentissime procedebat machina. Quodam loco per 24 horas nobis exspectandum fuit, donec currus Gubernii Sovietarum viatores excepit. Quattuor in una parte vehiculi adsumus, ubi et dormire et cibos in fornacibus parare et orare oportet. Passim iuxta viam videntur homines saccos portantes occidentem versus. Nullius est pretii pecunia russiaca, ita ut unum dollarium valeat vicies centena milia rubeliorum (1). Consociatio Americana (American Relief Administration: A. R. A.) 180 socios numerat, quos 50.000 officialium russiacorum iuvant, qui, passim per Russiam dispersi, summa 52.000.000 dollariorum 10.000.000 infantium alunt. Duplici autem modo famelicis succurritur, vel eis sarcinae mittuntur vel cibi in publicis culinis distribuuntur. Expeditio sic fit: Variarum religionum vicarii (iudaei, lutherani, baptistae, etc.), diversis partibus Russiae visitatis, nomina eorum adnotant, qui maximo indigent auxilio. Moscoviam reversi sarcinulas conficiunt farina, lacte concreto, oryza, saccharo, thea, condimento easque per publicos tabellarios famelicis mittunt ».

Cum igitur caritatis opus a S. Sede susceptum ingenti pecuniae summa indigeret, Pater Generalis die 27 martii iterum scripsit ad omnes moderatores Apostolatus Orationis, ut eleemosynae per Nuntios SS. Cordis quantocius colligerentur. Ne autem in tanto opere orationis potentissimum auxilium infelicibus illis gentibus deesset, a Summo Pontifice petiit intentio Apostolatus Orationis, per mensem septembrem iam praestituta, sic mutaretur: « Pro fame pressis in Russia et pro futura sorte catholicae religionis apud slavi-

(1) Anno 1923 unum dollarium iam valet 200.000.000 rubeliorum. P. F. Walsh.

cas nationes ». Petitioni benignissime annuit Summus Pontifex propria manu adiiciens: « Pro gratia peramanter in Domino, die 23 martii 1922. Pius PP. XI » (1). Novos semper auxiliares summo pietatis operi conquirens alumnos quoque Collegiorum nostrorum litteris die 6 novembris datis in eiusdem partem vocavit (2). Quot laetos fructus tulerint caritatis monita, summa eleemosynarum haud exigua demonstrat, quae in fine anni S. Sedi oblata est: 2.000.000 libellarum. Nec defuit suo tempore (die 24 oct.) signum animi grati quem Beatissimus Pater per Secretarium Status et Societati et Apostolatui Orationis peramanter declaravit (3).

Ut de variis necessitatibus Moscoviae coram perspectis facilius cum S. Sede agere posset, iam ineunte maio 1922 P. Walsh Romam rediit, praesertim cum difficultates ob crescentes in fidem catholicam insectationes Gubernii totum opus impedire coepissent. Breve tempus, per quod P. Walsh a Russia abesse cogitabat, ipse Pontifex produxit eum in Americam mittens, ut ibi magis etiam opus auxiliorum promoveret. Romam simul cum socio P. Ludovico Gallagher (eiusdem Prov. Maryl.-Neo Ebor.) reversus, iterum Berolino Moscoviam rediit non sine difficultatibus. Pars enim sarcinarum necnon documenta in itinere fraude ei sublata fuerunt; immo ne ad fines Poloniae prosequeretur impediebatur; Deo tamen iuvante Varsaviam, deinde Rigam et Moscoviam die 26 iulii pervenit.

Interea die 24 iulii ceteri quoque S. Sedis legati iter in Russiam aggressi sunt: tres religiosi Salesiani, tres ex Societate Verbi Divini, duo Patres ex Congregatione hispanica Missionariorum Cordis Mariae, tres Nostri, quos supra memoravimus, PP. Ioannes Capello, Dominicus Piemonte et Fr. Iosephus Belokostolsky. Quanta benignitate Summus Pontifex eos ante ex Urbe discessum ad se admiserit iisque valedixerit, P. Secretarius litteris suis ad Nostros (n. 3, pp. 17 sq.) narravit.

Barium (Bari) profecti, inde Constantinopolim solverunt. Cum in portum introiissent, viatores nostri benigne excepti sunt a RR. DD. Cesarano e pontificia legatione Constantinopolitana, a P. Ludovico Baille (Prov. Lugd.) aliisque religiosis. Paulo post, die 4 augusti Odessam tenuere. Cum autem de eorum adventu urbis

(1) *Act. Rom.* III [1922] 474 sq.
(2) l. c. 477 sq.
(3) l. c. 410 sq.

praefecti nihil scirent, non paucas difficultates Patres passi sunt: v. g. per aliquot dies eis facultas negata est navem relinquendi. Unus in urbe remanserat sacerdos catholicus ex ordine Capuccinorum, alii vel fugerant vel vi expulsi erant vel in vincula iacti. Odessa Sebastopolim (in Crimea) profecti sunt pontificii legati, ubi novae eos exspectabant vexationes. Cum enim ultra progredi nollet magister navis, qua vehebantur, eam Nostri relinquere atque in deversorio quodam noctem agere cogebantur; ministri vero portus eorum sarcinas omnino voluerunt perlustrare et tunc solum impotente postulato destiterunt, postquam diu acerrimeque P. Capello ostendit hanc esse offensionem S. Sedis. In alia igitur navi russiaca perincommode collocati, die 19 augusti Theodosiam pervenerunt, ubi eos P. Walsh, Moscovia adveniens, exspectabat. Cum autem Eupatoriae, quo erant destinati, nondum domus parata Patribus esset et aliqui post tot vicissitudines nonnihil aegrotarent, solum die 6 sept. in illam urbem tandem pervenerunt, 42 diebus postquam Roma profecti erant.

Dum Summus Pontifex suos in Russiam mittit, per epistolam die 10 iul. datam « toto animi impetu » omnes orbis catholici Episcopos invocat « ad opitulandum tantis miseriis, ut quo magis illae creverint, eo amplius dilatentur spatia caritatis » (1) et simul vicies quinquies centena milia eo destinat libellarum italicarum. Eodem fere tempore libellus variis linguis conscriptus spargitur, peculiari benedictione Beatissimi Patris munitus, ut « omnes paginas rerum tristissimarum nuntias volventes pro sua quisque facultate opem ferrent ». Nec inanes evaserunt preces Patris. E remotissimis terrarum locis eleemosynae in Urbem mittuntur.

Et vix delegati pontificii caritatis misericordiaeque opus coeperunt, cum laeti audiunt ingentem Russorum multitudinem gratissimo animo largitorem Romanum salutare. Post tot saecula primum nunc in Russia insignia Vicarii Christi, claves Petri tiarae coniunctae, publice exhibentur et Moscoviae, Petrogradi, Rostovi, Krasnodari, Orenburgi, Eupatoriae cum honoris significatione salutantur. Religiosi varias quidem in partes destinati fuerant, sed gubernium instanter a P. Walsh petiit, ut pro tempore in Crimea tota Missio sedem figeret, praesertim quod in districtibus Eupatoriae et

(1) *L'Osservatore Romano*, 26 iulii 1922, n. 174 p. 1.

Djankoi 35.000 infantium maxime premerentur fame (1). Gubernium autem Missionem Pontificiam, cum in Crimeam appulisset, hisce verbis salutavit: « Missionem auxiliorum a Papa Romano missam salvere iubet Gubernium Sovietarum eamque rogat, ut infantes fame laborantes in Districtu Djankoi et Eupatoriae alendos suscipiat. Rogatur Missio, ut Eupatoriae maneat, ubi ei una ex optimis villis tradetur ». Qualis autem esset omnium rerum inopia, ex eo perspicere fas est, quod sacerdotes schismastici nec triticum ad conficiendas hostias sibi procurare poterant et P. Walsh instanter rogabant, ut eis farinam praeberet, qui libenter precibus eorum annuit. Ipsum autem Gubernium causas quoque famis perspiciens desiderabat, ut ad eas removendas stabile quoddam opus institueretur, ita ut non solum famelicis cibi distribuerentur, sed ut ruricolis frumentum ad seminandum suppeditaretur et aliqua praedia bene excolerentur, ubi homines a viris peritis agriculturam discerent.

Primos operis Pontificii plene constituti fructus percepit Eupatoria urbs. Est insignis Crimeae portus maritimus, olim 40.000 incolarum. Nec desunt pristini splendoris signa. Hodie tamen solum 12.000 hominum ibi habitant. Ubique furoris popularis et eversionis cerneres vestigia: domus vel destructae vel derelictae, campi inculti, ad portum ubi olim proceres magnificas habebant villas, derelicta exstant palatia et ruinosa, cadaverum instar. In hac urbe iam prima culina aere pontificio constituta die 29 septembris sollemniter aperta est. Ita autem diem memorabilem describit P. Walsh: « Haud paucis difficultatibus superatis tandem venit dies diu exspectatus. In quadam domo duae amplae aulae parantur, mensae, scamna apponuntur. Ligna autem ad cibos coquendos necessaria nonnisi post dirutam quamdam aliam domum haberi potuerunt. Sicut olim ex gladiis fiebant vomera, ita nunc Eupatoriae ollae pro culina pontificia ex aeneis instrumentis ad destruendas hostium naves (« mine ») in Pontum Euxinum dispersis. Ipsius Moderatoris Missionis [P. Walsh] fuit cum officialibus litus percurrere taliaque instrumenta expiscari. Infantes in aulam sertis viridibus ornatam confluunt, socii Missionis et Gubernii ministri hora nona conveniunt. Mirum erat conspicere tot miseria, fame, tristitia fere confectos simul sociari Russiacos, Tartaros, Armenos

(1) Ineunte aestate a. 1923 a Missione Pontificia 50.000 infantium aluntur.

atque cibis recreari, quos per multos annos non viderant: panem album, pulmenta valida, cacao et alia id genus. Muro affixa pendebant insignia S. Sedis: tiara sacraeque claves. Superior localis e Congregatione Verbi Divini apud congregatos haec verba fecit: « Salutamus vos omnes die hodierna. En ante vos inscriptio muro affixa: Missio Catholica Papae Romani auxilium ferentis nationi russiacae. Patet ex hisce verbis cibos vobis appositos donum esse S. Sanctitatis Pii Papae XI, qui est caput Ecclesiae catholicae, 300.000.000 fidelium; ipse novit dolorem vestrum et famem; quare omnes totius orbis nationes monuit, ut pecuniam ad panem vobis coemendum mitterent. Et ex omnibus mundi partibus catholici subsidia miserunt, ita ut haec prima culina institui potuerit, quae quotidie mille infantes alere valebit. ». Nuntius telegraphicus Romam missus est et infantes, hortante uno ex officialibus russiacis, gratum animum applausu ostenderunt. Imago photographica Summo Pontifici demonstravit, quanta laetitia miserorum puerorum animos caritas affecerit paterna. Statim post, quae erat voluntas S. Sedis, legati, alii in alias Russiae civitates proficiscuntur, remanentibus in Crimeâ Patribus e Congregatione Verbi Divini: Iekaterinodarum, quod nunc mutato nomine Krasnodar (urbs rubra) dicitur, Nostri abeunt, PP. Capello et Piemonte cum Fr. Belokostolsky; in urbem Rostow duo Patres Hispani, Patres Salesiani tendunt Moscoviam, ubi etiam P. Walsh, totius operis moderator, cum suo socio P. Gallagher sedem habet.

Moscoviae perdifficile erat Sociis aptam invenire domum; at tandem in antiqua Germaniae legatione sex cubicula Nostris traduntur; in aliis aedibus officinae Missionis collocantur, in tertia demum domo, ad viam ferream, merces cibique deponuntur. Prima cura fuit puerorum in trivio viventium. Centeni enim sine parentibus, sine domo vitam in plateis misere ducebant, nullo mores educationemque eorum curante. Hi igitur in asyla colliguntur ibique vestiuntur et aluntur. Viri insuper selecti noctu civitatem pervagantur infantesque derelictos quaerunt et in orphanotrophiis collocant; ex dispersis enim tota Russia 2.225.000 orphanorum Moscoviae 40.000 inveniuntur. Missio autem Pontificia culinas in hisce orphanotrophiis et asylis providet, inspicit, cibos distribuit. Porro ex urbe Moscovia in alias alimenta mittuntur vel ut penus pro aliis Missionis stationibus vel ut sarcinae praesertim pro egen-

tibus sacerdotibus catholicis vel etiam schismaticis in loca, ubi Pontificia Legatio sedem non habet.

Die 17 decembris feliciter ex America Moscoviam pervenit P. Iosephus Farrell, Rector Collegii Brooklyniensis (Prov. Maryl.-Neo Ebor.), ut P. Walsh auxilio esset pro P. Gallagher, qui, redeunte Romam P. Capello, ad tempus Krasnodarum profectus erat. In prima sua epistola die 18 decembris ad P. Iosephum Hanselman, Assistentem Americae, data haec scripsit: « Admiror magnitudinem nostrorum laborum operumque perfectam rationem (organizationem) ».

Nostri laborant Krasnodarii quoque, quae est urbs in meridionali parte ad flumen Kubanj sita, non longe distans a portu maritimo Noworossisk ad Pontum Euxinum. In praesentia, cum multi fame compulsi ex finitimis regionibus atque etiam a remotis fluminis Volgae ripis illuc advenerint a decies centenis milibus hominum incolitur. Exstat Universitas litteraria, in qua 6000 auditorum cursus superiores frequentant. Regio pinguissimo nota est solo, at etiam aëre ob febrem malaricam nequaquam salubri. Nostri totum opus S. Stanislai patrocinio commissum voluere statimque alimenta afflictis distribuere coeperunt; ineunte autem decembri trium culinarum curam susceperunt, quas antea Commissio Americana (A. R. A.) administraverat et in quibus 2000 puerorum aluntur (1). Neque alii Summi Pontificis auxilio carent: iuvenes studiosi, magistri. Brevi post summus regionis magistratus Patres rogavit, ut opificibus opera victuque carentibus succurrerent.

Die 10 novembris instanter petiit Gubernium Sovietarum a P. Walsh, ut Orenburgi quoque ad flumen Ural in re publica kirghisiensi nova Missionis Pontificiae statio institueretur propter permagnam ibi penuriam omnium rerum, simul poscens ut 20.000 infantium succurreretur. Mense februario P. Gallagher eo est profectus.

At crescente opere auxiliorum crevit etiam insectatio in catholicos. Et primo quidem ad aerarium exhaustum implendum, in templis cum catholicorum tum schismaticorum quidquid ad cultum strictissime necessarium non videretur, a militibus exigebatur. Cum autem Archiepiscopus orthodoxus Beniamin huic

(1) Ineunte aestate 1923 Krasnodarii 20.000 hominum a Missione Pontificia alebantur.

direptioni sese opposuerit, simul cum 15 sacerdotibus morte damnatus est. Quia catholici Petrogradi administrationem parochialem modo a Gubernio praescripto exercere noluerunt, die 17 decembris omnes ecclesiae catholicae huius urbis clausae sunt, claves ablatae et etiam Missae celebratio prohibita. Cui iniquo mandato non obsecuti, sacerdotes tamen in domibus privatis s. Sacrificium obtulerunt. Die autem 23 decembris Archiepiscopus catholicus RR. DD. Cieplak simul cum aliis 14 sacerdotibus in tribunal vocatus est. In dies igitur difficilior fuit quaevis cum clero catholico consuetudo, ne ipsum opus detrimentum pateretur. Notandum enim est Patres non ut sacerdotes, sed homines privatos publica Pontificis legatione fungi adeo ut Missam non dicant, nisi multo mane in suis cubiculis, neque ullum ministerium sacerdotale vel opus zeli apostolici exerceant, sed caritatis officiis solis implendis ex S. Sedis voluntate se contineant. Quia autem ex altera parte sacerdotes catholicos quoque P. Walsh iuvare desiderabat, diebus festis ecclesias, quamdiu apertae erant, adibat et simul cum fidelibus Missae Sacrificio adstabat; aedituo eleemosynas in templo colligente, nonnumquam 50.000.000 rubeliorum in capsam immisit simul cum chartula qua certiorem reddebat parochum, eam pecuniam simul cum benedictione mitti a Beatissimo Patre.

Permagnae insuper difficultates vincendae sunt in ipsa ciborum distributione; vix enim impediri potuit in tanta miseria, quin fures cibos ex Moscovia in varias stationes missos auferre tentarent: sub curru ferreo absconditi, perforato eius pavimento, farinam saccharumque in saccos suppositos tempore itineris extraxerunt. Immo in ipsis stationibus viae ferreae, cum sacci e curribus in horrea deportarentur farinam homines astuti furari potuerunt. Baiuli enim, cum se custodiri atque observari scirent, hac arte familiis suis farinam abscondebant: dum saccum gestant, in eius summa parte foramen acu faciebant, ex quo farina tenuissimo quidem, sed constanti filo per cervicem in longa illa, quibus Russi utuntur, indusia effluebat. Ita vespere non parvam farinae vel sacchari copiam secum domum ferebant.

Quantopere Deus operi pontificio benedixerit, ex laeto laborum progressu dilucide apparet. Mense ianuario a. 1923, id est sex menses ab initis auxiliis, hic erat totius Missionis status: tredecim religiosi, adiuti a circiter mille officialibus russiacis, octoginta

fere milibus famelicorum in 269 publicis culinis opem ferebant. Praeterea alios plurimos alimentis missis atque vestibus distributis adiuvabant et insuper S. Sedes magnam medicinarum copiam praebuerat.

Nil igitur mirum, quod iam non Eupatoriae solum pueri Pontifici beneficentissimo plaudunt, sed etiam aliis multis Russiae locis homines omnis generis et aetatis, e miseria et morte erepti, eum laudibus celebrant ingentique amore prosequuntur, qui caritate et pietate denuo comprobavit divina ordinatione ipsa se constitutum esse omnium hominum Pastorem atque Patrem.

II.

HEBDOMAS ETHNOLOGICA.

A die 6 ad diem 14 sept. anni 1922, habita est Tilburgi in Neerlandia *Hebdomas Ethnologica* tertia. Cum in hoc instituto creando ac fovendo nonnulli e Nostris partes haud mediocres habuerint, de eius origine, fine ac successu pauca hic referimus.

Praecipui eius auctores exstitere R. P. Gulielmus Schmidt, e Societate Verbi Divini, et P. Fridericus Bouvier (Prov. Lugd.), lector theologiae fundamentalis in Collegio nostro Orensi. « Primum rei consilium, aiebat Tilburgi R. P. Schmidt, ego concepi, quod cum R. P. Bouvier communicavi. At concipere quidem facillimum est, exsequi autem saepe difficillimum. Hic revera vir a Deo ad nos missus fuit, cuius ope omnes difficultates vinceremus. Consilium meum cum tota nationis suae alacritate suscepit, eique exsequendo cum illimitata sui abnegatione atque illuminata quodammodo sanctorum constantia operam suam navavit ».

Tum ex praeteriti temporis historia, tum praesertim, ut videtur, ex recenti « conversione » anglici scriptoris A. Lang, qui in suo opere *The Making of Religion* (1898) per nonnullas missionariorum relationes eo adductum se confessus erat, ut manifestum sibi fieret evolutionisticas theses cum factis non consentire, ambo Patres perspexerant quantum subsidium verae scientiae ac

fidei nostrae afferri posset, si homines efformarentur qui religionibus ethnicis rite studere easque recte describere valerent.

Iam quidem ab anno 1906, R. P. Schmidt periodicum, quod *Anthropos* inscribitur, edere coeperat eo potissimum fine, ut documenta a missionariis collecta viris doctis nota redderet. Nec frustra, siquidem nuperrime anglicanus quidam bibliographus expressis verbis negabat hoc periodicum « in suo quidem campo, anthropologiae, ethnologiae ac philologiae ac in civilizatione primitivorum, ut dicunt, populorum scientifice describenda ab ullo alio superari ». Facile tamen intelligitur missionarios rei ethnologicae, comparativae linguarum scientiae aut generalis religionum historiae imperitos aegre nosse, quaenam praecipue sint scrutanda, quo pacto ea elucidanda, ac tandem quomodo proponenda, ut criticam fidem faciant. Quibus difficultatibus efficacius occurri non posse arbitrati sunt praedicti Patres, quam procurando ut missionarii, antequam ad laborem se accingerent, de scientiae statu eiusque exigentiis ab idoneis magistris rite edocerentur.

Inde *Hebdomadis Ethnologicae* genuinus finis apparet: qui neque immediate *apostolicus* est, ut ad faciliorem ethnicorum conversionem per accuratam ethnicarum religionum cognitionem missionarii praeparentur — neque immediate *apologeticus*, ut pervulgatis rationalistarum obiectionibus, ex comparativa, ut dicunt, religionum historia depromptis, satisfiat — sed directe *scientificus*, ut genuina religionum scientia promoveatur, unde certo quidem ac brevi fiet ut apologia fidei utilitatem haud mediocrem percipiat.

Huic missionariorum scientificae institutioni (non quidem omnium, sed quorundam saltem, ad ea studia peculiariter aptorum) tanquam alter finis adnectitur eorum omnium scientifica efformatio, qui historiae religionum dant operam, ut sunt multi Universitatum aut Seminariorum professores ac, pro nata occasione, scriptores.

Visum est praeterea PP. Schmidt et Bouvier omnium Ordinum seu Congregationum praevium concilium seu, ut modestius simul ac verius dicebant, « colloquium » cogendum esse, ut de *Hebdomade* instituenda inter se deliberarent atque, ex hac ipsa invitatione intelligerent *Hebdomadem* suam omnium rem esse, non unius aut alterius Ordinis negotium.

Colloquium locum habuit Lovanii, a 1 ad 3 diem sept. a. 1911. Aderant deputati variarum Congregationum 40 (e quibus quinque

e nostra Societate: Prov. Austriacae 2, Belgicae 1, Campaniensis 1, Parisiensis 1). Omnibus quidem (si unum excipias Lovaniensis Universitatis professorem eumque a collegis suis plane improbatum) propositum placuit. Secretarius generalis statim electus est R. P. Schmidt, secretarius adiunctus P. Bouvier; alius e Nostris tanquam consiliarius cooptatus est. Paulo post, protectoris simul ac praesidis partes benigne suscepit Archiepiscopus Mechliniensis, Em. Card. Mercier.

Ante bellum, in aedibus Universitatis Lovaniensis duo conventus celebrati sunt, prior a die 27 aug. ad diem 4 sept. 1912, alter a die 27 aug. ad diem 4 sept. 1913, in quibus parandis P. Bouvier comitas, sollertia atque indefessum studium singulariter emicuere. Aderant Nostri in priore conventu 38, e quibus quattuor unam aut alteram commentationem legerunt; alteri conventui interfuere 44, orationes habuere 7. Neque impar omnium labori eventus. In utroque enim conventu aderant circiter 160 auditores, praecipue sacerdotes et saeculares et regulares, qui *Hebdomadis* rationem atque utilitatem uno veluti ore laudabant. Acta autem paulo post edita (videsis testimonia ad calcem alterius eorum voluminis congesta) non tantum catholicorum, sed acatholicorum, immo et rationalistarum laudes obtinuerunt.

At die 17 sept. 1916, dum lecticarii simul ac sacerdotis munere in bello fungitur, plumbeo globulo percussus occumbit P. Bouvier.

Vir erat natura quidem rarae timiditatis, sed singulari in SS. Cor Iesu fiducia adeo fortis, ut animum a nullo unquam proposito dimoveret, quod ad Dei gloriam augendam utile atque aptum semel percepisset. Miles miram sui existimationem apud commilitones concitaverat. Paucis ante suum obitum mensibus, in litteris ad R. P. Schmidt datis, scripserat: « Contingetne mihi ut huius horrifici belli finem aliquando conspiciam? Viderit Deus Optimus! Quod si vitas exquirit ultro oblatas, meam repetat, postquam commilitonibus meis illud spirituale auxilium praestitero, quod a me praestandum decrevit ».

Quibus litteris in tilburgensi congressu recitatis, aiebat R. P. Schmidt: « Gravissimum sane ex eius morte damnum *Hebdomas* nostra experta est. Mihi quidem verus amicus fuit. Equidem melius quam quivis alius scio, quantopere nostram *Hebdomadem* adiuverit atque promoverit ». Addebat vir modestissimus: « Ex difficultatibus superandis nonnullae a me ipso oriebantur. Verum,

qua erat constantia atque infinita in Deum fiducia, semper optimus Pater meipsum reluctantem vincebat ».

In mortui Patris locum, unanimi Consilii seu Comitatus internationalis suffragio, suffectus est alius e Nostris (1).

Proximus conventus mense septembri, uti supra diximus, habitus ab Em. Cardinali Mercier et a duobus Secretaris sollicite paratus, peculiari S. Pontificis benedictione adiutus simul ac commendatus, felicem eventum habuit documentumque praebuit haud obscurum et nostri vigoris (cum adversariorum *Historiae Religionum Congressus*, olim quadriennales, nondum restaurari potuerint), et catholicae caritatis: audires enim ab hominibus natione diversissimis, publicis odiis aut sopitis aut sepositis, de rebus scientiae et fidei sermones misceri fraternos. Convenerant enim ex omnibus ferme mundi partibus auditores omnino 180. Batavi praesertim, Belgae, Galli, Germani. Nostri adfuerunt 31, e quibus quinque verba fecerunt.

Iam vero, si requiras quinam fructus ex huius *Hebdomadis* creatione promanarint, hos breviter recensere possumus: rationalistarum oculos, praesertim ex edita commentationum analysi (*Compte rendu analytique*, t. I, Paris, Beauchesne, 1913; t. II, Louvain, Charpentier, 1914), in scientiam catholicam aliquatenus conversos; missionarios, professores ac scriptores nonnullos ad laborem melius instructos atque incitatos; immo ex ipsis eruditis, qui praelectiones in variis sessionibus habuerunt, mutua cum collegis suis opinionum communicatione nonnullos ad strictiores methodos melioremque rerum notitiam sensim adductos.

Iam ex his paucis Nostri probe intelligent, cur et quomodo *Hebdomadi Ethnologicae* et praedicto periodico *Anthropos*, aut saltem fini quem prosequuntur, commentationibus in nostris periodicis editis, alioque modo favere possint. Eiusmodi autem de ethnicis religionibus inquisitiones cum antiqua missionariorum et eruditorum nostrorum traditione apprime congruere historia nostra satis superque docet. Non immerito, ut videtur, dixeris olim in his studiis Societatem nostram locum obtinuisse facile primum.

---

(1) P. Henricus Pinard de la Boullaye (Prov. Camp.), qui idem haec de *Hebdomade Ethnologica* nobis benigne scripsit [N. R.].

III.

MISSIO IAPONICA
IN CALIFORNIAE URBE SANCTI FRANCISCI.

Iapones ut primum per leges iis licuit ex patria in alienas terras emigrare — nam ante annum octogesimum quintum saeculi undevicesimi id erat prohibitum —, magno numero in occidentales Americae Septemtrionalis Status ingressi, in California potissimum sedes fixerunt. Atque nunc quidem hunc unum Statum plus septuaginta milia Iaponum incolunt. Quod ad spiritualem eorum curam spectat, id certe mirum videri potest nonnisi huius saeculi anno tertio decimo a catholicis coeptum esse eos colere, cum protestantes viginti fere iam annos tanto studio inter eos laborassent, ut tunc isti circiter sexaginta stationes haberent.

Accidit autem ut Iapon quidam catholicus qui, appropinquante paschate, non haberet cui sua lingua peccata confiteretur, haec scripto mandata ad Episcopum patriae urbis in Iaponiam miserit, quod speraret ita se posse absolvi. Rem Episcopus cum R. D. Alberto Breton e Congregatione Missionum Exterarum communicat, qui cum valetudinis causa in patriam remeasset, tunc in missionem erat rediturus. Is Californiam petit, Iaponem voti compotem reddit, Missionem Catholicam Iaponum constituit in urbe Angelorum, quae a Sancti Francisci quingenta fere milia passuum distat. Idem quamquam hanc urbem identidem visitabat in eaque Iaponum missionem inchoarat, tamen, qua erat infirma valetudine, non poterat longiora itinera conficere. Quae cum ita essent, RR. DD. Patritius Riordan, dioecesis S. Francisci Archiepiscopus, a P. Iacobo Rockliff, Provinciae Californiae Praeposito, impetravit ut Nostri Iaponum curam in urbe Sancti Francisci susciperent. Ea primum P. Iulio von Egloffstein commissa est, qui cum paulo ante Sancti Francisci commoraretur, iaponicae linguae addiscendae nonnihil temporis laborisque impertiverat. In magnam operis partem ascitus est Fr. Franciscus Masui, natione Iapon, qui ante septem annos

Nostros in Collegio Spokanensi convenerat catholicae religionis addiscendae causa. Anno post sacro fonte lustratus et Societatem ingressus, gradum Coadiutoris temporalis humiliter sibi expetivit. Atque is quidem animorum lucrandorum studio incensus Patribus nostris, a quo tempore inter suos populares laborare coeperunt, magno adiumento fuit. Initio conductae aedes, in quibus paucis familiis iaponicis ad fidem conversis habitatio est concessa. Postea P. von Egloffstein cum Fr. Masui eas occupabat; mox ampliores comparatae; sed tertio in alias migrandum, adiecto etiam atrio quo haberent commodius, ubi luderent pueri puellaeque qui scholam frequentabant. Docendi munus libentissime susceperunt, adiuvantibus postea paucis ex Iaponia monialibus, et ad hoc usque tempus promoverunt Auxiliatrices quae vocantur Animarum in Purgatorio degentium. Etenim cum usu compertum sit, quanta cum difficultate nostris temporibus adulti ex superstitione gentium in lumen evangelicum alliciantur, eo diligentius in parvulis educandis laboratur, ut, depulsis errorum tenebris, et filii et parentes grato evangelii lumine recreentur. Laboribus, si non uberrimus, iucundus tamen percipitur fructus; nam quotannis augetur credentium numerus, quorum pietas et fides exemplo est, quippe qui longissime quandoque veniant ut Missae intersint vel sacramenta suscipiant; parvuli maiore frequentia baptizantur, et permagni a Iaponibus ethnicis, tam privatis quam praecipue magistratibus, aestimantur qui a Nostris suorum popularium causa suscipiuntur labores. Quod cum alias et voce et scriptis et datis muneribus, tum vel maxime enituit, cum, postquam P. von Egloffstein annis iam et laboribus fractus occubuit, exsequiae non a fidelibus solum Iaponibus, sed ab infidelibus etiam magno numero undique confluentibus celebrarentur.

Ei quidem iam anno 1917 P. Pius Moore socius additus erat; imo optimus senex, mox in alium locum evocatus, a curis Missionis omnino liberatus erat. Sed cum post biennium P. Moore Rector Collegii S. Ignatii renuntiatus esset, P. von Egloffstein, quamquam viribus fractus ad suos Iapones rediit, et, pro sua debilitate a Collegii Patribus et praesertim eius Rectore adiutus, usque ad mortem apud eos remansit.

Neque statim potuit in defuncti locum alius suffici. Id tamen factum, cum mense iulii anno 1920 P. Augustus Dinand Iaponensium gregi praepositus, alacer manum operi admovit.

Ut quo loco res nunc sit percipiatur, haec videntur dicenda. Obest plurimorum etiam catholicorum excitatum in Iapones odium, quod putent ab his tam magno numero eam regionem incolentibus, tam industriis, tamque a nostro sanguine, religione, moribus alienis suas suaeque prolis fortunas in discrimen adduci; obest protestantium indefessus labor et invisum Catholicae Ecclesiae nomen; obest etiam ingens prae parvo fidelium grege infidelium numerus, attentissimus rei pecuniariae augendae animus, cetera denique quae ubique terrarum religionis verae propagandae reperiuntur hoc aevo impedimenta. Sed tamen, et laborum nostrorum iam perceptus fructus, et fidelium Iaponum pietas ardorque, et nostratium nonnullorum multorumque Iaponum infidelium favor et gratia spem faciunt fore ut hoc opus ad Dei gloriam et salutem iaponicae gentis, S. Francisco Xaverio aliisque Sanctis nostris carissimae, maioribus in dies incrementis augescat. Desunt quidem operarii; desunt in maioribus praesertim ad Pacificum Mare urbibus, ubi fere ad centum milia habitant Iaponum, templa quo convocentur; sed orandus Dominus ut mittat operarios in messem suam.

Sancti Francisci autem in nostra Missione iam ad centum usque crevit numerus fidelium. Centum quadraginta parvuli scholam frequentant, quorum tamen maior pars nondum est baptizata. Docent in schola tres natione Iapones, moniales a Visitatione B. M. V. et una Defunctorum Adiutrix. Parvulos vel Fr. Masui quotidie vel moniales a parentibus ad scholas, a scholis ad parentes ducunt. Inceptum et pecunia et benevolentia Iapones multum promovent; animos addunt RR. DD. Archiepiscopus et Consul Iaponicus. Iam nunc videntur aedes angustiores quam ut auctum parvulorum numerum continere possint.

IV.

P. IOANNES PHILIPPUS ROOTHAAN.

Cum Pater Noster hoc anno (v. p. 672) Postulatori Generali mandatum dederit omnia parandi ad introducendam causam P. Ioannis Roothaan b. m., non iniucundum Nostris erit aliqua ab ipso eius biographo, P. Petro Albers (Prov. Neerl.), scripta legere, quibus imprimis demonstratur, quanta sanctitatis fama P. Roothaan apud aequales gavisus sit.

Ioannes Philippus Roothaan, filius Matthiae Egberti Roothaan et Mariae Angelae ter Horst, natus est Amstelodami, die 23 novembris 1785. Cum intimo devotionis affectu filium suum pia mater dicavit beatissimae Virgini et S. Francisco Xaverio, quem peculiari cultu prosequebatur. Puerum primae religiosae instructionis atque latinae linguae rudimentis excoluerunt Patres nostri Amstelodamensis Residentiae, cui antiquitus vulgatum nomen « De Krijtberg ». Vixdum decem annos natus, Ioannes ad altare Patri Beckers Superiori sacra facienti inserviebat. Cum Pater Roothaan anno 1849 ex Urbe exsul, in patriam veniret atque templum illud nostrum ad S. Francisci Xaverii inviseret, ad unum e tribus altaribus accedens: « En, inquit, ad hoc altare ego puer sancto illi Patri Beckers Sacrum facienti inserviebam. O, quantas hic gratias Deus mihi elargitus est! Quam sanctum opus obit, cui licuerit Sacro inservire! Hic Deus misericors tot mihi illuminationes atque tot favores dedit! »

Sacro paenitentiae sacramento animum expians, singulis dominicis et festis de praecepto diebus accedebat ad sacram Communionem, duorum Sacrorum tempore praem ssa praeparatione diligentissima. Humanioribus studiis Ioannes a verno tempore anni 1796 usque ad autumnum anni 1800 operam dabat in gymnasio, quod erat in via « Singel ». « Quod unice, inquit, pro

meipso in hoc mundo desiderandum superat, quodque omnibus studiis meis scopum praefixeram, ipsum erat sacerdotium ». Postquam gymnasii studia oratione « De praestantia hominis » latine conscripta praeclare absolvit, autumnali tempore anni 1800 Amstelodamensi « Athenaeo Illustri » nomen dedit. Hic lectorem nactus est Davidem Iacobum van Lennep, virum clarissimum, qui Ioannem non solum antiquis litteris egregie excoluit, verum etiam amore plane paterno prosecutus est. Universitatis porro studiis istis aestivo tempore anni 1804 completis, iam se accinxit ad proficiscendum in Societatis novitiatum, qui tunc Dunaburgi in Russia erat. Qualem vero novitium illum Nostri accepturi essent, litteris commendaticiis professus est idem ille David Iacobus van Lennep, vir ipse protestans: « I. Ph. Roothaan quattuor annis huius Illustris Athenaei civis fuit; quo tempore cum mihi tum aliis praeceptoribus suis ita se probavit, ut dilectissimum discipulum non nisi inviti a nobis dimittamus... Iam vero is est I. Ph. Roothaan, ut si ad praeclaras illas animi ingeniique dotes, quibus iam nunc eminet, talis, qualem vestram esse audivimus, institutio accedat, nihil non egregium ab eo sperari exspectarique possit. Etenim litteras graecas ac latinas non, ut multi solent, leviter attigit, sed in eas se insinuavit; nullum non intelligit scriptorem, ad nullius vim ac stilum non assurgit. In Cicerone, Demosthene, Platone, graecis etiam tragicis ita versatus est, ut accuratius fieri non possit. Auctores veteres non ad animi tantum oblectationem, sed ad usum etiam fructumque vitae legere nihilque non eo conferre solet. Porro quum per se iam acri iudicio valeret, illud etiam logicae dialecticesque et omnis omnino philosophiae scholis frequentandis acuit in dies atque exercuit. Animi vero dotes habet eas ut pleniorem officii, probitatis, humanitatis, mansuetudinis adolescentem non modo nullum viderim, sed ne cogitare quidem possim » (15 maii 1804).

Ioannes Phil. Roothaan Societatem ingressus est Dunaburgi in Russia 18-30 (1) iunii 1804. Mox tamquam diligens praeter ceteros novitios innotuit Fr. Roothaan et omnes exemplo praeibat. Per integram matutinae meditationis horam ad pulpitum genuflexus manebat, nullo quaesito adminiculo, modestia quam maxima, com-

(1) Cum Patres in Russia iuliana temporum ratione uti solerent, additur secundus numerus indicans gregorianam.

plicatis ad pectus manibus, immotus tanquam statua. Qui ei superstites fuerunt connovitii, contestati omnes sunt eum Dunaburgi fuisse sanctum adolescentem, quasi redivivum sive Stanislaum sive Ioannem Berchmans.

Die 21 iunii-3 iulii 1806 novitius noster prima vota nuncupavit. Qui rei huiusce testes fuerunt, affirmant eum sicuti angelum coram altari genuflexum fuisse, atque per totum diem istum vidisse se quasi caelesti splendore radiantem vultum illius. Et ipse qui tamen nullum unquam verbum in laudem sui dicere solebat, etiam longo tempore post, imo cum Societatis Praepositus Generalis iam erat, haud raro haec fatebatur: « O quam bonus, inquit, Deus! qui quum primum ipsi sacrificium nostrum deferimus, sua beneficia elargitur suaque dulcedine nos perfundit ». P. Henricus Guillemaint 27 septembris 1806 haec scripsit: « Inter eos qui hoc anno novitiatum absolverunt, duos nomine refero: Primum quia persuasum mihi est, nomen eius intra paucos annos clarum esse futurum, quippe qui non nisi viginti et unum annos natus insolita virtute atque perfecta sanctitate eluceat. Amstelodamo ille oriundus nomen habet Ioannem Roothaan ». Post novitiatum Fr. I. Roothaan Dunaburgi remanens per triennium pueros docuit. Mense augusto anni 1809 in Collegium Polocense est missus ut theologiae studio se daret.

Die 27 ianuarii-8 februarii, festo die S. Ioannis Chrysostomi 1812, Ioannes Roothaan sacra presbyteratus ordinatione initiatus est. Die deinde Virgini Purificatae sacro, fervore atque amore aestuans, primum ad altare ascendit sanctum Missae sacrificium peracturus. « Hic, inquit ipse, erat omnium studiorum meorum scopus iam inde a prima pueritia; haec erat felicitas illa pro qua adipiscenda laborem omnem omnesque difficultates parvipendere statueram ». Felicem se reputabat « qui cotidie posset felicitate illa frui ut se revera coniungeret cum Salvatore suo, qui omnis sanctitatis fons atque origo esset ». Breviarii recitatio ei suppeditabat « diei cuiusque occupationem gratissimam ».

Duobus post annis (1814), dum P. Roothaan Nostros in domo Puszensi rhetoricam docet (1812-1816), Societas, quam carissimam Matrem appellare solebat, denuo in pristinum statum restituta est. Cuius conservationem atque restitutionem ipse acceptam referebat devotioni erga sacratissimum Cor Iesu. Multa saepe disserebat de felicitate quam in hoc suae vitae statu ipse experiretur

neque se mirari dicebat, quod ipsi Episcopi atque Archiepiscopi ad Societatem redire cuperent. « Quae si mundus, inquit, audierit, mirabitur sane; at enim neque novit, quos thesauros Societas suis filiis reconditos servet ». Aestate anni 1816 in Collegium Orszense est missus ibique primum Nostros rhetoricam docuit et deinde, post brevem unius mensis commorationem in urbe Mscislaw (anno 1818), contionatoris munere functus est.

Die 2 februarii 1819 P. Roothaan sollemnem professionem in manus Provincialis, R. P. Swietochowski, emisit. Qui informatores ad gradum erant, unanimiter testabantur: eius in virtutibus profectum ab omnibus agnosci; maiorem sui abnegationem desiderari non posse; oboedientiam eius esse valde exactam, absolutam, magnanimam atque perfectam, qualem cuperet S. Pater N. Ignatius; eum esse plenum caritate fraterna; simplicitatem eius dicendam esse admiratione dignam, imprimis cum prudentiam atque scientiam adiunctam sibi haberet; eum magno amore erga paupertatem affici, neque unquam de re ulla queri, verum quasi laetitia splendere, quoties alicuius rei defectum experiretur; erga Institutum eum magna reverentia veroque affectu eminere, illudque mirum in modum ab eo laudibus efferri; ipsius devotione etiam alios ad devotionem excitari; eum indole esse generosum, atque missionem inter infideles ei imprimis in desiderio esse. Hoc tempore P. Roothaan annos compleverat triginta tres.

Quem persecutio, anno 1820 in Nostros ingruens, ex Russia depulit, eum iam grato animo sane accipere poterat Europa occidentalis. Iter illud cum sex Scholasticis peracturus erat. Dum in via alicubi redarius nonnihil cunctando equorum habenas et lora reficit, ecce ad gradum redae sistit adulescens quidam, statura vultuque decorus, peregrinantis habitu, at neutiquam pauperculo indutus, quem omnes videbant. Quaesivit ex eo P. Roothaan, quid sibi vellet. Tum ille: « Ideo tantum veni, inquit, ut futurum Societatis Iesu Praepositum Generalem, qui inter vos est, reverendo salutarem ». De quo facto omnino constat. In isto longo itinere, ex Russia Bononiam in urbem, quo socios suos deducendos habebat, P. Roothaan eos exemplo praeibat, Dei fiducia continuo fretus. Erat porro assidue comis, affabilis, modestus, vocationis suae amore plenus. Post paucorum dierum quietem P. Roothaan cum aliis in Helvetiam missus, die 23 iulii a. 1820 Brigam advenit. Heic quidem magistri, praefecti spiritus, contio-

natoris muneribus perfungens zelum animarum exhibuit egregium.

Inter ferias aestivas Praepositum Viceprovinciae Helveticae, P. Nicolaum Godinot, Socius sequebatur ad visitandas Stationes parvas et Patres per varias Saxoniae, Germaniae occidentalis, Neerlandiae, Belgii urbes dispersos, quae itinera difficilia sane et in illo tempore permolesta multum tamen P. Roothaan profuerunt, ut statum Societatis postea sibi committendae melius cognosceret. Missiones populares post adventum Patris in Helvetia magnos progressus fecerunt; praecipue eae, quas in locis Brig, Leuk, Ernen, Visp habuit, uberes fructus tulerunt earumque memoria diu in fidelium animis altissime infixa haerebat. Leucii tantopere commovit homines, ut prae multitudinis lacrimis atque singultibus contionem abrumpere deberet. Numquam missionem habuit, cui non de SS. Corde Iesu dicens finem imponeret. Tanta auctoritate orator eximius mira dicendi facultate atque vi et docendi arte gaudebat, ut institutionibus in sacra eloquentia quas Iunioribus adhibuit, omnes Scholasticos, etiam Theologos et sacerdotes, per aliquot menses interesse Superiores iuberent.

Mense iulio 1823 P. Roothaan in Italiam evocatus est, ut regimen susciperet Taurinensis Collegii « Provinciarum » quod dicebatur. Cum in P. Generalis consilio de illo arduo munere ageretur, omnes Assistentes P. Roothaan aptissimum existimarunt et R. P. Fortis haec scripsit: « Requiritur ad illud officium gerendum magna virtus atque insignis prudentia; tum etiam scientia profunda theologiae necnon controversiarum, quae instituantur contra protestantes philosophos, iansenistas, ut respondeatur aggressionibus, quibus Catholicam Ecclesiam insectantur; denique cognitio amplissima litterarum tum sacrarum tum profanarum. Mihi autem affirmant omnes Patrem Roothaan istis virtutibus, talentis et dotibus pollere ». Hic porro P. Roothaan rectoratus Societati magnam auctoritatem in Italia conciliavit. Ac sane Universitatis professores eximii, quales erant Peyron et Boucheron, et virtutem et doctrinam eius mirabantur, ac saepe eum in consilium vocabant. Iis quam maxime placuit Patris insignis humilitas atque comitas. At simul enituit egregia vis animi in modo tractandi cum Gioberti, qui repetitoris munere fungendo in Collegio « Provinciarum » suam falsam doctrinam spargebat; neque minus cum professore Dettorri, qui sicut Gioberti, ipso decurrente scholari anno ob doctrinas iansenismo faventes cathedra amotus est.

P. Siedmiogrodzki scripsit a se mense februario 1829, et tunc quidem primum, visum fuisse Patrem Roothaan vultu quasi nube obductum, silentiosum, tristem; qui tamen alias in recreatione affabilitate sua et modesta laetitia animos omnium reficere soleret. Audierunt quippe Nostri postea eum mortuo R. P. Fortis, a Vicario Generali, P. Vincentio Pavani, constitutum fuisse Vicepraepositum Provinciae Italicae adeoque ius ei tributum Congregationis Generalis adeundae. Ultimis igitur februarii diebus P. Roothaan Romam advenit ibique Provinciam gubernavit usque ad diem 9 iulii, quo die in Praepositum Generalem electus est. Eo tempore P. Manfredini egregiae virtutis eius imaginem sic descripsit. « Quod res, inquit, ei bene successerit in fungendis muneribus officiisque religiosae vitae omnibus, signum id est ingenii acutissimi atque animi orationi meditationique addicti. Quodcumque enim ei supererat vacuum temporis spatium, id conversationi cum Deo habendae impendebat, praeter communes scilicet atque consuetas orationes etiam alias sive in cubiculo sive in sacello persolvens. Orabat, sive per domus atria incedens, sive foras exiens, praecipue in Foro Romano, quod desertum eo tempore iacebat. Singulis vero mensibus diem unum tribuebat strictiori animi recollectioni. In eo nihil affectatum erat, verum simpliciter et quasi sponte procedebant omnia; consuetudine enim factus erat vir Dei. Talis autem virtus virum modestum supponit ac per omnia sui temperantem. Oculos ut plurimum demissos habebat; vultus quasi placido gaudio radians nulla unquam signa distracti animi exhibuit; quieta bracchia manusque tenebat, totusque homo modesta animi collectione aliis exemplo erat. Cuius verba quaelibet diligenter ponderata ad commovendos animos iudiciose disposita erant. Talibus autem dotibus insignis esse nemo poterit, qui strictae atque continuae mortificationi deditus simul non fuerit: quae etiam eius maxime propria virtus erat. Toto enim corporis habitu motibusque omnibus, sive respiciebat sive incedebat, in actibus haud minus quam verbis elucebat spiritus ille mortificationis, qui per annos istos 25 in religione peractos ei ex consuetudine quasi in naturam versus fuerat. Quamquam vitae innocentiam secum in Societatem intulerat atque in eadem illibatam conservavit ad mortem usque, in externis tamen paenitentiis obeundis erat perquam severus. Diem enim fere nullum praetermittebat quin praefectum spiritus adiret, ut ab eodem sibi

paenitentiae iniungerentur rogaturus. In victu semper parcus, saepe etiam stricto ieiunio indulgebat. Orando et seipsum mortificando ad tertium humilitatis gradum evectus est, ut videlicet potius opprobriis affici cum Christo opprobriis pleno quam honoribus coli vellet ».

Annum aetatis quadragesimum quartum nondum expleverat, cum in Praepositum Generalem electus est. « Videor mihi, inquit Pater Ferdinandus Minini, etiamnum videre eum in sua sede collocatum, quasi aliud agentem, manibus quiete in genua extensis demissisque oculis excipientem, quam tunc primum ei, tanquam communi omnium nostrum patri, deferebamus venerationis atque subiectionis significationem. Quasi qui, Salvatoris exemplo, pro filiis suis victimam se Deo offerret, sic ille ibi sedere videbatur: tunc quippe intellexit, cuinam deinceps vita sua omnis atque integra persona dicata esse deberet ». Intimo amore erga Societatem afficiebatur, paratusque omnino erat pro ea ad Christi honorem etiam ipsam vitam, si quid opus, profundere.

Omnes proinde cogitationes, verba omnia atque opera universa Societati gubernandae devovebat. Qui sane labor eius erat gravissimus. « Quid sibi vult, me esse Praepositum Generalem? O Bone Deus! O Sancte Pater! Quid ego haud lubens pro Societate tolerabo? Trepidae sane atque arduae difficultates impendent capiti meo. Verum omnia pati volo, modo Societas Iesu, filia Patris nostri Ignatii, incolumis perseveret ». Sic ille scripsit Exercitia obiens anno 1829. Anno proximo adnotavit, se velle saepe orare Deum, ut sive morte sive alia via a gubernio se amoveret potius quam sineret Societatem detrimentum quodpiam sua culpa pati. Hoc igitur amore motus laborabat, patiebatur, in exsilium abibat, ac denique viribus pro Societate attritis atque exhaustis die 8 maii 1853 mortuus est. « Fidelitatem » Patris Roothaan laudavit P. Iacobus Pierling, Vicarius Generalis. Ac Pater Beckx: « Versatur mihi, inquit, potissimum ob oculos Ioannes Roothaan decessor meus, cuius in agendo singularem prudentiam, in gubernando eximiam caritatem ac fortitudinem, in perferendis arduis invictam constantiam, erga Societatem miram fidelitatem et in omni vitae tenore praeclaram modestiam ac sanctitatem totiens demirati sumus et gratissima usque memoria recolimus ».

Constans erat fama sanctitatis, quae de Patre Roothaan ferebatur. Identidem audiverunt Pium VIII ad familiares suos di-

centem: cum sancto Generali Societatis se esse collocutum, cui postulata concedere debuisset, quippe cum sanctus ille vir res non proponeret nisi aequitati atque officio consonas. Atque etiam antea quam in Petri Cathedram eveheretur, Gregorius XVI laudavit Patris iudicii acumen summamque sapientiam et virum perquam spiritualem sanctumque religiosum eum nominavit. Pontifex creatus, familiariter cum eo agebat, satisque perspectas animi eius dotes habebat, ut « Sanctum » eum nominare soleret. Pius autem IX de Patre Roothaan haec affirmavit: « Quotiescumque Societatis Praepositum coram adstantem conspicio, videor mihi Sanctum videre; nec tantam unquam reverentiam cum tali fide coniunctam in ullo homine vidi ». Atque in Ascensionis Domini die anni 1853, Pius IX commonstrans novum illum dolorem quo e morte Patris Roothaan affligeretur, affirmavit se tunc privatum esse viro, cuius esset eximia prudentia, pietas plane intima, virtus summa, quibus se sanctum esse liquido ostenderet. « Iterato etiam, inquit P. Manfredini, repetebant Cardinales, qui P. Roothaan inviserant: Quam sanctum virum vos habetis Praepositum Societatis. Absconditus ille Sanctus est. Nec mirabimur, si miracula illum patrantem audiamus ». Ac reapse prophetias et miracula P. Roothaan edidit.

Haec de eo sententia erat Episcoporum et Praelatorum, virorum reipublicae gerendae peritissimorum atque universi cleri Romani. E quibus etiam iam tum nonnulli auctores fuerunt Nostris, ut causam beatificationis P. Roothaan parandam curarent, dicentes rem egregie successuram, quippe cum tot homines tam multa bona de eo nota haberent. Ceterum neque alia erat vulgi opinio. In viis enim incedentem admirantes silentio respiciebant, sistentesque dicebant: « Ille revera Sanctus sit oportet! » Atque suo discipulo pictor ille baro Camuccini: « Quantum ille Pater Sancti typum gerit; aspice eum attente ac scito ab universa Roma Sanctum illum haberi! »

* * *

Subiicimus documentum, quod in libro *De Hoogeerwaarde Pater Ioannes Philippus Roothaan* p. 387 sqq. P. Petrus Albers exhibet, quia ex eo perpulchre apparet, qua solida virtute atque pietate ex ipsis religiosae vitae principiis P. Roothaan fuerit.

GRATIARUM ACTIO SCRIBI COEPTA 2 IAN. 1808.

Gratias ago Tibi,

Domine Deus ac Pater mi dilectissime, in unione sanctissimorum affectuum SS. Cordium Iesu, dilectissimi filii tui, ac Mariae Sanctissimae Matris Eius, et in unione laudum, quae Tuae Divinae Maiestati ab omnibus Angelis et Electis tuis decantantur et decantabuntur in aeternum, in unione horum omnium ego tuo conspectu indignissimus, gratias ago Tibi pro omnibus Tuis in me collatis beneficiis, numero et mensura vere infinitis, maxime vero pro singulari illa Tua ac dulcissima Providentia, qua me ad sanctissimam hanc Religionem vocasti, et per varias ac plane mirabiles vias deduxisti, dein pro singularibus beneficiis, quibus me in hoc s. religioso statu dignatus es, praecipue vero:

Quod mihi iam inde ab initio dedisti filialem fiduciam, amorem et oboedientiam erga meos Superiores, vere tamquam Tuos Vicarios, hosque affectus in me hucusque conservasti et auges.

Quod mihi semper dedisti fiduciam in omnibus arduis, quae ab oboedientia iniungebantur, et in illis semper peculiari auxilio tuo adfuisti ut illa possim exsequi.

Quod mihi dedisti plures internas cruces licet quidem ob mea peccata promeritas, sed tamen summe salutares.

Quod mihi dedisti invenire semper inanitatem in usu libero creaturarum, pungendo postea conscientiam meam, et trahendo me continuo, ut me totum plene tibi redderem et a creaturis amorem magis magisque avellerem, et quod non desistis hoc semper facere, licet ego propter meas infidelitates innumeras, iamdiu meruerim, ut me traderes in reprobum sensum.

Quod in tristitiis ac poenis semper, cum iam ad summum venisse viderentur, in tempore adfuisti et saepe in momento animum erexisti.

Quod mihi dedisti saepissime repugnantiam magnam in rebus ad statum meum pertinentibus, unde cogebar mentem ad Tuum solum beneplacitum in illis erigere, et sic intentio mea valde purgabatur, dabaturque plurima occasio victoriae.

Quod millies memoriam meam adiuvisti, et quasi admonuisti, ne aliquid obliviscerer, quod si fuissem oblitus, causare potuisset plurima inconvenientia, et singulariter in dicendis doctrinis ad populum, veluti suggerens et in aures insusurrans voces et res dicendas, quod saepe expertus fui, etiam cum res ante non bene memoria tenerem.

Quod mihi multas semper occupationes ab oboedientia iniungi permisisti, ut torpere aut otiari mihi vel volenti non licuerit, ac licet ita parum valde temporis studiis dare potuerim, tamen ita semper adiuvisti, ut pro temporis mei sacrificio tuam mihi auxiliarem manum adesse facile sentirem.

Quod mihi aliquam identidem particulam crucis tuae ferendam dedisti, meque aliquando aliquibus calumniis, et aliis donis dignatus es, simulque gratiam largitus es, ut pretiosi huiusmodi doni aestimationem conciperem, et crucium mearum auctores, repressa sedulo omni displicentia, serio ac sincere diligerem.

Quod mihi dedisti amorem erga B. Dei Genitricem, ac filiałem in Eius patrocinio fiduciam praesertim circa mortem atque aeternitatem meam.

Quod mihi in bono aliquo rerum successu, quo aliis videbar recte satisfecisse, saepissime dedisti sentire internam aliquam tristitiam, aut cordis vacuitatem, nescio quam, quae me gaudere in bono successu non sinebat, quod fecisse videris ex paterna misericordia, ut paulatim discerem non gaudere nec consolationem habere, nisi in Te Deo meo.

Quod mihi iam inde a pueritia semper aliquas dedisti sollicitudines circa occupationes et res agendas, ad quas bene explendas semper me a Te omnino dependere sentiebam, unde in timore vivebam, ne Te offenderem, et sic Tu me punires privando me tuo sancto auxilio; et quod hoc idem assidue mihi fecisti sentire in contione, oratione etc. faciendis, saepe me initio ita deserens in mea inopia, ut nihil me posse sentirem; licet ego ingratus ex his omnibus nondum hausi veram humilitatem.

Quod permisisti me ad maiorem cautelam et ad humiliationem meam incidere in affectum nimium erga aliquem, et in hac pugna postquam malum advertissem, fecisti sentire, quam ruerem ego ad mala, nisi tu tempestive subvenisses.

Quod mihi fecisti assidue experiri meam inopiam, ac defectum talentorum ad munera mihi demandata, ut non nisi in Te spem omnem ponerem, qui etiam adesse mihi, ut sufficienter muneri satisfacerem, dignatus es.

Quod mihi ab initiis fere religiosae vitae dedisti intelligere pretiosum illum in vita spirituali gradum, modum 3 humilitatis et ad illum me excitare ac stimulare non destitisti (1818).

Quod mihi singulari Providentia tua officia quaedam, etiam praeter Superiorum intentionem, demandari fecisti, et in iis locis habitare, ubi ad interioris vitae profectum multa mihi media et occasiones: Anno 1812, Puszam. Ad docendam Rhetoricam Nostrorum; a. 1820, Brigam, ad idem officium. (1820).

PARS ALTERA

NUNCII BREVIORES

ANNI MCMXXII

1.

DE SOCIETATE IN UNIVERSUM

Chronica Curiae Societatis 1922.

Ephemerides.

4 *ian.* — RR. DD. Britius Meuleman, Archiepiscopus Calcuttensis, postquam vires laboribus et Indiarum caelo attritas commoratione in Belgio paulum refecit, in reditu ad Missionem sacra Apostolorum limina visitat et Patrem Generalem convenit.

18 *ian.* — P. Iosephus De Giovanni, Praepositus Provinciae Neapolitanae, ex Collegio Cheriensi Neapolim rediens in Curiam devertit.

27 *ian.* — Pater Generalis Neapolim se confert, ut et otio iam diu desiderato ad labores aliquos finiendos tandem fruatur et rumores ac suspiciones penitus elevet, quibus ephemerides malae ante conclave vulgi curiositatem et odium in Societatem eiusque caput concitare solent et etiamnunc iam coeperunt. Die 4 febr. in Urbem revertitur.

29 *ian.* — Exsequiis in templo nostro Farnesiano pro anima Summi Pontificis Benedicti XV hora 10,30 sollemniter celebratis una cum aliis Urbis domibus interest tota Curiae communitas.

5 *feb.* — Advenit P. Franciscus de Lassberg (Prov. Germ. Sup.) ad visitandam Provinciam Hungariae destinatus; die 1 martii Budapestinum proficiscitur.

7 *feb.* — P. Augustus Bulot in via ex Collegio Cheriensi (Prov. Taur.) ad studia neapolitana inspicienda in Curiam devertitur. Die 25 eiusdem mensis Neapoli ad nos reversus, die

2 martii per Galliam iter in Collegium Valkenburgense prosequitur.

13 *feb.* — Hora 1,10 noctis moritur in domo nostra P. Petrus Viganò (Prov. Ven.).

Die 11 martii 1858 in pago Besana Brianza in mediolanensi dioecesi natus, per octo annos una cum Sancto Patre Pio XI litteris et philosophiae studuit. Mediolanensis Seminarii Missionum Exterarum alumnus, anno 1880 in Indiam est missus et die 23 ianuarii a. 1898 Episcopus consecratus, dioecesim hyderabadensem per 12 annos rexit. Anno 1908 in Italiam revocatus et titularis Episcopus Aezanitensis renuntiatus, Seminario suo Mediolanensi est praefectus et postea Episcopo Derthonensi (Tortona) auxiliarius a Pio X adiunctus. Dein in patriam aliquod tempus secessit, ubi, quod iam diu cogitaverat, vividius exoptare coepit, admissionem, inquam, in Societatem Iesu. Ex S. Sedis concessione, omnibus dignitatis insignibus dimissis, die 20 iunii anni 1917 in novitiatum, quem Provincia Veneta tunc temporis Cherii simul cum Taurinensi habebat, est ingressus; ibi cum novitiis pene pueris humilitate et docilitate puerum se fecit. Post peractam Manresae Tertiam Probationem P. Viganò, ardentissimi et diuturni voti demum compos factus, addicitur curae spirituali leprosorum in insula Culion (Miss. Philipp.): sed iam post sesquiannum morbi antea contracti vi atque medicorum sententia redire coactus est. Cum in Siciliam tendens per Urbem transiret, vehementia dolorum adeo aucta est, ut itinere abrupto ad nos devertere et statim in valetudinarium portari debuerit. Diuturnae aegritudinis molestiis atque doloribus non parum excruciatus, Benedicti XV atque Pii XI benedictione recreatus in patriam caelestem transiit.

26 *feb.* — P. Edmundus Walsh (Prov. Maryl.–Neo Eb.) ex Russia redit de miseris illarum gentium condicionibus relaturus. Die 8 martii ad Summum Pontificem admissus, biduo post in Americam proficiscitur, ut ibi res aliquas Missionis Pontificiae in Russiam mittendae paret.

12 *mart.* — In memoriam tertiam saecularem canonizationis SS. Ignatii, Francisci Xaverii, Philippi Nerii, Isidori, Teresiae, Em. Cardinalis Raphaël Merry del Val in Basilica Vaticana Sacrum sollemniter offert idque ex peculiari Summi Pontificis indulto ad altare Papae reservatum. Pater Generalis cum PP. Assistentibus, Patres Curiae et Fratres non impediti his sollemnibus intersunt.

14 *mart.* — Praepositi Provinciarum Italiae a Patre Nostro Romam invitati per quatriduum de rebus communibus consilia conferunt.

24 *mart.* — Lutetia Parisiorum advenit P. Ioannes Capello (Prov. Lugd.), Commissioni Pontificiae ad famelicos in Russia sublevandos addictus.

27 *apr.* — P. Antonius Valdecasas (Prov. Tolet.) insignes S. P. Ignatii reliquias, quas P. Generalis ad tempus Hispaniae concesserat, in Urbem refert et paucis diebus post S. Xaverii Bracchium in patriam reducit.

13 *maii.* — Inspectione Studiorum in Collegiis Valkenburgensi, Oenipontano, Cracoviensi, Neo Sandecensi peracta P. Augustus Bulot Patrem Generalem convenit et die 22 maii, gubernationem Domus Probationis Lugdunensis suscepturus, in suam Provinciam revertitur.

21-24 *maii.* — In aula maxima Collegii Germanici celebratur Conventus ad Congregationes B. M. V. promovendas a Patre Nostro in Urbem convocatus: adsunt Delegati omnium Provinciarum et Viceprovinciarum; ad ultimum consessum etiam externi admittuntur. Die 27 maii Procurator Generalis, P. Petrus Boetto, Patres Delegatos ad Summum Pontificem ducit qui eos magna benevolentia alloquitur.

6 *iun.* — P. Iosephus Barrachina, Hispaniae Assistens, proficiscitur in Hispaniam, ut ibi annuo Provincialium conventui praesit et negotia aliqua maioris momenti coram tractet; post mensem revertitur in Urbem.

28 *iun.* — P. Edmundus Walsh cum itineris et laborum in Russia suscipiendorum socio, P. Ludovico Gallagher (Prov. Maryl.-Neo Eb.) ex America revertitur; die 5 iulii, omnibus rebus compositis, Sancti Patris benedictione confirmati, itineri Moscoviam versus se committunt.

7 *iul.* — PP. Assistentes, Curiae aliarumque Romanarum domorum Patres multi intersunt cum Patre Nostro exsequiis sollemniter celebratis Moderatricis Generalis Sodalitatis S. Petri Claver, Mariae Teresiae Ledóchowska, Patris Generalis sororis et Missionum africanarum nostrarum generosae fautricis.

P. Ioannes B. Rabeneck, professor theologiae biblicae in cursu magisterii Universitatis Gregorianae nominatus, ad lectiones parandas et vires inter ferias aestivas reficiendas in suam se confert Provinciam.

24 *iul.* — Diem festum S. Wlodimiri hoc anno celebramus peculiari laetitiae additamento, cum primum contingat, ut duo

filii Societatis, ex ultimis Sinis oriundi, Patri Nostro vota sua nobiscum depromant: PP. Franciscus Borgia Tchang et Iosephus Zi (Miss. Nankinensis, Prov. Franc.) qui tertia probatione peracta et in patriam iam redituri, Romam a Patre Generali invitati sunt. Vesperi, magni Russorum principis, S. Wlodimiri, patrocinio confidens Commissio Pontificia ad famelicos in Russia sublevandos, in qua ex Nostris PP. Ioannes Capello, Dominicus Piemonte (Prov. Ven.), Fr. Iosephus Belokostolsky (Viceprov. Cechoslov.) partes habent, itineri in Crimeam se committit; Patres Sinenses vero ut in patriam vela faciant, Massiliam proficiscuntur.

25 *iul.* — P. Antoninus Zecchini (Prov. Ven.) visitatione apostolica rerum publicarum balticarum feliciter peracta cum socio P. Hadriano Boudou (Prov. Tolos.) in Urbem revertitur.

3 *aug.* — Hodie in villam Rufinellam abimus.

Post visitatam Provinciam Hungaricam P. Franciscus de Lassberg ad Patrem Generalem relaturus in Urbem venit et, aliquo tempore nobiscum transacto, in suam Provinciam revertitur.

9 *aug.* — Pater Generalis, cum ex semper crescentis ordinarii laboris onere et praesertim ex maiore extraordinariorum negotiorum pondere haud leve virium detrimentum acceperit, medicorum sententiae et PP. Assistentium desiderio obsequens, cum P. Stanislao Siemienski comite, Tigurum (Zürich) in Helvetiam se confert ad vires reficiendas.

16 *aug.* — P. Ianuarius Llona ad theologiam moralem in Collegio Maximo Oniensi docendam in Provinciam Castellanam revertitur.

28 *aug.* — Rectores Collegiorum Italiae in finitimum Collegium Tusculanum (Mondragone) congregati ut de puerorum institutione consilia conferant, Curiam in villa Rufinella visitant.

9 *sept.* — Ob Exercitia tunc peragenda, hodie iam celebramus anticipatis gratulationibus et laetitia diem, quo ante sexaginta annos (27 sept. 1862) P. Alfredus Maertens tirocinium Provinciae Belgicae ingressus est. Patrem, primum in munere Procuratoris Generalis et nunc Oeconomi Generalis de universa Societate optime meritum, etiam Em. Card. Ludovicus Billot aliique hospites praesentes honoraverunt.

18 *sept.* — Pater Noster recreatus et novis viribus auctus in Urbem redit. Gravissimis de Instituto Orientali suscipiendo negotiis ordinatis ad nos venit, ut in ruris puriore aëre et grata

tranquillitate per paucos dies ea quiete fruatur, quam medicus ad recuperatam valetudinem confirmandam praescripsit.

Eodem die (18 sept.) vesperi communitas Curiae Sacra Exercitia incipit.

29 *sept.* — Reditus in urbem.

1 *oct.* — RR. DD. Gulielmus O'Hare, Episcopus Maximianopolitanus et Vicarius Apostolicus Iamaicensis, qui inter nostram rusticationem in Urbem advectus, in Collegium Pio Latinum deverterat, hodie Curiam praesentia sua honorat.

2 *oct.* — Quod simul cum numero sociorum et domorum Assistentiae Americae pari gressu etiam aucta est multitudo negotiorum illinc in Curiam allatorum, Pater Generalis statuit huic quoque Assistentiae, sicut reliquis, suum attribuere Substitutum, cuius partes ad hoc usque tempus Substitutus Angliae egerat. Huic muneri destinatus, hodie advenit P. Thomas Donnelly (Prov. Miss.).

5 *oct.* — Redit ex Collegio Sarriensi (Prov. Arag.) P. Ioannes B. Ferreres, sedem suam in Commissione ad ius nostrum recognoscendum denuo occupaturus; item die 21 eiusdem mensis P. Antonius Arregui.

11 *oct.* — P. Iosephus Hanselman, iam ex aliquo tempore debilitatae valetudinis, ut vires recuperet, e medicorum sententia a Patre Nostro in insulam Melitam (Malta) mittitur.

P. Ludovicus Kösters (Prov. Germ. Inf.), Visitator Provinciae Legionensis nominatus, in Urbem venit.

28 *oct.* — P. Antonius Huonder (Prov. Germ. Sup.) ad laborem quendam de Missionibus ad ethnicos conficiendum Romam vocatus, usque ad diem 7 decembris in Curia deversatur.

16 *nov.* — Praepositus Provinciae Venetae, P. Ioannes B. Battisti, paucos dies apud nos commoratur.

22 *nov.* — P. Iulianus Sautu (Prov. Cast.) S. Francisci Xaverii Bracchium ex Hispania per Galliam in Urbem refert.

11 *dec.* — P. Hilarius Azzolini ex Universitate Gregoriana vocatur in Curiam, ut Patribus ad ius nostrum recognoscendum deputatis operam suam praestet.

16 *dec.* — Iuris nostri Commissio P. Benedicto Ojetti (Prov. Rom.), Lectore iuris canonici in Universitate Gregoriana, P. Iosepho Welsby (Prov. Angl.), P. Antonio Maas (Prov. Maryl.-Neo Eb.), utroque Tertiae Probationis Instructore, ita aucta est, ut

singulae Assistentiae suum quemque in ea habeat Patrem. Hodie advenit P. Iosephus Welsby.

19 *dec.* — R. P. Antoninus Zecchini, Delegatus Apostolicus in Lettonia, Lithuania, Esthonia nominatus et mox Archiepiscopus consecrandus, ad nos venit.

21 *dec.* — P. Iaphet Jollain, Praepositus Prov. Neapolitanae, ad negotium suscipiendae Domus Exercitiorum cum Patre Generali et Supremo Equitum Melitensium Magistro tractandum usque ad diem 30 decembris nobiscum commoratur.

23 *dec.* — Revertitur P. Iosephus Hanselman, qui ingravescente morbo in Curiam redire quam ardentissime gestiverat. Die 29 huius mensis hora 3 post meridiem aegrotus tota Communitate adstante, sanctae unctionis sacramento munitur.

Catalogus Sociorum et officiorum Curiae Societatis Iesu mense septembri 1922.

A. R. P. N.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITUS GENERALIS

A DIE 11 FEBRUARII 1915.

P. Franciscus de Paula Nalbone, *Assist. Ital., Vicesup. dom.*	Prov.	Sic.
P. Rudolphus van Oppenraaij, *Assist. Germ., Conf. dom., Praef. val.* . .	»	Neerl.
P. Eduardus Fine, *Assist. Gall., Conf. dom., Admon.*	»	Lugd.
P. Iosephus Barrachina, *Assist. Hisp., Praef. spir., Conf. dom.*	»	Arag.
P. Hermannus Walmesley, *Assist. Angl., Conf. dom.*	»	Angl.
P. Iosephus Hanselman, *Assist. Amer., Conf. dom.*	»	Maryl.-N. E.

P. Henricus Carvajal, *Secr. Soc., Cons. dom. an. 2*	Prov.	Leg.
P. Petrus Boetto, *Proc. Gen., Conf. dom.*	»	Taur.
P. Alfredus Maertens, *Oecon. Gen., Conf. dom., Cons. dom. an. 3*	»	Belg.
P. Petrus de Champs de S. Léger, *Min., Subst. Secr. Soc. pro Ass. Gall., Proc., Praef. sac. dom., Cons. dom. an. 3*	»	Franc.
P. Azzolini Hilarius, *Vicepostul. gen. caus. NN. VV. et BB. (in Univ. Greg.)*	»	Ven.
P. Beccari Camillus, *Postul. gen. caus. NN. VV. et BB. (in Univ. Greg.)* . . .	»	Rom.
P. Cassiani Ingoni Iulianus, *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Ital., Praef. lect. ad mens.*	»	Ven.
P. Donnelly Thomas, *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Amer.*	»	Missour.
P. Drexel Iosephus, *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Germ.*	»	Austr.
P. Goetstouwers Ioannes B., *Archiv.* . .	»	Belg.
P. Gonthier Carolus, *Rev. gen. libr., Praes. coll. cas., Cons. dom. an. 3, Cons. S. Congr. de Discipl. Sacram.* . .	»	Lugd.
P. Kleiser Alfonsus, *Adiut. Secr. Soc. (Exaten bij Baexem, Neerlandia, L.).* . .	»	Germ. Sup.
P. Mac Mahon Gulielmus, *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Angl., Praef. bibl.* . . .	»	Angl.
P. Palermo Lazzarini Dominicus M., *Rev. gen. libr. (in Univ. Greg.)*	»	Rom.
P. del Páramo Nicephorus, *Subst. Secr. Soc. pro Ass. Hisp.*	»	Leg.
P. del Portillo Henricus, *Rev. gen. libr.* .	»	Tolet.
P. Rabeneck Ioannes B., *Rev. gen. libr. (in Instit. Bibl.).*	»	Germ. Inf.
P. Siemienski Stanislaus, *Adiut. Secr. Soc. et Proc. Gen.*	»	Pol.
P. Werner Otto, *Cur. Act. Rom. et Mem. S. I., Expl. med. FF. CC.*	»	Austr.

COADIUTORES

Baguña Narcissus, *Aman., Ian. 2, Ad dom. Soc. exeunt.*	Prov.	Arag.
Banquells Ignatius, *Soc. 1 P. Gen., Aman., Aedit., Vis. mat. et noct.*	»	Arag.
Barlassina Ioannes B., *Sart., Cust. vest. et lint., Tons., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Ven.
Beckmann Godefridus, *Soc. 2 Adiut. Secr. Soc. (Exaten)*	»	Germ. Inf.
Bellon Victor, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Lugd.
Bosch Iosephus, *Soc. 2 Oecon. Gen., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Arag.
Cremades Zacharias, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Arag.
Del Vecchio Vincentius, *Infirm., Aman., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Rom.
Descuffi Ioannes B., *Cust. pen., Adiut. coq. et cell., Ad dom., Soc. exeunt.* . .	»	Angl.
Durelli Ioannes, *Adiut. aedit., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Ven.
Herrero Aemilius, *Soc. 2 P. Gen., Aman., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Leg.
Lampe Maximilianus, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Neerl.
Oteiza Esdras, *Aman., Adiut. Infirm., Comp. mss. et libr., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Cast.
Otrebski Eugenius, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Pol.
Prieto Iosephus, *Soc. 1 Oecon. Gen., Vis. med. et exam., Ad dom.*	»	Leg.
Sangalli Iosephus, *Empt., Coq., Cell. Excit.*	»	Ven.
Weidinger Ioannes B., *Aman., Ian. 1, Ad dom., Soc. exeunt.*	»	Ven.
Wenzel Iosephus, *Soc. 1 Adiut. Secr. Soc. (Exaten).*	»	Austr.

Curiae annumerati sunt:

P. Arregui Antonius M., *Par. revis. Inst.* Prov. Cast.
P. Besson Iulius, *Par. revis. Inst., Conf. dom.* . . . . . » Tolos.
P. Coemans Augustus, *Par. revis. Inst.* . » Belg.
P. Ferreres Ioannes B., *Par. revis. Instit.* » Arag.

Sac. 25 — Coad. 16 — Univ. 41

Causae et Cultus Sanctorum Societatis.

(1922)

Causae.

B. Petrus Canisius. — Alterum miraculum fertur patratum in Collegio Maximo Valkenburgensi. Scholasticus quidam, theologiae auditor, gravissima sanguinis « sepsi » quam vocant affectus et ad extremum usque vitae discrimen adductus, dum tota communitas mense martio iterum pro ipso novendiales preces ad B. Petrum Canisium fundit, quam citissime convaluit. Cum primum quoque miraculum (*Mem.* I, 1921, 528) in eodem oppido factum sit, idem ecclesiasticum tribunal de ambobus inquirere potest. Mense septembri Valkenburgum missus est romanus medicus D. Iosephus Salvatori ut processui instruendo assisteret, utpote qui hac in re multum experientiae habeat, cum soleat a Promotore Fidei circa Servorum Dei miracula plerumque consuli. Iam mense octobri processus ad finem deductus erat et eius transscriptio ac versio latina, de speciali Sacrae Congregationis permissione (deberet enim Romae a SS. Rituum Cancellario fieri), Valkenburgi a Nostris curatur. Ita, Deo favente, solida spes effulget Beatum Canisium anno 1925 in Sanctorum numerum adscriptum iri.

Ven. Robertus Card. Bellarminus. — Die 4 aprilis habita est Congregatio Antepraeparatoria super tribus miraculis (*Mem.* I 1921, 528) propositis pro Venerabilis Cardinalis beatificatione: primum quidem miraculum magnam facessit difficultatem, et ideo ad Congregationem Praeparatoriam, subsequenti mense ianuario habendam, non amplius proponetur; reliqua duo vero, a peritis quoque modernis semel atque iterum diligentissime et sub iura-

menti fide examinata, talia sunt quae omnibus resistant oppugnationibus.

Ven. Claudius de La Colombière. — Romae et Bononiae continuantur et ad finem perducuntur processus apostolici de duobus miraculis (*Mem.* I, 1920, 351): processus bononiensis Romam delatus est mense decembri et sub finem anni Sacrae Congregationi item remissus. Haec duo miracula simul cum tertio antiquiore (1903) bonam spem faciunt felicis exitus huius causae; nam a quarto miraculo (requiruntur enim quattuor miracula in hoc casu, ex canone 2117) facilius dispensatio obtineri poterit. Cum tamen in proximum Annum Sanctum 1925 iam plures Canonizationes et Beatificationes antea propositae parentur, inter quas pro Societate canonizatio B. Petri Canisii, vix sperandum est fore ut haec quoque Venerabilis Claudii causa in eundem annum finiri possit.

Ven. Iulianus Maunoir. — Sepulcrum Venerabilis, diu frustra requisitum, initio mensis septembris tandem inventum est magna cum laetitia totius Corisopitensis (Quimper) dioecesis. Iam parata est positio pro nova Congregatione Praeparatoria (*Mem.* I, 1920, 351), quae tamen nondum haberi potuit.

VV. Martyres Angliae. — Nominatur Ponens huius Causae Em. Card. Aidanus Gasquet. Conficiuntur articuli et interrogatoria pro processu apostolico super martyrio et in Angliam sub finem anni mittuntur una cum litteris remissorialibus Sacrae Congregationis.

Ven. Paulus Capelloni. — Vicepostulator neapolitanus mense iunio Romam detulit processum apostolicum de virtutibus et miraculis in specie, qui Sacrae Congregationi traditus est transscribendus et examinandus.

Servi Dei Martyres Canadenses. — Continuatur processus apostolicus super martyrio et causa martyrii: ob difficultatem interrogandi quosdam testes nova prorogatio in annum a S. Congregatione peti debuit.

S. D. Philippus Jeningen. — Inter alias litteras postulatorias hoc anno ad Summum Pontificem missas pro huius Servi Dei beatificatione, notatu dignae sunt binae litterae ab Excellentissimis Württembergensibus Principibus subscriptae.

S. D. Petrus de Clorivière. — Conficitur in dioecesi Rhedonensi (Rennes) processiculus, quem vocant, diligentiarum de perquisitione circa scripta Servi Dei. Quod id fit in dioecesi Rhedonensi et

non (ut deberet) in Parisiensi, tribuendum est benignitati Em. Card. Alexii Charost, Rhedonensis Archiepiscopi, qui hoc negotium in se assumpsit ut citius causa expediatur: Parisiis enim, cum plures aliae beatificationis causae agitentur, solum lente ad Servi Dei scriptorum perquisitionem procedi posset.

S. D. Franciscus M. Galluzzi. — Transcribitur processus ordinarius et cum authentico confertur. Coeptus est processiculus diligentiarum super perquisitione scriptorum: cum Servus Dei permulta admodum scripserit, examen longum erit.

S. D. Paulus Ginhac. — Petuntur ab Episcopis Galliae Meridionalis litterae postulatoriae pro obtinenda introductione causae; quas litteras ipsi libenter dant.

Causae novae mox incipiendae.

Patre Nostro iubente hoc anno agi coeptum est de inchoandis causis aliquot Servorum Dei e Societate nostra, quorum nomina hic ponimus secundum ordinem chronologicum:

P. Hermannus Glandorff († 1763), Prov. Germaniae Inf., apud Mexicanos missionarius zelantissimus (*Mem.* I,1920,354). Episcopi totius Germaniae, in annuo conventu Fuldae congregati, die 23 augusti 1922 ad Patrem Nostrum supplicem epistolam miserunt, qua petebant ut huius Servi Dei causam idem Pater Noster promovendam curaret. Nomine omnium Episcoporum subscripserunt Em. Cardinales Bertram et Faulhaber una cum Episcopo Osnabrugensi, in cuius dioecesi P. Hermannus ortum habuit. Pater Generalis Postulatori nostro commisit ut causam susciperet, qui iam agere coepit cum Praeposito Provinciae Mexicanae de Vicepostulatore ibidem constituendo.

Reliquiae P. Hermanni Glandorff, qui primo medio saeculo decimo octavo tanto studio inter Tarahumaras (Mexico) laboravit atque pietate et prodigiis ita resplenduit, ut etiam nostris temporibus memoria eius apud gentem illam non perierit, Patribus Mexicanis redditae sunt. P. Hermannus die 10 augusti anni 1763 in pago Tomochic mortuus et in eiusdem loci templo sepultus est. Inde Patres Franciscani, qui post expulsos Nostros curam Missionis susceperant, corpus ne ab hominibus nefariis violaretur, anno 1771 in suum B. M. V. Guadalupensis monasterium prope urbem Zacatecas transtulerunt. Die 15 aprilis huius anni (1922) R. P. Provincialis Franciscanorum pretiosum pignus, diplomate sollemniter

confecto, Nostris donavit, qui venerandum corpus in Residentiam Mexicopolitanam SS. Angelorum portarunt.

P. Carolus Odescalchi († 1841), e Prov. Romana, qui, deposita episcopali et cardinalitia dignitate Societatem ingressus, in ea mirum in modum eximias, quibus iam fulgebat, virtutes excoluit et perfecit. Colliguntur documenta et parantur articuli pro conficiendis processibus ordinariis Romae, ubi fere totam vitam egit ante initam Societatem, et Mutinae, ubi mortuus est et sepultus.

R. P. Ioannes Roothaan († 1853), Praepositus Generalis XXI, e Prov. Romana, qui quantam vitae sanctimoniam religiosamque omnimodam perfectionem ex S. P. Ignatii Exercitiis Spiritualibus hauserit, omnibus Societatis filiis notum est. Petente Provincia Neerlandica, Pater Generalis hanc causam suscipiendam duxit; quod per P. Postulatorem iam coeptum est, P. Petro Albers (Prov. Neerl.) Vicepostulatore renuntiato. Parantur articuli pro ordinariis processibus conficiendis.

P. Fridericus Tornielli († 1876), e Prov. Taurinensi, qui vere dici potest apostolus Sardiniae, ubi etiam nunc « Pater Sanctus » passim nominatur: in exilium e Sardinia pulsus, plures Italiae dioeceses excoluit, et tandem Castri Gandulphi prope Romam obiit, ibique sepultus est. Parantur articuli pro ordinariis processibus.

P. Nicolaus Rodriguez († 1900), e Prov. Castellana (*Mem.* I, 1920, 360-362). — Cum plures annos vixerit in Lusitania, quam Nostri nondum ingredi permittuntur, ibidem renuntiatus est Vicepostulator RR. Dominus Vicarius Generalis Aegitaniensis dioecesis (Guarda); in Columbia, ubi Dei Servus mortuus est, P. Emmanuel Mejía (Prov. Cast.) Superior Neo-Carthaginiensis Residentiae, eodem munere fungitur; colliguntur documenta.

P. Franciscus de Paula Tarín († 1910), e Prov. Toletana, (*Mem.* I, 1920, 362-365). — Parantur articuli pro ordinariis processibus conficiendis, renuntiato Vicepostulatore in Hispania P. Alberto Risco (Prov. Tolet.), qui vitam Servi Dei descripsit.

P. Henricus Auffroy († 1914), e Prov. Campaniae, occisus dum, saeviente bello, boni Pastoris partes adimplet in quodam pago dioecesis Rhemensis (Reims). Cum liber, nuper editus a P. Bouchon, ipsius virtutes prorsus eximias ostendisset, Postulator Generalis Patrem Nostrum rogavit ut sibi liceret causam beatificationis inchoare; qua facultate facile obtenta, iam cum P. Provinciali Campaniae agere coepit, ut opportuna parentur documenta et Vicepostulator ibidem designetur.

* * *

Causa beatificationis *Catharinae Tegakwitha*, licet ad Societatem non pertineat, hic tamen commemoranda videtur. Haec enim virgo hiroquensis, quae sub finem saeculi XVII in Nova Gallia seu Missione Canadensi floruit, a Patribus Societatis baptizata et in christiana perfectione erudita, sub eorum directione tantum profecit ut, vix vigesimum et tertium attingens aetatis annum, iam magnam sanctitatis famam adepta ad caelum evolaret, multis dein ad haec usque tempora illustrata prodigiis. Quibus permoti Episcopi III Concilii Baltimorensis eius beatificationem petierunt. Hoc igitur anno Episcopus Albanensis (Albany), in cuius dioecesi sepulcrum Catharinae invenitur, praedicti Concilii Baltimorensis votis obsecundans, ad hanc causam manus admovit, sed Societatem rogavit sibi hoc munus assumeret, ut antiquorum Patrum Catharinae in via Domini magistrorum operam veluti compleret. Libenter annuit Pater Generalis, et ideo haec causa a P. Postulatore nostrae Societatis agetur, sicut olim factum est pro Beata Maria Anna a Iesu de Paredes.

CULTUS.

Primum sane commemoranda essent, quae hoc anno tertio saeculari a canonizatione in honorem Parentum nostrorum SS. Ignatii et Francisci Xaverii ubique terrarum a Societatis filiis acta sunt; cum vero eorum praecipua aliqua P. Secretarius litteris suis narrasset (de S. Ignatio: pp. 2, 15, 54, de SS. Ignatio et Francisco X. n. 1: pp. 6, 7 et 1, de Bracchio S. Francisci X. n. 1 p. 7 et pp. 4, 5, 29-32, 51 sq.), eadem hic repetenda non videntur. Neque quae ibidem (p. 52) de monumento Ven. P. Iosepho Anchietae in Brasiliae oppidulo Reritigbae erecto et de sollemnibus tertiis saecularibus a morte Servi Dei Leonardi Lessii Brechtii in Belgio celebratis (p. 32) habentur.

NOMINATIONES PONTIFICIAE.

Postquam Pater Generalis electique ipsi ex Constitutionum mente omnia tentarunt, ut honores averterent, S. Sedis clarae et certae voluntati cedendum erat.

Sanctitas D. N. Pii XI in Consistorio secreto, quod die 11 decembris 1922 in palatio Apostolico Vaticano habitum est, R. P. Franciscum Ehrle (Prov. Germ. Sup.) S. R. E. Cardinalem creavit et publicavit (*A. A. S.*, vol. XIV, 614) eidemque die 14 decembris in Consistorio publico rubrum galerum sollemniter tradidit et diaconiam S. Caesarei in Palatio assignavit (l. c. 621 sq.).

Idem SS. D. N. Pius XI R. P. Antoninum Zecchini (Prov. Ven.), qui anno superiore munere Visitatoris Apostolici in Statibus Balticis functus est, die 20 octobris titulari archiepiscopali Ecclesiae Myrensi praefecit et die 25 octobris Delegatum Apostolicum in Lettonia, Lithuania, Esthonia nominavit (l. c. 549, 608).

In consistorio secreto diei 11 decembris etiam publicatus est Episcopus Tabasquensis R. P. Paschalis Diaz (Prov. Mex.; l. c. 620).

II.

DE SINGULIS PROVINCIIS.

Visitatio Provinciarum.

Ass. Germaniae,	Prov. Austriae:	P. Everardus Beukers (Neerl.) 24 oct. 1922-8 maii 1923.
»	» Prov. Germaniae Sup:	P. Everardus Beukers (Neerl.) 15 feb.-15 iul. 1922.
»	» Prov. Hungariae:	P. Franciscus de Lassberg (Germ. Sup.) 6 mart.-26 iul. 1922.
» Galliae,	Prov. Campaniae:	P. Aemilius Thibaut (Belg.) 9 oct. 1922-11 iul. 1923.
» Hispaniae,	Prov. Legionensis:	P. Ludovicus Kösters (Germ. Inf.) 2 nov. 1922-2 maii 1923.
» Americae,	Prov. Californiae:	P. Norbertus de Boynes (Franc.) 30 mart. 1922-25 ian. 1923.

P. Norbertus de Boynes ex die 19 ian. 1922 usque ad diem 6 iun. 1923 munere Visitatoris totius Assistentiae Americanae functus est.

Visitatio Missionum.

Missiones Tres Brasiliae:	P. Marcellus Rénaud (Mex.) 15 iul. 1920.
Miss. Australiae (Prov. Hib.):	P. Gulielmus Power (Neo Aurel.) 31 oct. 1922-27 iun. 1923.
Miss. Iamaicensis (Prov. Maryl.-Neo Eb.):	P. Norbertus de Boynes (Franc.) 13 febr.-10 mart. 1922.

Studiorum Superiorum Inquisitio.

P. Aug. Bulot invisit vere a. 1922 praeter Coll. Valkenburgense (v. *Mem.* I, 1920, 368; 1921, 539): Collegia Oenipontanum (Theol. et Phil., Austr.), Cracoviense (Theol., Pol.), Neo Sandecense (Phil., Pol.). Visitatis porro ineunte a. 1923 Coll. Stonyhurstensi (Phil., Angl.), S. Beunonis (Theol., Angl.), Dublinensi (Theol. et Phil., Hib.) mandatum sibi a Patre Generali negotium confecit.

Provinciarum Administratio.

Nominationes Superiorum maiorum.

Administrationem suscipiunt anno 1922:

6 ian. — R. P. Iosephus Giannella Missionis Brasiliae Centralis Superior.

25 feb. — R. P. Ioannes Fahy Provinciae Hiberniae Praepositus.

22 apr. — R. P. Antonius P. Preseren Viceprovinciae Iugoslaviae Praepositus.

4 iun. — R. P. Gabriel Vilallonga Provinciae Castellanae Praepositus.

23 iun. — R. P. Laurentius I. Kelly Provinciae Marylandiae-Neo Eboracensis Praepositus.

31 iul. — R. P. Iosephus Filograssi Provinciae Romanae Praepositus.

15 aug. — R. P. Prosper N. Malzieu Missionis Aequatorianae Superior.

9 sept. — R. P. Iaphet Jollain Provinciae Neapolitanae Praepositus.

Mutati Provinciarum fines.

Postquam decreto diei 20 ianuarii a. 1921 fines inter Poloniae et Germaniae Inferioris Provincias iidem sunt statuti, qui inter res publicas Germaniae et Poloniae, exclusa tamen ea Silesiae parte, de qua tunc populi scitum instabat, eo peracto etiam regio illa die 12 martii a. 1922 (*Act. Rom.* III, 1922, 473 sq.) inter utramque Provinciam secundum fines politicos est divisa.

Domus novae, instauratae, dissolutae.

Ass. Italiae. — Provinciae Neapolitanae hoc anno contigit Collegium externorum discipulorum, quod ante aliquot annos ob angustias loci dimiserat, in aliis, multo amplioribus aedibus instaurare. — Neapolitanum Collegium SS. Cordis: Istituto Pontano, Palazzo Cariati, Napoli.

Provincia Sicula Seminarium Parvum ex monsmellensi oppido (*Mussomeli*), ubi ad tempus tantum fuerat, *Netum* (*Noto*) transtulit. Episcopus enim huius urbis, documento apud S. Sedem deposito, Societati concessit usum perpetuum amplae domus, ea nobis gratissima lege ut aedificii pars, Domui Exercitiorum erigendae destinaretur. — Seminario S. Giovanni, Noto (Siracusa).

Alia Exercitiorum Domus in Provincia Veneta aperta est: ad Sartiranensem enim hoc anno accessit *Triuggio*, quae domus perinde ac illa a Collegio Mediolanensi pendet. Eam, pristinae suae Mediolanensi Archidioecesi praecipue destinatam, Summus Pontifex ipse SS. Cordis statua exornavit ad eamque inaugurandam Legatum deputavit, sic plane manifestans quanti opus Exercitiorum faceret. — Villa S. Cuore, Triuggio (Milano).

Ass. Germ. — In Slovachia alteram praeter Domum Probationis Tyrnaviensem hoc anno fixit Viceprovincia Cechoslovaca sedem in oppido *Ružomberok* et inter bonos huius regionis fideles cum ordinariis Societatis ministeriis in templo tum missionibus laeto fructu laborare coepit. — Ružomberok, Námestie 234.

Norimbergensis et *Straubingensis* Stationes (Prov. Germ. Sup.) auctae et munitae Residentiae nomine nunc honestantur.

Domus Probationis *Labacensis* Viceprov. Iugoslaviae die S. Ioseph sacro demum aperire potuit fidelibus templum suum. Iam ante bellum exstructum, a militibus primum per annum occupatum est, deinde per magistratus civiles qui alimenta ibi servarent. Pace

facta religionis inimici omnia tentaverunt, ut perpaucis, qui in illa urbe sunt, traderetur schismaticis. Quibus difficultatibus periculisque S. Ioseph miro adiutorio feliciter superatis, templum die 19 martii consecrari potuit et fideles pietate, quae certo nihil cessit liberalitati, qua ecclesiam eleemosynis suis curaverant adornandam, confluxerunt ad missionem, quae eodem die vesperi haberi coepta est.

Quod Provincia Poloniae, ut laetae vocationum abundantiae provideret, iam ante complures annos coeperat (*Mem.* I, 1919, 86), nunc ad felicem exitum perductum est: die 19 novembris quo sollemnitas S. Stanislai pro foro agebatur, alterum tirocinium *Calissii* in antiquo PP. Bernardinorum monasterio, haud levibus sumptibus refecto, ab Ordinario loci sollemniter est benedictum. Adfuerunt duo Poloniae Cardinales et tres Episcopi. Iam die 20 octobris Magister cum priore 20 Novitiorum Coadiutorum turma Staraviesia advenerat, quos paulo post 25 Novitii Scholastici sunt secuti. — Kalisz, ul. Stawiszynska, 2.

Seminarium Parvum Cracovia translatum est in *Neo Sandecense* Collegium.

Die 15 augusti eiusdem Provinciae Patres, liberalitate Comitissae Ballestrem vocati et summa populi laetitia excepti, regressi sunt in *Rudensem* Residentiam et templum, quae ante 50 annos lege iniqua contra Societatem in Germania lata relinquere debuerant. Ruda sita est in ea Silesiae parte, quae nunc pars est rei publicae polonicae. — Ruda, ul. Koscielna 2.

Residentia *Tessinensis* (Prov. Pol.) ob res publicas mutatas iurisdictioni Praepositi Viceprovinciae Cechoslovacae subiecta est.

Ass. Galliae. — Operi « Action Populaire » contigit sedem suam in domo propria prope Lutetiam constituere adeo a media urbe remota, ut aëre salubri et spatio libero Patres non careant. — Rue de Paris, 17, Vanves (Seine).

Provincia Tolosana *Hernaniensem* Stationem in Hispania reliquit.

Ass. Hisp. — Provincia Aragoniae Exercitiis clausis tradendis destinavit magnam partem amplissimae Residentiae *Oscensis* (Huesca) et *Palmensis*, quod est antiquae Societatis Collegium ubi S. Alphonsus Rodriguez per tot annos degebat.

In urbe Montevideo (Uruguay) Nostri (Prov. Arg.-Chil.) ex anno 1880 simul cum aliis pueris multo maiorem partem cleri

illius rei publicae educaverant. Hoc anno autem (1922), ex S. Sedis et Episcoporum voluntate, ad mentem Concilii Tridentini, Seminarium a Collegio separatum et sacerdotum saecularium curis commissum est. Nostris remanet Collegium, Societatis sumptibus exstructum, quod hoc anno (1922) 378 discipulos habuit.

Provincia Mexicana parvam Residentiam *Marfensem* in Statu Texas Confoederationis Americae Septemtrionalis reliquit.

Ass. Angliae. — Prope ipsum Hiberniae caput, Dublinum, Nostri Domum Exercitiorum, praecipue operariis et scholarum catholicarum discipulis, instituerunt. Eam Archiepiscopus Dublinensis sollemniter inauguravit et iam quinque primis mensibus 1200 viri sacrum secessum ibi peregerunt.

Provincia Canadensis villam « La Broquerie » quae ad ripas fluminis S. Laurentii sita, decem circiter passuum milia ab urbe Montréal distat et iam ex anno 1910 usque ad annum 1913 Exercitiis clausis tradendis inserviebat, denuo huic operi destinavit. Ad eam mensibus aestivis 380 accesserunt exercitantes, maxime iuvenes.

Ass. Americae. — Provincia Californiae ex quattuor Residentiis quas in urbe *S. José* habuit, unam, paroecia Archiepiscopo restituta, reliquit.

Novae Angliae Viceprovincia Philosophis suis novam domum paravit in *Weston* (Massachusetts). Die 2 ian. a. 1922 mane primi Scholastici e domo Poughkeepsie advenientes universa tam bene praeparata invenerunt, ut post duas horas ordinem diurnum solitum in omnibus sequi possent. — Fairview, Concord Road, Weston, Mass.

Universitas S. Ludovici (S. Louis; Prov. Miss.) praedium, *White House* appellatum coëmit, quod ab urbe non longe distans, ad secessus instituendos quam aptissimum videtur; hortus enim sat amplus (75 acres) et flumine laetus exercitantibus pacem desideratam et necessariam recreationem praebet. Aedificio amplificato facile 50 homines recipi poterunt. Iam die 20 aprili Exercitia dominis laicis haberi coepta sunt. Foedus dominorum ad Exercitia clausa promovenda expensas in emenda domo factas (45.000$) et in ea novo fini aptanda faciendas in se suscepit et spérat brevi pretium Nostris reddi iisque Domum Exercitiorum dono offerri posse.

Domo Probationis Matisconensi (Macon) mense novembri 1921 incendio destructa, tirocinium Provinciae Neo Aurelianensis mense

iunio proximo in pristinum Collegium S. Caroli urbis *Grand Coteau*, Status Louisianae, est translatum. — St. Charles College, Grand Coteau, La.

Collegium *Galvestionense* S. Mariae eiusdem Provinciae ob exiguum discipulorum numerum et eo quod nulla habebatur spes futuri incrementi, portas suas clausit et in posterum Nostri ibi paroeciae tantum curam gerent.

SOCIETATIS HISTORIA.

Libris quos de Societatis historia tractantes *Mem. S. I.*, I (1920) 376 sqq. exhibuimus, nunc addendi sunt:

De antiqua Societate:

Gallia: FOUQUERAY HENRI, *Histoire de la Compagnie de Jésus en France des origines à la suppression* (1528-1762). Tome III: *Epoque de progrès* (1604-1623). Paris, 1922, Bureaux des Études, XIV-648.

De Societate restituta:

Germania: PFÜLF OTTO, *Die Anfänge der deutschen Provinz der neu erstandenen Gesellschaft Jesu und ihr Wirken in der Schweiz* 1805-1847. Freiburg, 1922, Herder, VIII-522.

Gallia: BURNICHON JOSEPH, *La Compagnie de Jésus en France. Histoire d'un siècle:* 1814-1914. Tome quatrième: 1860-1880. Paris, 1922, G. Beauchesne, 706.

De universa Societate:

CAMPBELL THOMAS J., *The Jesuits 1534-1921. A history of the Society of Jesus from its foundation to the present time.* New York, 1921, The Encyclopedia Press, XVI-938.

De Missionibus:

Indiae: JOSSON H., *La Mission du Bengale Occidental ou archidiocèse de Calcutta. Province belge de la Compagnie de Jésus.* Bruges, 1921. Imprimerie St. Catherine, duo vol. XVI-496, XII-479.

VÄTH ALFONS, *Die deutschen Jesuiten in Indien. Geschichte der Mission von Bombay-Puna* (1854-1920). Regensburg, 1920, Kösel u. Pustet, VIII-260.

America: PASTELLS PABLO, *Historia de la Compañia de Jesus en la Provincia del Paraguay (Argentina, Paraguay, Perú, Bolivia y Brasil) segun los documentos originales del Archivo General de Indias*, Tomo IV, Madrid, 1923, Victoriano Suarez, pp. 572.

III.

DE MISSIONIBUS.

Administratio.

Novi Episcopi, Superiores Regulares.

RR. DD. Henricus Doering, Archiepiscopus Maditensis, die 3 ian. 1922 e Collegio Valkenburgensi cum quattuor Patribus profectus, d. 21 febr. in portum iaponicum Kobe appulit; postridie in domum nostram Tokiensem advenit, ut ibi se pararet ad occupandum novum Missionis campum, qui ei a S. Sede in dioecesi Osaka committeretur.

R. P. Vincentius Huarte (Prov. Cast.) die 26 aprilis 1922 titulari episcopali Ecclesiae Resainensi a Summo Pontifice praeficitur (*A. A. S.*, vol. XIV, 351) et die proximo Vicarius Apostolicus de Ngan-hoei nominatur (l. c., 356); die 24 sept. in urbe Wuhu consecratus est a RR. DD. Prospero Paris, Vicario Apostolico Nankinensi.

RR. DD. Henricus Lécroart, Vicarius Apostolicus de Tcheli Mer.-Orientali, decreto a S. Congregatione de Propaganda Fide die 7 iunii 1922 lato, nominatur Visitator Apostolicus Missionum Indo-Sinensium earum, quae Delegati Apostolici Indiarum Orientalium iurisdictioni non sunt subiectae (*A. A. S.*, vol. XIV, 502 sq.).

Die 19 octobris 1922 Sacra Congregatio de Propaganda Fide declaravit ad suum beneplacitum R. P. Robertum Brown (Prov. Angl.) Praefectum Apostolicum Zambesiae.

Decreto diei 15 novembris 1922 eadem Sacra Congregatio Administratorem Apostolicum dioecesis Poonensis ad suum beneplacitum declaravit R. P. Maximilianum Riklin (Prov. Germ. Sup., *A. A. S.*, vol. XIV, 649).

* * *

Administrationem suscipiunt:

1 ian. 1922. — R. P. Aloisius Barmaverain, Missionis Hwaisensis Superior.

1 ian. — R. P. Raphael Ruiz, Missionis Wuhu Superior.

1 ian. — R. P. Iosephus M. Argüelles, Missionis Ngankingensis Superior.

2 febr. — R. P. Aloisius Bertrán, Missionis Bombayensis-Poonensis Superior.

2 iun. — R. P. Edmundus Lermusieaux, Missionis Gallensis Superior.

Mutationes in Missionibus.

Die 2 februarii huius anni 1922 est promulgatum Decretum quo Missio Bombayensis, comprehendens archidioecesim eiusdem nominis et dioecesim Poonensem, Provinciae Aragoniae attribuitur (*Act. Rom.* III [1921] 368 sq.; *Mem.* I [1921] 583).

Nuntii ex Missionibus.

Asia.

Missio Bengalensis (*Prov. Belg.*).

Quam laetos progressus in Chota-Nagpore sancta fides faciat, coniicere licet iam ex his paucis. Initio mensis septembris a. 1922 nova Residentia — si hoc nomine pauperrimum missionarii tugurium appellari potest — aperta est in Gaibira, qui locus antea a Kesramal pendebat, sed ab hac Statione circiter 55 km. distat. Ecclesia matrix christianos 6096 statim tradidit filiae. Prima feria VI mensis proximi (octobris) P. Henricus Floor, qui novae domui praeest, 190 Communiones distribuit, 42 catechumenos baptizavit, 23 primas confessiones audivit. Omni dominica circiter 70 fideles ad s. mensam accedunt. Per quattuor autem menses proximos usque ad finem anni 1922 pagi 24 i. e. plus 2000 hominum baptismo accepto ad Ecclesiam ibidem adducta sunt.

Quanto labore in tam laeta segete Patres opprimantur, neminem latet. In districtu Noatoli quattuor Patres, e quibus duo infirmae valetudinis, curam agunt 9500 christianorum et 3500 catechumenorum. Districtus vero superficie 3000 kmq. adaequat vel etiam superat: viae ferratae non habentur, una sola via quae fortasse bona dici potest; regio saltuum silvarumque plena, in quibus non desunt bestiae feroces (nuper tres tigres carni hominum assueti occisi sunt), pontes non inveniuntur. His quattuor Patribus commissae sunt 72 scholae, a 1100 pueris frequentatae, quarum non-

nullae 50 kilometris a Noatoli distant. 870 pueros missionarii ad primam Communionem parant, 135 iuvenes cum sponsis ad matrimonium. Quotannis audiunt 42.500 confessiones, habent 1400 contiones instructionesve, centies vocantur ad morientes, saepe a missionarii sede longissime remotos, et insuper indigenae a Patribus auxilium petunt atque exspectant in negotiis, causis, operibus socialibus aliisque.

Cum autem praeter has florentes christianitates inter Uraones et Mundas, quae tribus humilis quidem inter alias condicionis sunt et ad 1.500.000 capitum tantum accedunt, et praeter 4.000.000 mahometanorum, Missio nostra etiam 21.000.000 Hindorum in Bengalia ipsa comprehendat, missionarii quomodo hoc quoque genus dotibus et auctoritate elatum et in alios fastidiosum ad mitem et humilem Christi religionem allicere possint, deliberant variaque tentant. Hoc anno PP. Georgius Dandoy et Petrus Johanns, qui rebus hindicis in Universitate Oxoniensi studuerunt, edere coeperunt unoquoque mense periodicum parvum quattuor paginarum, quod quid gentibus illis praebere intendat, titulo *The Light of the East* (Orientis lux) clare indicat. Tractantur ibi res apologeticae, philosophicae, exhibentur loci praeclari ex operibus magnorum doctorum, ascetarum, mysticorum excerpti, ut Hindi exculti paulatim intelligant, quidquid boni pulchrique in sua philosophia atque religione exaltent, id multo melius pulchriusque in Christi doctrina inveniri; dubiis quoque difficultatibusque propositis respondetur. Quamquam inopia pecuniae inceptis non levi impedimento est, tamen Patres Dei gratia et bonorum auxilio confisi sperant fore ut hac via religio christiana magis nota reddi possit et Hindorum animis acceptior.

Collegium Calcuttense, cuius scholas universitarias ad hoc usque tempus fere soli pagani et mahometani, paucissimi vero catholici, sive indigenae sive Europaei frequentant, nunc magno conatu numerum discipulorum catholicorum augere studet: Europaeis pro aedificii angustia quaedam cubicula in ipso Collegio parata sunt; indigenis vero nunc quidem in urbe domus aliqua conducta est, ubi Patre quodam moderatore habitare poterunt; et iam proprium aedificium iis exstruitur.

Congregatio Sororum indigenarum, quae filiae S. Annae appellantur, mense novembri fidelium frequenti concursu et laeto plausu sollemniter celebravit diem, quo ante quinque lustra

approbante RR. DD. Goethals, a P. I. De Smet b. m. in Ranchi inchoata est. Constitutionibus donata a RR. DD. Britio Meuleman, Archiepiscopo Calcuttensi, destinatur ad docendas puellas in Stationibus Missionis. Nunc 50 sunt huius Congregationis religiosae; unicam veram domum — Ranchensem — habent. Sed praeterea in Missione Chota-Nagporiensi 12 parvae Residentiae — an dicam tuguria? — sunt, in quibus trinae pauperrime degunt et magno animarum studio atque utilitate laborant; per duos ultimos anni menses autem etiam hae in domo principe Ranchensi commorantur. Indigenae religiosas suae gentis, quae rationem vivendi in India usitatam omnino retinent, maxime diligunt et reverentur; missionarii autem qui non habent scholas religiosarum S. Ursulae (quae sunt in quattuor Residentiis maioribus tantum) instanter expostulant Filias S. Annae.

Status Missionis mense augusto a. 1922: catholici 172.883; catechumeni 48.603. A die 1 aug. 1921 ad 1 aug. 1922 baptizati sunt: adulti 3748, liberi parentum ethnicorum 1447, parentum christianorum 7092, in mortis periculo 270, universi 12.557; ex haeresi conversi 453, confessiones 691.784, Communiones 1.690.024. In scholis habentur 13.885 pueri, 5492 puellae; in Missione sunt: 49 templa, 715 sacella, 923 catechistae adiutores.

Praefectura Assam.

Cum bello exorto missionarii germanici Congregationis SS. Salvatoris Praefecturam Assam mense iunio a. 1915 relinquere cogerentur, eius cura a S. Sede RR. DD. Britio Meuleman, Archiepiscopo Calcuttensi, commissa est; et eo petente Missio nostra Bengalensis in summa operariorum penuria sex Patres eodem misit ad fidem christianis servandam. Mense iulio a. 1921 demum haec Praefectura Patribus Salesianis est concredita et, postquam proximo mense ianuario 11 novi missionarii et mense novembri alii quinque advenerunt, Patres bengalenses paulatim recedere potuerunt. Nostri, cum regioni illi anno 1915 auxilio accurrissent, 4657 catholicos invenerunt; cum abierunt, 5844 reliquerunt. P. Iosephus Van Lemberghe, qui post mortem P. Pauli Lefebvre Praefecturam nomine et auctoritate RR. DD. Archiepiscopi Calcuttensis administraverat et parochi munus in Shillong, Missionis sede principe, gesserat, die 31 decembris a. 1922, fidelibus PP. Salesianorum curae commissis, in suam Missionem rediit. Vix dici potest, quam gratis animis

parochiani ei valedixerint. Novus Praefectus vero Nostris publice gratias egit, quod, spretis omnibus difficultatibus et posthabito propriae Missionis commodo, bono communi Ecclesiae tam generose serviissent.

Monumentum suorum laborum in regione assamensi Societas reliquit sepulcrum filii sui carissimi et magnae spei viri, P. Pauli Lefebvre. A RR. DD. Archiepiscopo, cui a secretis erat, ad Praefecturam Assam administrandam a. 1915 deputatus, post tres hebdomadas linguam novam satis callebat, ut verba apud fideles facere posset. Nimiis laboribus, itineribus, curis septem annorum exhaustus, d. 21 aprilis 1922 mortuus et prope sacellum coemeterii Stationis Shillong sepultus est.

Missio Trincomaliensis (*Prov. Camp.*).

In vico Pachanur, cuius incolae anno 1913 omnes simul ad fidem conversi sunt, templum recenter aedificatum hoc anno a RR. DD. Vedasto Robichez, Episcopo Trincomaliensi, benedictum est.

Ethnici atque mahometani, quidquid possunt, faciunt ut suos a missionariis abstrahant. Sic schola nostra anglica trincomaliensis non parvas difficultates est passa ex illorum conatibus plurimos ethnicos alumnos ad eorum scholam modo amplificatam adducendi.

In pago Muttur autem mahometani circiter ducentos pueros e nostra schola eduxerunt, ut in suae religionis ludo korani praecepta melius addiscerent.

Mense septembri anni 1922 in hac Missione erant 9.076 fideles, 30 templa vel sacella, 42 scholae frequentatae a 1868 pueris et 824 puellis. Baptizati sunt 132 adulti, 412 infantes. Confessiones 52.866, Communiones 128.571, matrimonia 79.

Sorores S. Ioseph de Cluny, quae missionarios ab anno 1898 educandis instituendisque puellis magno studio et fructu quam diligentissime adiuverant, a Superioribus suis revocatae sunt, ut in summa magistrarum penuria maioribus Congregationis operibus satis provideri posset. Iis successerunt moniales indigenae tertii Ordinis Carmelitarum, quae in dioecesi mangalorensi sedem praecipuam habent et magnam scholam Universitati Madrasensi adscriptam cum omnium plausu ibidem regunt.

Missio Iavensis (Prov. Neerl.).

Provincia Neerlandica Missioni suae Iavensi proprium novitiatum constituit in urbe Djokjakarta. Eo profecti sunt quattuor Novitii iavenses et duo batavi qui primum annum in Hollandia peregerant; in Missione ipsa his accesserunt alii duo indigenae, quorum unus tamen inter Exercitia menstrua abiit. In praesentia quidem tirocinium in domo conducta positum est, sed ei iam paratur, non sine difficultate, domus propria.

Schola elementaris ante paucos annos in eadem urbe Djokjakarta erecta et curis Fratrum a scholis christianis commissa, a. 1922 habuit 600 alumnos iavenses, qui omnes sunt baptizati vel saltem inter catechumenos adscripti.

Missio Nankinensis (Prov. Franc.).

R. P. Iosephus Hoeberechts (Sup. Miss. Iavensis, Prov. Neerl.) Visitator Missionum Societatis in Kiangnan nominatus, die 23 dec. a. 1921 in urbem Shanghai advenit et, paucos dies ibi commoratus, in domum Wuhu, sedem principem Missionis Provinciae Castellanae abiit, ubi adstantibus nominandis novorum Missionum Superioribus aliisque Patribus qui ad Exercitia annua peragenda convenerant, decretum de Missione Nankinensi dividenda et tribus novis Missionibus erigendis (*Act. Rom.* III [1921] 367; *Mem.* I [1921] 585) more apud nos solito ad mensam die 1 ianuario a. 1922 promulgatum est. Simul Superiores Regulares trium Missionum novarum renuntiati sunt. Patres Hispani et Taurinenses haud obscure significaverunt animum gratum erga Patres Prov. Franciae, qui iis tradiderunt non campum incultum et denudatum, sed regionem multis sudoribus et magna in variis insectationibus patientia, templis domibusque exstructis ad ulteriorem laborem diligenter paratam. Perfecta est haec divisio, cum R. P. Vincentius Huarte (Prov. Cast.), olim professor theologiae scholasticae in Collegio Oniensi et postea operarius in hac sinensi Missione, die 24 septembris 1922 Episcopus consecratus, Vicariatum Apostolicum de Nganhoei recenter erectum, qui novas tres Missiones comprehendit, administrandum suscepit.

Missio Nankinensis, comprehendens provinciam civilem Kiangsou, quam Provincia Franciae colere pergit, inter 33.586.399 ethni-

cos 199.667 christianos habet, quorum curae spirituali 47 Patres Societatis et 48 sacerdotes saeculares in variis sectionibus districtibusque addicti sunt. Ceteri Nostri in Shanghai eiusque suburbiis praecipue pueris instituendis operam navant, numero discipulorum in dies ita crescente, ut 69 sacerdotes huic labori vix sufficere videantur.

Ut Missionis administratio facilior evaderet atque Societatis Instituto conformior, nonnullis domibus et districtibus, quibus antea Ministri tantum praeerant, veri Superiores praefecti sunt. Hac ratione orphanotrophium T'ou-sè-wè, tres residentiae in urbe Shanghai et extra eam aliquae sectiones Superiores acceperunt. Ad meridiem fluminis Wang-p'ou a duabus sectionibus Songkang sectio P'ou-nè divisa et sacerdotis saecularis cuiusdam sinensis curae commissa est.

A mense iunio 1921 usque ad decembrem 1922 tria nova templa sacellave in Missione Nankinensi erecta sunt.

En discipulorum numerum in scholis urbis Shanghai et suburbiis:

	anno		
	1920	1921	1922
In Universitate « Aurora » (Shanghai)	234	298	344
In Collegio S. Ignatii (Zi-ka-wei)	446	461	451
(inter quos « latinistae »	91	94	100)
In Seminario Maiore (Zi-ka-wei)	36	40	53
In Seminario Minore (Zi-ka-wei)	29	29	26
In Schola normali (Zi-ka-wei)		10	22

Schola « normalis », ad ludimagistros formandos die 10 septembris 1921 aperta, alumnos admittit ex quacumque provincia oriundos; institutum a missionariis summopere approbatur; nondum tamen pari studio adiuvari potuit: missi enim sunt ex provincia Koangtong 1, ex Kiangsi 1, ex Tchekiang 1, ex Nganhoei 2, et ceteri 17 ex Kiangsou.

Ut etiam extra urbem Shanghai iuvenibus facultas praeberetur parandi se ad cursus Universitatis « Aurorae » anno 1920 in urbe Yangtcheu (a. 1921: 38 discipuli, 1922: 41) schola est instituta et in urbe Wousieh a. 1922.

Numerus puerorum sinensium qui in urbe Shanghai scholas paroeciales frequentant ad 1.700 accedit.

Exercitia clausa sive per triduum sive per quatriduum peregerunt 751 viri et iuvenes in 12 cursus distributi (unius cursus exercitantium numerus deest). Praeterea in sola urbe Shanghai et suburbiis plus quam 300 viri partim artibus liberalibus dediti, partim sodales mariani, partim famuli et operarii, Exercitia triduana fecerunt.

Die festo Corporis D. N. Iesu Christi a. 1922 sacrae pompae in Zi-ka-wei institutae interfuerunt quinque Episcopi cum suis theologis, qui ad parandam Synodum generalem sinensis Ecclesiae in urbem Shanghai convenerant.

A mense iulio ad novembrem a. 1921 regioni Siu-tcheou-fou primum, deinde compluribus locis sectionis Haimen aquae magnae famem intulerunt accesseruntque in illo districtu frequentiores per aliquot menses latronum incursiones. Postea oborta violenta tempestate segetes multae vastatae sunt, ita ut mense maio a. 1922 variis locis fames nondum cessaret.

Missiones in provincia Nganhoei.

Cum primum hic nunc agendum sit de tribus novis Missionibus a Nankinensi separatis, opportunum videtur quaedam iis communia praemittere.

Regio Kiangnan, a qua Provincia Franciae totam suam Missionem in Sinis ante divisionem nuncupabat, duas provincias civiles rei publicae sinensis complectitur: Kiangsou, quae, curis Patrum gallorum relicta, ob historicas rationes ab antiqua sede episcopali Missionis Nankinensis nomine decoratur, et Nganhoei, secundum tres districtus administrationis civilis (tao) in tres Missiones distributa, quarum una (Hwaisensis) versus septemtriones sita Patribus Taurinensibus, media altera (Nganking) Provinciae Legionensi, tertia meridiana (Wuhu) Castellanae attributa est. Vicariatum Apostolicum autem hae tres Missiones unum tantum constituunt, qui eodem nomine ac provincia civilis ipsa, Nganhoei, appellatur.

Inter gradus 116 et 119 longitudinis orientalis (Greenwich) et inter 29 et 34 latitudinis borealis situs, Vicariatus Nganhoei circumscribitur ad orientem provinciis Tchekiang et Kiangsou, ad septemtriones provinciis Kiangsou et Honan; ad occasum provinciis Honan et Houpe, ad meridiem provinciis Kiangsi et Tchekiang.

Superficies est 142.000 kmq., fere igitur par mediae Italiae. Incolarum numerum, cum accurata recensione nondum exhibitus sit, alii alium indicant. Protestantes anno 1920 scripserunt circiter 17.500.000 hominum in provincia Nganhoei inveniri, alii eum ad fere 25.000.000 auxerunt (*Mem.* I [1921] 585, nota 2) P. Marius Grimaldi (Prov. Taur.) eum exhibet:

Hwaise.	9.079.623
Nganking.	7.118.142
Wuhu	3.804.401
	20.002.166

Regio septemtrionalis (Hwaisensis) paene tota immensis campis constat, media (Nganking) partim campis partim montibus, meridiana (Wuhu) maximam partem montuosa est.

Lingua utuntur provinciae Nganhoei cives eadem; mandarinicam eam vocare solent. Tantum in regione Hoei-tcheou, in parte meridiana Missionis Wuhu sita, dialectus fere omnino diversa adhibetur.

In parte provinciae septemtrionali populus agriculturae deditus, lentior quidem est, at robustus et simplex evangelii praeconibus laetae messis bonam spem facit; in parte media atque meridiana homines generatim, praesertim vero ii, qui ad ripas magni Fluminis Caerulei sedent, commercio et industriae intenti, ditiores sunt, facilioris ingenii, sed etiam moribus magis corrupti. Incolae regionis Hoei-tcheou-fou ut lingua quasi propria utuntur, sua indole etiam a reliquis diversi sunt. In negotiis tractandis maxime versati, callidi homines opibus, quas omnis generis solum eis abunde praebet, ita scite utuntur ut magnis divitiis polleant. Per maiorem anni partem itineribus ad negotia tractanda occupati, agros colendos committere solent colonis, quibus prope servorum modo utuntur.

Vicarius Apostolicus sedem suam fixit in urbe Wuhu, ad Fluminis Caerulei ripam dextram, quia ex hoc loco, in quo etiam domus praecipua Missionis Provinciae Castellanae constituta est, facilius habetur cum aliis Vicariatus partibus commercium et quia ibi etiam commoratur mandarinus negotiis cum exteris tractandis praepositus. Praeterea huius urbis templum sat am-

plum et loco alto exstructum Episcopo aptam cathedralem praebet. Hinc flumine adverso subitur Nganking, quae est urbs primaria totius provinciae. Ibi eiusdem summus gubernator civilis sedem habet ibidemque etiam domus praecipua Missionis Legionensis sita est. Summus dux autem, qui exercitui provinciae praeest, ut eam facilius securiusque tueretur, castra sua transtulit in districtus Hwaisensis urbem Pengpu. Quae in eo loco recenter condita est, quo via ferrata inter Tientsin-Pukeou (Nankinum) flumen Hoeho ferreo ponte magna arte exstructo superat. In hac militum colonia magnae spei Provincia Taurinensis suae Hwaisensi Missioni Residentiam Superioris posuit.

Apostolatus catholici in provincia Nganhoei exordia facta sunt fere initio saeculi duodevicesimi in locis Ouho, prope lacum Honghou, et Ouyuen, qui non multum distat a finibus provinciarum Tchekiang et Kiangsi. Inter insectationes hae duae christianitates fidem magna constantia retinuerunt, ita ut anno 1853 illam (Ouho) a dioecesi Nankinensi, hanc (Ouyuen) a Vicariatu Kiangsi excultam inveniamus; christiani erant universi circiter 400.

Post rebellionem T'ai-p'ing (1852-1864) sedatam operarii Vicariatus Kiangnan, qui a. 1856 antiquae Nankinensi dioecesi substitutus est, vastae Missionis parti in provincia Nganhoei sitae maiorem operam dare potuerunt, ita ut fere quinquaginta annis (1853-1903) paene tota regio evangelium audire posset et fidelium numerus ex 400 ad 17.084 (1) paulatim cresceret. Proximorum duodeviginti annorum messis (1903-1921) etiam abundantior est facta: christiani aucti sunt ad 73.912. Ex relatione anno 1920 in Urbem missa de singulis Missionibus praesto nobis sunt, hi numeri:

	Districtus	Christianitates	Christiani	Catechumeni
Missio Hwaisensis. .	14	132	24.464	22.645
» Nganking . .	18	97	17,412	15,546
» Wuhu	26	223	28,972	16,570
	58	452	70,848	54,761

Mense iunio a. 1922 autem in tota provincia Nganhoei erant 76.820 (2) christiani. Scholae maiores habentur quinque, in qui-

(1) Henricus Dugout, *Catalogus Patrum ac Fratrum S. I. Missionis Nankinensis*, Shanghai 1921, p. 100 sq.

(2) P. Marius Grimaldi, *Le Missioni della Compagnia di Gesù*, IX, 119.

bus discipuli litteris sinicis student atque parantur ad iuvandos missionarios in christianitatibus regendis administrandisque.

Protestantes in fere omnibus provinciae Nganhoei urbibus templa et domus habent; in Wuhu, Nganking, Liutscheou, Hoaiyuen plura amplioraque sunt eorum aedificia ibidemque etiam scholas magnas et nosocomia aperiunt. Attamen tantum 5100 asseclas a. 1920 habebant, quem numerum non dixeris magnum pro multitudine praedicantium (exteri 170, indigenae 620) (1).

Missio Hwaisensis (Prov. Taur.).

Die 1 novembris a. 1922, multa iam nocte exercitus latronum ex finitima provincia Honan, ubi quasi in sede sua et patria dominantur, incursionem fecit in urbem Yingchowfu, quam ultra 60.000 hominum incolunt, eamque direptam atque spoliatam fere universam incendio vastavit. Milites quibus urbis custodia commissa erat, praedonum multitudine appropinquante, partim aufugerunt, partim ipsi hostibus portas aperuerunt et iis permixti latrocinari coeperunt. Armorum strepitu et clamoribus expergefactus, P. Marius Grimaldi omni qua potest auctoritate, verbis, pecunia scholarum pueros atque puellas incolumes servare conatur, at frustra. Homines pecuniae cupidos et omnibus flagitiis perditissimos impedire non potest, quominus eos partim verberibus plectant partim captivos ducant. Attamen postquam diem et noctem in latronum manibus fuerant, feliciter effugerunt.

Missionarii vero pulchra domus cum libris, vestimentis, alimentorum copia comburitur; nihil remanet nisi nudi parietes. Quod, altare violato atque tabernaculo confracto, non etiam templum ipsum destructum fuit, tribuitur constantiae cuiusdam latronis christiani, qui cum sacras hostias super altare dispersas videret et pyxidem in nefariorum hominum manibus, socios fortiter reprehendit et crucem manu gestans eos minatus est. Sacrum vas autem non restituerunt et etiam vestes sacrae et calix perierunt. Missionarius ipse, P. Marius Grimaldi, obses cum aliis Europaeis magnis itineribus 17 dierum in occidentalem partem provinciae Honan abductus est. Dei autem paterna Providentia Patri saepius oblata est occasio mittendi ad P. Superiorem litteras, quibus eum de captivitatis loco et custodibus moneret.

(1) P. H. Dugout, l. c., p. 104.

Vicarius Apostolicus de Nganhoei, RR. DD. Vincentius Huarte et Vicarius Apostolicus Nankinensis, RR. DD. Prosper Paris, utriusque Missionis Superiores, nihil intentatum reliquerunt, ut Patrem in libertatem restituerent. Vicarius Apostolicus de Honan occidentali, RR. DD. Aloisius Calza, e Congregatione Parmensi S. Francisci Xaverii, christianos suos atque missionarios litteris hortatus est, ut omni qua possent via et ratione captivum adiuvare atque liberare studerent. Quorum omnium communi studio et sollicitudine P. Grimaldi post 40 dies, die 10 decembris, fere ex inopinato libertatem recepit. Menses non pauci ei insumendi erunt ad sola aedificia Stationis restituenda.

Missio Ngankingensis (*Prov. Leg.*).

Haec Missio anno 1922 amisit quinque Patres et duo sacerdotes saeculares sinenses, qui, Missionum divisione peracta, ad suos redierunt, sed quinque eius Socii eadem ratione ex Missione Wuhu mense augusto revocati sunt et praeterea quattuor Patres, quorum duo, studiis linguae sinicae iam antea in Missione ipsa peractis, statim labori apostolico se dare poterunt, et tres Fratres Coadiutores ex Hispania solverunt, ita ut ineunte anno 1923 praeter sex sacerdotes saeculares iam 15 Patres et tres Fratres Coadiutores in hac Missione habeantur.

Missio Wuhu (*Prov. Cast.*).

In 251 christianitatibus 28 districtuum a. 1922 habentur 32.725 christiani et 16,164 catechumeni. Hae christianitates a sede missionarii fere omnes sat longe (10-60 km.) distant in iisque etiam ipsis familiae fidelium non in unum congregatae, sed inter se separatae habitant. Quare, uti patet, labor missionariorum difficilior fit et minus efficax redditur. Tamen anno 1921-1922: baptizati sunt 650 adulti, 861 pueri, 755 infidelium pueri in articulo mortis; confessiones 80.958, Communiones 170.500; ultima sacramenta 329; matrimonia 309.

In 70 scholis minoribus, quas precum vocant, habentur pueri et puellae christianae 2.367, pagani 609. Tres scholas maiores, in quibus catechistae et christianitatum administratores educantur, circiter 80 alumni frequentant.

Praeterea apertum est unum quasi Collegium, in quo discipuli christiani et ethnici — universi 80 — more patrio litteras addiscunt.

De protestantibus haec dicenda sunt. Non est fere alicuius momenti pagus, in quo non habeant sacellum; sed ruri ubi evangelii praeconibus plurima vitae commoda plane desunt, haereticorum opes non adeo magnum periculum faciunt, in urbibus autem maioribus scholae et collegia eorum maximis pecuniis praedita nostrarum scholarum paupertatem evincunt. Quo etiam fit ut a non paucis religio catholica, quae viles abiectosque tantum conquirat, spernatur. Ideo optandum sane est ut, copia missionariorum subsidiorumque aucta, in praecipuis urbibus collegia aperiantur. quibus, pauperibus non neglectis, etiam altioris condicionis homines alliciantur.

Missio Tcheli Merid.-Orient. (*Prov. Camp.*).

Post famem pars septemtrionalis Missionis vere anni 1922 belli civilis timore vexata est. Sub diem 20 aprilis rumores sinistri allati sunt rem in eo esse, ut exercitus inimici manus consererent. Quibus nuntiis exterrita, semper crescens multitudo hominum confugit in pagum christianorum nostrorum prope urbem Sienhsien, cuius mandarinus ipse a Patribus petiit, ut, si hostes appropinquarent, asylum sibi aperirent. Cum domus christianorum iam non satis essent ad profugos recipiendos, in viis ipsis, in areis, sub curribus suis miseri homines noctes transegerunt. Quam ultro oblatam opportunitatem praedicandi evangelium advenis, missionarii non neglexerunt: parochus pueris peregrinis statim duas scholas aperuit et Vicarius Apostolicus ipse, RR. DD. Henricus Lécroart, hanc miseram turbam per triduum de religione catholica edocuit.

Sed plus quam verba fidei opera ethnicorum animas permoverunt. Cum enim etiam christiani hoc infortunio abutentes, pensiones iniuste augere coepissent, eos Episcopus litteris ad valvas templi affixis de iniustitia graviter monuit: verum Deum non permittere ut ex aliorum calamitate opportunitas caperetur divitias inique comparandi. Nec in cassum. Ilico pretia diminuebantur atque nonnulli etiam pecuniam iam perceptam reddidisse dicuntur. Qua de re admiratione pleni ethnici palam professi sunt: « Quam diversi a nobis sunt christiani ».

Die 10 maii demum nuntiata est victoria ducis Ou-Pei-fou

eiusque milites, adversarios in Mandchuriam persecuti, Patrum hospites ab omni metu, non minus amicorum quam hostium, liberarunt. Benevolentia qua ethnici quoque non solum hoc, sed etiam aliis locis a missionariis recepti sunt, non paucorum animis religionem christianam magis acceptam reddiderat. Certo post mensem circiter 12 ex nobilioribus ad Episcopum se contulerunt eique omnium nomine obtulerunt aliquod grati animi signum, quod sinice « Pien » vocatur, tabulam oblongam ligni pretiosi, arte factam et quattuor litteris aureis ornatam: TS'ÊU YUNN WANG PI: Misericordia Nubes Circum Protegit i. e. « Benevolentia vestra erga nos fuit tamquam nubes protegens.

In seminario maiore (Sienhsien) a. 1921-1922 fuerunt 5 theologi et 15 philosophi; in seminario minore 18 pueri linguae latinae addiscendae operam dederunt aliique 32 ad idem studium paulatim parantur.

Urbis Taiming Collegium gallicum hoc anno 140 discipuli, sinicum vero 200 frequentarunt. Non omnes quidem scholae, famis tempore subsidiis extraordinariis erectae (*Mem.* I [1920], 406 sq.), iisdem auxiliis intermissis, retineri potuerunt, attamen duae in urbe Taiming constitutae sunt iis pueris qui inter famem a Nostris alebantur et in novem pagis prope urbem, ubi antea nemo christianus fuit, religio catholica primas radices egit: multae familiae idolis combustis sacras Domini Nostri et B. Mariae V. imagines in suis domibus collocarunt et scholis christianae puerorum educationi providetur.

Etiam ex hac Missione referunt protestantes americanos, ingenti pecuniae vi adiutos, ubique se insinuare: nosocomia aedificant, vestes et grana distribuunt, vias sternendas curant ab indigenis, qui magnam inde mercedem reportent.

Ut multis eorum scholis superioribus etiam in hac rei publicae sinensis parte opponeretur catholicum institutum, S. Congregatio de Propaganda Fide et simul cum ea 15 Vicarii Apostolici harum regionum Patres nostros rogarunt, ut in magna urbe Tientsien, quae quidem extra nostram Missionem sita ad alium Vicariatum (Tcheli marit.) pertinet, scholas instituendas susciperent, quibus iuvenes ad altiora et maioris auctoritatis officia pararentur. Schola nomen habebit Ta Hiao (« Studia alta »; quo titulo omnes superiores scholae

in Sina decorari solent), *Institutum SS. Cordis* et duplicem viam discipulis aperiet: industriae se dedicandi aut commercio. Illa facultas instituetur ad modum, quo eaedem fere disciplinae in Universitate « Aurora » Nankinensis Missionis docentur, haec sequetur rationem Universitatis nostrae Tokiensis. Utrique ramo communes erunt cursus philosophiae et doctrinae moralis; utriusque curriculum tribus annis absolvetur. Ut autem discipuli ex lectionibus, quae gallice fient, statim ab initio omnem usum habeant, in schola praeparatoria hanc linguam perfectius addiscere poterunt simul cum anglica et aliarum disciplinarum rudimentis. Comparata est magna area (8 ha) in regione sana atque tranquilla extremae urbis Tientsin ibique nunc scholae aedificia exstruuntur, ita ut aliqui saltem cursus anno 1923 inaugurari possint.

Ibidem etiam collocatum est P. Aemilii Licent Musaeum Historiae Naturalis et officina (Musée-Laboratoire d'Histoire naturelle, « Hoang Ho Pai Ho »), quae Missioni et religioni non parvo decori et usui fore merito speratur.

P. Licent, cum opus suum praeclarum anno 1914 instituere inciperet, sibi proposuit:

1° accurate pervestigare provincias septemtrionales terrasque finitimas Tibeti et Mongoliae i. e. totam vallem fluminis Hoang-ho aliorumque quae in mare Petcheli effunduntur;

2° quaecumque his itineribus invenerit, quae ad studia zoologiae, botanicae, geologiae pertinent, in unum collecta exhibere, non adeo ut Musaeum publicum constitueretur (quod ceterum non excluditur), sed praecipue ad usum eorum, qui sive ad scientias promovendas sive ad mercaturam exercendam harum rerum intima notitia indigent;

3° evulgare commentationes, quas viri periti de rebus collectis conscripsissent vel missionarii in regione supra indicata positi confecissent;

4° mittere quaecumque ad rerum naturalium studia pertinent ad instituta scientifica Europae sive in Sinis ipsis forte instituenda.

Quae Pater ex itineribus longissimis atque difficillimis ultra urbem Lantcheou usque ad regiones Konkonnor et Ordos multis camelis atque aliis iumentis domum rettulit, tanti momenti sunt, ut in hac re Missio catholica a protestantibus superari vix possit.

Status Missionis mense iulio a. 1922:

Ex 8.076.000 incolis 112.225 christiani sunt i. e. 1 : 72.

Anno	1857	fuerunt:	9.505	christiani
»	1870	»	19.000	»
»	1900	»	50.000	»
»	1910	»	74.000	»
»	1920	»	102.390	»
»	1921	»	105.291	»

Anno 1921 ad mentem Litterarum Apostolicarum 3 iunii eiusdem anni (*Acta Rom.* III [1921], 316) regio Tong-ming cum 2123 christianis et 7 templis sacellisve ob difficultatem flumen Flavum (Hoang ho) transfretandi Vicariatui finitimo de Chantong meridionali unita est.

Missio Iaponica (*Prov. Germ. Inf.*).

Die 3 ian. 1922 RR. DD. Henricus Doering, Archiepiscopus Maditensis, Collegium Valkenburgense, ubi, a pristina sua dioecesi Poonensi bello exclusus, ex anno 1914 vixerat, cum quattuor sociis reliquit, ut in Iaponiam solveret. In portu Kobe ab Episcopo Osakensi, RR. DD. I. Castanier, humanissime accepti, proximo die — 22 feb. — in urbem Tokio pervenerunt. Non ita multo post Episcopus Osakensis, ad cuius dioecesim campus Nostris attributus pertinet, RR. DD. Doering invitavit, ut Missionem Hiroshimensem secum inspiceret. Quae regio ideo etiam Societati carissima est, quia in eius urbe Yamaguchi habetur locus (Daidochi), opera P. Villon, Missionarii Parisiensis, Missioni acquisitus, in quo S. Franciscus Xaverius in Iaponiam advectus per complures menses commoratus est. Usque ad finem anni Patres nostri curam trium Stationum — Hiroshima, Matsue, Tottori — susceperunt; in reliquis — Okayama, Yamaguchi, Shimonoseki, Hagi — Missionarii Societatis Parisiensis Missionum ad Exteros interim remanent.

Universitas Tokiensis die 15 aprilis novum annum scholarem, ab eius initiis undecimum, faustis auspiciis coepit: admitti enim potuerunt 55 novi auditores, selecti ex 160 discipulis ingressum petentibus. Hoc anno primum schola ex suis discipulis aliquem in

tirocinium Provinciae Germaniae Inf. dimisit; alius in Collegio Urbano de Propaganda Fide ad sacerdotium se parat.

P. Iosephus Dahlmann, die 16 dec. 1922 in Societate Historica Universitatis Imperialis Tokiensis ad fidem antiquorum documentorum exposuit, quomodo Iapones et Occidentales primum in usum et commercium venissent. Qua occasione S. Franciscum Xaverium induxit primum Universitatis europeae doctorem, qui ad iaponicas oras appulisset. Ex viginti fere annis viri eruditi iaponici in huius praesertim aetatis historia elucidanda diligentissimam operam ponunt et magno studio conquirunt libros in antiquis Societatis typographiis amacusensi et nangasakensi exscriptos. Iisdem doctores tokienses etiam utuntur ad stabiliendam rationem qua illis temporibus verba iaponica enuntiata sint; libri enim illi verba exhibent europaeorum modo transcripta, ita ut ex iis iisque solis pronuntiatio dialectica antiqua colligi possit.

Peculiari gaudio Patrum animos affecit, quod die 19 septembris iis allatum est donum Summi Pontificis Pii XI, magna eiusdem imago photographica subscriptis hisce verbis: « Dilectis Filiis, Rectori Magnifico, Doctoribus alumnisque omnibus Catholicae Universitatis Tokyensis, effuso animo benedicimus, id precati ut istinc tanquam e pharo, salutaris sapientiae lumina per Asiae immensitates diffundantur.

« Ex Aedibus Vaticanis, die 31 maii 1922.

« Pius XI, manu propria peramanter in Domino ».

AFRICA.

Missio Zambesiana (*Prov. Angliae*).

Cum ante 25 annos (a. 1898) in Rhodesia duae tantum Stationes haberentur indigenis convertendis — Empandeni et Chishawasha — in iisque 223 indigenae baptizati (plus tamen quam media pars in periculo mortis demum), nunc, exeunte anno 1922, in Rhodesia meridiana, curae Provinciae Angliae commissa, 12 Stationes primariae indigenis convertendis habentur, a quibus pendent 96 aliae Stationes atque scholae; in Rhodesia autem Septemtrionali, Patribus Polonis concredita, sunt quinque Stationes principes, quibus plus 12 minores subduntur. In tota Praefectura Zambesiana habitant circiter 17.000 catholicorum indigenarum et plus

3.000 catechumenorum; scholas Missionum 9 vel 10.000 puerorum indigenarum frequentant.

Pietas neophytorum missionariis consolationi et laetitiae est: anno 1922 (exclusis tribus Stationibus Rhodesiae Sept. quarum numeri non afferebantur) 190.000 Communionum distributa sunt; non pauci adulescentes quotidie ad sacram mensam accedunt. In Statione Kutama aliqui, patientis pro nobis Christi amore ducti et non contenti ieiunium sancte colere, Dominicis Quadragesimae ad silendum ultro se obstringebant. In Statione Gokomere die Paschatis sepulta est, omnibus fidelibus accurrentibus, matrona quaedam nomine Alphonsina. Haec mulier vere christiana, postquam die 20 martii nepotem suum infantulum baptizavit, ipsa quoque pestifero afflatu correpta die 9 aprilis extremis sacramentis munita est. Morbi tamen semper ingravescentis violentiae firma voluntate resistebat, dum parvulus, quem in utero gerebat, natus aqua salutari ablueretur. Tandem die 12 aprilis partum edidit et, in noctis tenebris sola, infantulum suum baptizavit. Vitam per quatriduum protraxit et vehementissimis doloribus summa patientia toleratis demum ad fortitudinis et pietatis praemium recipiendum evocata est.

Maiore etiam incremento non immerito sperant missionarii fidelium suorum pietatem auctum iri ex cultu BB. Martyrum Ugandensium. Ideo non parum laetati sunt, quod eorum precibus annuens S. Sedes Praefecturae toti usum proprii horum Martyrum Officii et Missae concessit. Nigritae enim suae gentis colorisque novos Beatos ingenti gaudio colunt et Patres hoc studio diligenter utuntur ad neophytos in fide et virtute christiana firmandos.

Attamen praeter religiosa nequaquam negligunt ea, quae natura ipsa praebet, honestae et christianae vitae adiumenta ideoque suae curae commissos ad laborem assiduum atque constantem educare conantur; neque frustra. P. Ioannes B. Loubière (Prov. Lus.) in Statione Kutama id obtinuit, ut adulescentes a mane usque ad vesperam sex dies in hebdomada laborent. Adeo autem in arte et operibus profecerunt, ut ipsi sibi sufficiant ad domos suas exstruendas et ad supellectilem comparandam. R. P. Praefecto mensam et genuflexorium tanta arte confecerunt, ut haec opera neque europaeis opificibus paenitenda essent. Non solum hominum alborum opera se didicisse, sed etiam christianorum sensus grati animi et pietatis induisse boni nigritae probaverunt, cum nuper eorum ma-

gistri et Patris festum aliquod ageretur. Pecuniam, pro sua paupertate magnam, ultro collegerunt, ut Missa eo die sollemniter cantanda pro P. Loubière offerretur, quem suum « Baba » nominant atque diligunt. Postea in eiusdem honorem fabulam ex historia Martyrum Ugandensium desumptam egerunt tanta pietate et ardore, ut omnium spectantium animos commoverent. Non vana spes est fore, ut ex his familiis vere christianis mox vocationes sacerdotales divina gratia excitentur.

Kutamense exemplum feliciter imitatus, P. Eduardus Biehler in quattuor stationibus secundariis, empandenensi sedi primariae subiectis, similes scholas instituit, ubi indigenae, pueri atque puellae, praeter linguam anglicam illi agriculturam, lignariam, hae consuendi vestes artem addiscunt. In pago Mkaya sunt 118 discipuli, in Silima 125, in Kwite 104, in Mhlotshana 105. Inspectori publico hae scholae tantopere placuerunt, ut relatione ad superiores suos scripta eas multum commendaret iisque subsidium publicum obtineret. 20 magistri bene exercitati et stipendio ad diligentiam excitati, inter quos aliqui, ut inspector scripsit, eximiae in sua arte peritiae, in his quattuor scholis docent.

Ut ad maius semper animarum studium se inflammarent neque quidquam negligerent, quo labores utiliores reddi possent, hoc quoque anno missionarii in Collegium Bulawayense a die 27 iunii usque ad kalendas iulias convenerunt, ut de evangelizandi ratione consilia conferrent. Initium horum conventuum fecit anno 1920 R. P. Eduardus Parry b. m. Ad secundum, a Propraefecto P. Francisco Johanny indictum, 25 Patres accurrerunt. Eos Superiores Collegii Bulawayensis summa caritate hospitio acceperunt et magistri interea in Stationes missionariorum abierant, ut hi ab ordinariis muneris curis liberi conventui interesse possent. Commentationibus suis tractarunt res, quae omnibus in hac regione curam animarum agentibus maxime cordi sunt ut de indigenarum matrimoniis, de legibus publicis in hac re, de servitute, de quibusdam indigenarum usibus dubiae naturae, quomodo obligatio sustentandi pastores suos indigenis inculcari debeat atque munditia et res hygienica in Stationibus promovendae sint. Res non minimi momenti erat, quam Superior Stationis Driefontein exposuit; fecit enim verba de schola ad catechistas educandos in sua Statione instituta. Quae schola est fructus aliquis primi missionariorum conventus anno 1920 habiti. Doctrinae curriculum ibi duobus annis absolvi-

tur. Sed difficultates, quae initia impedire solent omnis boni operis, etiam huic non desunt: alumni pauci neque satis parati, cum in scholam recipiendi sunt, pecuniae inopia. Ideo omnibus missionariis commendatum est, ut, quantum possent, alumnis diligenter seligendis atque pecunia subministranda adiuvarent scholam, quae ut floreat tantopere interest totius Praefecturae.

Collegium S. Georgii Bulawayense colonorum filiis educandis destinatum est. Convictores, partim catholici partim protestantes, sunt plus minus 100, in septem classes divisi. Praeterea Nostri in urbe Bulawayo curam quoque gerunt paroeciae, quae iuxta viam ferratam ad 50 milia passuum extenditur et fere 800 fideles complectitur. Decem homines hoc anno ex haeresi ad Ecclesiam reverterunt; inter eos Henricus O' Reilly quidam, qui anno 1869 primus ad Kimberley gemmas adamantinas invenit; is, amissis postea divitiis, ex divite quidem pauper, sed etiam e protestante catholicus factus, unam pretiosam margaritam emit.

Summa tristitia hoc anno affecti sunt Praefecturae Zambesianae missionarii atque fideles morte Praefecti Apostolici et Superioris Regularis Missionis Rhodesiae Meridionalis, R. P. Eduardi Parry. Londini die 19 martii anni 1861 natus, puer inter aequales animi fortitudine et firma voluntate excellebat. Pristino animi impetu in studium animarum atque virtutis converso, numquam sibi parcebat; si quod onus ipse ferre posset — et multum valuit — numquam aliis humeris imponebat, ita ut unus omnibus carissimus esset. Ei anno 1911 in Africam advecto commissa est paroecia salisburiensis, quae amplius centum milia passuum in omnem partem se extendit. Hoc ingens territorium sub ardente sole, birota vectus percurrebat, animarum studiosus venator idemque amator ruris et omnium amoenitatum naturae, quas quidem in Missionis periodico *The Zambesi Mission Record* libenter describebat. Sub finem anni 1919 Praefectus Apostolicus et Superior Missionis nominatus, non potuit per biennium expedire se a cura suae paroeciae: tanta erat penuria sacerdotum. Hieme tamen, cum inter scholae vacationes magister quidam Collegii Bulawayensis eius vices in paroecia suscipiebat, R. P. Parry, omnibus itinerum difficultatibus spretis proficiscebatur ad visitandam magnae Praefecturae suae saltem partem, in quantum breve tempus ei permisit. Tandem a parochi curis liberatus, totus muneri Praefecti et Superioris se dedere potuit. Id faciebat tanto zelo, tanta

prudentia et caritate, ut omnium, et missionariorum et fidelium animos plane sibi devinciret atque cum verbis tum exemplo suo novo ardore impleret.

Mense aprili anni 1922, viribus fere fractus, se accinxit ad visitandam eam longinquam Rhodesiae Septemtrionalis partem, quam Patres poloni excolunt. Ii qui cum Praefecto Apostolico degentes non ignorabant, quantopere valetudo eius laboribus debilitata esset, eum rogabant ut, vitae suae toti Missioni tam pretiosae parcens, alteri hoc iter longum et laboriosum committeret. Sed quo erat semper animo generoso eos audire noluit. Itaque die 19 aprilis ex urbe Salisbury profectus est, vicinam ex hoc itinere mortem ipse praesagiens. Et primo quidem via ferrea, mox birota ac pedibus, per agrum difficillimum confecit fere ducenta milia passuum; per Lusaka, Kasisi, Broken Hill usque ad Chingombe progressus et inde secundo flumine vectus, die 13 maii valde defatigatus in Stationem Katondue pervenit. Diebus 15 et 16 maii Missam celebravit et morti appropinquanti fortiter resistebat nec sine circumstantium spe. Loquebatur de administranda confirmatione, de congressu missionariorum habendo, se velle ipsum die festo Corporis Christi ss. Sacramentum portare. Sed Deus aliter statuerat. Die 19 maii vires aegrotum omnino defecerunt et, morientium sacramentis pie acceptis et praescripta fidei professione facta, die dominica 21 maii P. Parry, vir fortitudine et pietate insignis, Superior amantissimus et ab omnibus amatus, mane hora 2,15 placidissimo exitu mortuus est.

Missio Kwangensis (*Prov. Belg.*).

S. Sedis voluntati ut ubique inter gentes ad fidem convertendas clero indigenae parando provideatur, etiam huius Missionis Patres ea, quae Societatis filios decet erga supremam in Ecclesia auctoritatem promptitudine, obsecuti sunt. Die S. Petro Claver sacro (9 sept.) a. 1922 Praefecto Apostolico, R. P. Stanislao De Vos, ipso praesente, in Statione Lemfu parvum Seminarium apertum est. Ex 35 pueris qui ut in novam scholam admitterentur, petiverant, novem selecti sunt ad quos primo mense alii duo accesserunt; octo annos 15, reliqui 16 vel 17 nati sunt. Ab aliis Missionis alumnis separati vivunt, trini exeunt, non iam permittitur iis, ut perinde ac alii pueri ad focum adstantes ipsi suo palato escas accommodent, sed in proprio refectorio

Europaeorum modo ad tabulas sedentes cibum capiunt. Quae omnia conferunt ut sacerdotalis vocatio cum ab aliis tum a seminaristis ipsis magni aestimetur. In schola adhibetur lingua kikongo; studio linguae latinae iuvenes cum bono eventu tantaque diligentia se dant, ut potius quam excitari, a nimio labore retineri debeant. Postea etiam linguam gallicam addiscent, cuius notitia iis necessaria erit ad agendum cum Europaeis, praesertim coloniae magistratibus, et ad animos etiam in disciplinis profanis magis excolendos. Missionarii omnes summopere laudant promptitudinem, qua seminarii alumni non parva vitae novae incommoda, Dei et vocationis amore moti, fortiter libenterque perferunt.

Magno gaudio ab indigenis exceptus est sacerdos nigri coloris, qui a R. P. Praefecto ad sollemnia in honorem BB. Martyrum Ugandensium celebranda invitatus, nonnullas Stationes visitavit. Undique accurrerunt ut suae stirpis filium sacerdotii dignitate auctum conspicerent; omnes voluerunt eius benedictione donari et ex eius manu sacram Communionem recipere.

Etiam in hanc Missionem protestantes ingenti conatu atque certo fixoque consilio irruere conantur: dollariorum milliones iis praesto sunt et omnis fere navis, quae ad has oras appellit, novos praedicantes affert.

Aliud labori apostolico oppositum est obstaculum ab ipso coloniae gubernio. Decretis latis, quae non solum pacto berolinensi, sed etiam coloniae ipsius legibus adversantur, nonnullae Stationes nostrae (sicuti etiam in aliis Missionibus accidit) vexationes non leves passae sunt: christianorum casae destructae, discipuli ad deserendas nostras scholas incitati, mulieres catechumenae molestiis expositae. Nunc tamen, novo coloniae gubernatore constituto, spes est Missiones ab his iniuriis liberas fore.

Missio gratia divina et Patrum studio laetos progressus fecit, ut ex his numeris patet (v. *Mem.* I [1920] 424): 1920-1921: catholici 18.870 catechumeni 16.936, baptizati adulti et ethnicorum parentum liberi 1449; christ. parentum 939; confessiones 145.425; Communiones 301.807; matrimonia 350.

Missio Betsileensis (*Prov. Camp.*).

Magna missionariorum cura in id fertur, ut sibi in Missione ipsa laborum socios et sacerdotes et catechistas indigenas excitent. Inter 11 studentes qui die 6 ianuarii anni 1922 in seminario tana-

narivensi vestem clericalem induerunt (v. p. 704) erant tres natione Betsileenses. Praeterea voluntati S. Congregationis de Propaganda Fide obsecuti, Patres ipsi Collegium S. Ioseph in urbe Fianarantsoa mense decembri eiusdem anni (1922) regendum susceperunt a Fratribus Scholarum Christianarum, ut discipuli, si qui a Deo vocentur, magistrorum sacerdotum cottidiana consuetudine et monitis facilius ad sacerdotium adducantur. Fratres vero, qui per 30 annos huius urbis pueros instituerant et educaverant, praeclaro promptae oboedientiae erga S. Sedem exemplo, in locum Ambohimasoa recesserunt, ut ibi schola erecta laborem suum denuo inciperent. Ad catechistas doctrina atque pietate instituendos Missio habet tres scholas.

Dum sic diligenter parantur futurae messis operarii, non negliguntur horum temporum opportunitates regnum Christi extendendi: numerus fidelium mense iulio a. 1922 ad 124.008 est auctus; catechumeni erant 7136.

Parti occidentali Vicariatus, quae magnitudine fere octavae parti Galliae par est, nullus sacerdos concedi adhuc potuit, quamquam Betsileenses ex alta planitie versus litus emigrantes religionem christianam intulerunt in hanc plagam et magno desiderio missionarios suos in auxilium vocant. Cum duobus annis superioribus P. Vincentius Trachez eos per breve tempus visitasset, hoc anno (1922) Superior Missionis ipse eo abiit, ut oves dispersas sacramentis et verbi divini pabulo reficeret et simul indagaret, quid ibi ad fidem propagandam fieri posset ac deberet. Ipse vidit circiter 1500 christianos; sed numerus eorum ad 4 vel etiam 5000 accedere aestimatur. Pater adultos 50, postquam catechismi notitiam satis probaverunt, baptizavit et pueros 228. Confessiones 1164 audivit et 2958 Communiones distribuit. Multi alii ad baptismum parari desiderant. Durum sane est Patribus his gentibus non concedere posse sacerdotem, quem tantopere exoptant, sed imprudentis esset nova onera admittere, cum missionarii laboribus in parte orientali susceptis et necessario suscipiendis aegre sufficiant. Ideo Vicarius Apostolicus, RR. DD. Carolus Givelet, ne animae detrimentum caperent, a S. Sede petiit ut alios missionarios in hunc campum magnae spei deputaret. Interea autem in duabus urbibus maioris momenti futuris huius regionis apostolis Nostri prudenter areas comparaverunt, ne postea maiores fortasse in hac re sumptus fieri deberent.

Neque in hoc campo zizaniae seminatores quiescunt. Tres sectae regionem betsileensem infestam reddunt: lutherani, calviniani, wesleyani. Ruri quidem non magna auctoritate pollent, in urbibus autem, severiore disciplina maiorem pecuniam apud suos colligentes ideoque auctis opibus suffulti, plus valent. Ecclesiae honorem colloquiis, contionibus, scriptis continenter impetunt et omni ratione, ne quis ad eam se adiungat, impedire conantur. Adulescentes scholis, plerumque bene instructis, ad se allicere student. Ad commemorandum centesimum annum a coepta in Madagascar praedicatione protestantica omnes sectae viribus coniunctis in urbe Tananariva Scholam Superiorem, ingentis molis aedificium, erexerunt, in qua iuvenes optimi ingenii e tota insula delecti per octo annos erudiantur, ut postea magna auctoritate inter populares errores spargere possint.

Contra haec Nostri ad defendendos fideles suos diligentissime utuntur omnibus armis, quae diuturno usu et multis certaminibus probata in Societatis armamentario praesto sunt: cultus SS. Cordis, Apostolatus Orationis, Congregatio B. M. V., Exercitia Spiritualia. Secessus quidem annui quasi in usum communem et consuetudinem christianorum abierunt tam laeto exitu, ut, cum antea frequentiores a fide ad haeresim defecissent, id nunc admodum raro accidat. Patribus non parvo auxilio sunt in repellendis adversariis socii Iuventutis Catholicae, qui fere 1500 spargendo diario bono et docenda religione zelum animarum splendide exercent. Peculiari tamen mentione atque laude digna est fidelitas ludi magistrorum. Cum enim apud nos singulis mensibus non plus quam 25 francos omnino accipiant, protestantes iis offerunt 40 atque adeo 50 francos. Sed optimi viri tanto lucro nihil moti, ne cogitant quidem sanctam Ecclesiae Christi causam deserere. Sed pastoralis prudentiae caput est, quod missionarii nostri, a bono Pastore ipso edocti, continenter apud suas oves commorantes eas verbi divini et sacramentorum pabulo assidue pascunt et fideliter contra lupos rapaces custodiunt, cum protestantes, ruri saltem, plurimis locis oves dispersae et derelictae videantur. Ineunte anno 1890, intra limites Vicariatus Fianarantsoensis erant: catholici 50.000, protestantes 200.000; nunc vero sunt: catholici 122.000, protestantes 130.000.

Fatentibus adversariis ipsis, magna spes est omnes Betsileenses aliquando catholicos fore, dummodo numerus missionariorum, qui

nunc solum 33 sunt pro 122.000 baptizatis, multum augeri vel etiam duplicari possit.

Missio Tananarivensis (*Prov. Tolos.*).

Patres huius Missionis anno 1921 commemoraverunt 60 annum, ex quo praecones verae fidei in his regionibus publice laborare potuerunt. Iam ex anno 1830 quidem unus alterve missionarius in insula interiore degerat, sed anno 1861 demum die 13 novembris P. Ludovico Jouen licuit publice missam celebrare in urbe Tananariva ad ripas lacus andohalensis.

Die 7 octobris anni superioris (1921) in maiore seminario tananarivensi (in pago Ambohipo prope urbem Tananariva) primum haberi coeptus est cursus theologicus, quem novem indigenae frequentant. Hi philosophicis studiis biennio peractis, per tres annos magistrorum praefectorumve muneribus in Collegio S. Michaelis perfuncti erant cum magno ipsorum atque puerorum utilitate. Philosophiae operam dant 11, litteris latinis 15 iuvenes. Quam exoptati hi futuri auxiliares Missioni sint, is facile intelligit, qui nimiam eius magnitudinem considerat. Est enim superficies Vicariatus Tananarivensis fere 100.000 kmq.; solum quarta pars immensi territorii eaque aegre pro parvo numero operariorum excoli potest. In reliquas partes numquam sacerdos ingressus est.

Die 9 iulii anni 1922 in ecclesia cathedrali supplicatio triduana haberi coepta est in honorem BB. Martyrum Ugandensium; eorum laudes sacerdos indigena dixit. In posterum quotannis Beatorum sollemnitas die 11 iulii celebrabitur.

Status Missionis mense iulio 1922: catholici: 107.113: catechumeni: 11.972; pueri baptizati intra annum: 5917; adulti: 4220; confessiones: 386.112; Communiones: 1.133.131; templa et sacella: 460; scholae 103, quas frequentant 4882 pueri et 4457 puellae.

AMERICA.

Missio Alaskana (*Prov. Cal.*).

Ad quae sufferenda ii parati esse debeant, qui in Missione Alaskana animarum curae se dedicant, ex litteris patet quas de morbo P. Iulii Jetté, missionarii in pago Tanana, P. Franciscus Monroe ex Residentia Fairbanks dedit ad R. P. Ioannem Sifton, Missionis Superiorem. Hic adiungit pagum Tanana situm esse in

« facilioribus » partibus Alaskae Borealis; omnium difficillimas esse regiones ad oras maris quod a Behring nuncupatur. P. Monroe litterae sic se habent:

« ...die 19 (?) P. Jetté gravem arboris truncum manu pro viribus levare conatus est, ut illum secaret et scinderet ad usum culinae et domus calefaciendae, omnibus hisce rebus domesticis ipse solus perfungi solitus. Die proximo Pater, inguine tumescente, acerbis doloribus semper renovatis graviter afficitur. Dominica Missam celebrare non potest neque quisquam adest, qui causam mali investiget et remedium suggerat; cursus corporis obstructi cessant eosque reducere frustra conatur. Ideo D. Andreas Vachon, mercator in pago Tanana, pietate et obsequio erga missionarium singularis, per radiophonum rem exponit medico De la Vergne habitanti in urbe Fairbanks, quae a Tanana 300 leucas anglicas distat; ego vero telephono etiam consilium expeto egregii medici Romig, degentis in oppido Nenana haud procul infra Fairbanks. Medicus uterque dicit strangulationem quam vocant herniae causam morbi esse: D. De la Vergne casum declarat omnino desperatum, at D. Romig spem aliquam affulgere opinatur, si Pater aegrotans in oppidum Nenana transportetur. Sed id fieri posse ferme non videtur; nam primo mensis octobris frigore glacies fluminibus ferri incipit satis densa ut omnem navigationem impediat, nec tamen satis firma ut hiberna vehicula a canibus trahenda tuto sustineat, insuper via foret per deserta loca, sentibus, arborum truncis, praeruptis iugis impedita.

At optimus Vachon, Deo fidens, iter aggredi non dubitat: agitur enim de vita Patris unice dilecti, certo brevi morituri, si paulo longius Tananae moretur. Praeterea non ignoravit me quoque cum alio medico, Corbie, mox ex urbe Fairbanks esse discessurum, ut aegrotanti quam primum occurrerem ad eum tempestive sacramentis muniendum utque, si res urgeret, in itinere ipso operatio chirurgica fieri posset.

Illis autem ex loco Tanana exeuntibus statim magnum flumen Yukon traiiciendum est inter glacies nocturno frigore densiores. D. Vachon comitem habet robustum indigenam bene expertum; naviculas duas parant, quarum una P. Jetté recipit, molli lectulo reclinatum et multis pellibus involutum; in altera traham (sled) et undecim canes disponunt. Vixdum per mediam et incertam glaciem caute atque totis viribus remigando oppositam ripam attin-

gunt, cum subito magnis glaciei cumulis ventoque valido repulsi, ad priorem oram renavigare coguntur, ad quam post multos conatus tandem appellunt longe infra Tananam; duas naves adverso flumine reducere non possunt ad locum unde profecti erant. Ideo eas in litus deductas et in trahis impositas canes eodem trahunt. At Vachon maiore conatu Yukon transmittere vult et ripam desideratam arripiunt. Tum iter arduum per loca deserta prosequuntur, bis supra lacus et paludes incedentes, glacie sub pedibus discissa, aquis merguntur et subsistere debent, ut, magnis ignibus accensis, vestimenta prorsus madefacta et frigentia siccent. Saepe via recta obstaculis ita occluditur, ut ab ea non sine magna pretiosi temporis iactura longe deflectendum sit. Quem dolorum cruciatum per novem continuos huius itineris dies Pater subierit, vix quisquam sibi effingere potest. Cum tandem, media via inter Tananam et Nenanam emensa, ad deversorium quod « Duggan Creek » appellatur, perveniunt, paulo post ibidem etiam ego adsum cum meis altis calceamentis, solida glacie genu tenus coopertis: totam viam pedibus faciens ter in aquas decidi gelu ilico calceis et vestibus adhaerentes, certae morti obnoxius, si paulo acrius frigus urgeret. Medicus Corbie praeivit in publico litteris transvehendis vehiculo equis tracto.

P. Jetté ut primum novit me quoque adesse, quod toto animo iam diu desideraverat, mihi obvius venit obridens. Sic eum aspiciens valde mirabar, quod post tot tamque acres dolores, adeo vegetus esset, sed paulo post omnino aliter sensi; quamquam enim dolores minores videbantur, brevi successit torpor quidam et pallor, qui male portendere solent. « Pater, mihi dicit, suppuratio incipit, quam mox peritonitis et mors excipient ». Ultima sacramenta ei administro, quae magna pietate percipit.

Dubitamus num proximo die iter prosequi possimus, sed nox satis bona accidit et mane discedimus ad pagum Tolovana versus, 20 milia lenti itineris; iterum comitatus aegrotantis Patris, cui plures alii accedunt, rupta glacie merguntur et ut se arefaciant, accensis ignibus, subsistunt; quod ego ut evitem solus per avia loca iter facio; sic modo P. Jetté ego praetereo, modo ille me antecedit: id vero animadverto Patrem labore viae non adeo deprimi. Periculum iam non est in proficiscendo, sed in dilatione operationis, quam tamen dilationem medicus Romig prudenter imposuit, cum Doctor Corbie statim Tolovanae incisionem peragere voluisset.

Ad 20 milia infra Nenanam sperabamus nobis usui fore viae ferreae currum, quem proxima feria sexta adventurum sciebamus ideoque novos canes conduxi, ut inde a Tolovana citius iter fieret. Vespere diei lunae ut proposui, Nenanam pervenimus. Cives omnes circumfusi adstabant, perinde ac si Patrem nostrum magno desiderio exspectassent. Rursus Tanana flumen traiicere non est adeo facile, sed lumina super glaciem opportune posita sunt, quibus via cernatur aperta et tuta ab una ripa ad alteram. Multi viri ultro se offerunt, ut aegrotum Patrem e curro viae ferreae ad cymbam deferant, e cymba vero in nosocomium.

Parata ibi omnia invenimus ad operationem chirurgicam faciendam. Dominus Romig miratur quidem valde, quod P. Jetté post tot itinera tam bene se habeat, incisionem tamen ad proximum diem differre mavult, ut aegrotus noctis quiete aliquanto fortior evadat. Carissimus Pater, licet debilissimus, pro tenaci sua voluntate consulto, ut opinor, talem valetudinis speciem effingit, ut medicum decipiat et adstantes omnes.

Incisio difficilis est et longa; intestina enim valde emergunt, vesica autem in partem apertam influit. Inter secandum D. Romig asseruit quidem rem de more procedere, sed omnibus perfectis palam professus est se de vita Patris admodum anxium fuisse. Heri sperabamus valde, sed hoc mane ancipites haeremus, quid tandem eventurum sit.

D. Vachon usque Nenanam nobiscum venit; sibi persuadeat, Reverentia Vestra, si P. Jetté sanitatem unquam recuperet, praeter Dei providentis gratiam id certo acceptum referendum fore his duobus egregiis viris, Andreae Vachon et Doctori Romig... ».

Missio Guianensis (*Prov. Angl.*).

Sunt in hac Missione 25.725 catholici, plerique Lusitani origine, sed etiam sanguine mixti et indigenae, sub uno Vicario Apostolico et 18 sacerdotibus nostris. Apud Georgetown, quae est coloniae urbs primaria, exsurgit nova ecclesia cathedralis satis solida; quae antea habebatur, lignea quidem, sed pulcherrima anno 1913 incendio destructa est. Ante biennium pars templi occidentalis perfecta atque benedicta usui fidelium tradi potuit. Collegii S. Stanislai in eadem urbe inchoati tres Nostri curam habent; sex scholas secundarias moniales moderantur. Praeter Residentiam in insula Barbados, quae 300 milia passuum distat,

Stationes sunt novem, singulae administratae a suo sacerdote, qui etiam in alia loca vicina et non adeo vicina excurrere debet. Quanti laboris et fructus haec itinera sint, saltem uno exemplo declarandum videtur. P. Cuthbertus Cary-Elwes per 13 annos, partim equo partim navi, maxime autem pedibus perlustrat regionem non minus amplam quam Angliam; multa invenit iis qui hanc terram descripturi sunt, utilissima, sed quod multo plus est, animas convertit ad Christum 2500; decem Stationes sibi concreditas habet.

In coloniae urbibus autem friget religio, ministelli vero variarum sectarum abundant. Unus quivis ludimagister niger vel caupo abit in Americam et post paucos menses redux, sectae cuiusdam antistes nominatus, gregem sibi comparare conatur. Ex centenis pueris sexageni fere extra matrimonium nascuntur, cuius rei neminem pudet. Est etiam episcopus pseudocatholicus, qui cum ministris suis sanctam Ecclesiam acriter impugnat: iis a Nostris respondetur in periodico, cui titulus est *Vexillum Catholicum.*

* * *

Missio Zambesiana (*olim Prov. Lus.*).

Omnibus notum est quanta crudelitate Nostri, rebus publicis lusitanis anno 1910 commutatis, non solum ex Lusitania ipsa, sed etiam ex eius coloniis eiecti fuerint. Inter Provinciae Lusitanae Missiones facile primum locum obtinuit Zambesiana. Non abs re videtur hic inserere, quid viri in rebus illius regionis magna auctoritate pollentes et unus saltem, ut ex eius testimonio patet, religioni nequaquam amicus, de laboribus a Nostris susceptis in Boroma, quae fuit Zambesianae Missionis Statio praecipua, nuper scripserint.

Heitor Passos, Director Generalis Instructionis, haec, 18 iulii 1921, scribebat: « ...miror culturae opus a religiosis erectum, qui hic degebant. Et dum perpendimus, quo fuerit tempore haec Missio instituta, quasque hodie quoque habeamus difficultates ad simplicissimam domum in interiore Mozambiquensi Provincia exstruendam, laus est prodigiosae virtuti tribuenda, quae hoc culturae principium hic posuit. Deplorandum est homines publicos meae nationis, certum quod Africam ignorent, ab ea exterminasse (ab illa parte, ubi vexillum colitur lusitanum) viros, qui, licet non adeo humanitatis amore ducti (*sic!*), hic alibique indubia reliquae-

runt signa industriae, sacrificii, virtutis, fideique. Hoc ipsum ex eo probatur, quod non amplius fiunt huiusmodi opera magnitudinis, nec sunt hodie in Africa lusitana educationis domus quae sub suis tectis quadringentos simul indigenas contineant, quos per laborem primamque instructionem ad cultam vitam servent. At catechismum docebant: esto; sed qui populi non prius per phasim religiosam transierunt? Inter hominem religiosum barbarumve quisnam haereat?... ».

Eodem die Franciscus Marcellino Affonso, peditum Centurio-Maior, Administrator regionis Barué: « Invisens hodie, inquit, hanc miram institutionem, iterum fio certior nihil esse in nigritis educandis, ad humanitatemque effingendis atque ingenio nostrae nationis in coloniis nostris conservando, prorsus nihil, quod vel minimum possit cum religiosis Missionibus comparari, quae quidem in periculo sunt, ut exstinguantur, ob perniciosissimam obcaecationem, quae ex ignorantia oritur magnifici operis ab ordinibus religiosis perfecti... ».

Brito Camacho, Supremus Commissarius Provinciae Moçambique, 17 augusti 1921: « Mihi gratulor, inquit, quod Boromam venerim, cum hic verum culturae opus invenerim. Iniusti esset laudem illis hominibus non tribuere, qui tanti operis prima iecere fundamenta illudque rexerunt difficili tempore, quod huiusmodi incepta superare debent... ».

PARS TERTIA

STATISTICA QUAEDAM

ANNI MCMXXII

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE

INEUNTE ANNO MCMXXIII

Assistentiae	Provinciae et Viceprovinciae	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	Augmentum Sac.	Augmentum Schol.	Augmentum Coad.	Augmentum Univ.
Italiae	Romana	187	90	79	356	— 4	4	—	—
	Neapolitana	105	72	65	242	1	5	— 1	5
	Sicula	112	48	72	232	2	— 6	4	—
	Taurinensis	172	66	58	296	7	— 5	4	6
	Veneta	217	72	114	403	3	4	8	15
	Socii Assist. Italiae	**793**	**348**	**388**	**1529**	**9**	**2**	**15**	**26**
Germaniae	Austriae	203	67	97	367	— 7	—	2	— 5
	Belgica	720	422	193	1335	6	16	— 2	20
	Cechoslovaca (Vicepr.)	78	45	56	179	1	6	1	8
	Germaniae Inferioris [1]	355	194	160	709	12	18	— 1	29
	Germaniae Superioris	359	138	168	665	— 1	20	12	31
	Hungariae	90	66	55	211	3	1	1	5
	Iugoslaviae (Vicepr.)	59	29	48	136	5	3	8	16
	Neerlandica	308	149	128	585	14	—18	— 1	— 5
	Poloniae [1]	229	123	158	510	— 4	19	7	22
	Socii Assist. Germaniae	**2401**	**1233**	**1063**	**4697**	**29**	**65**	**27**	**121**
Galliae	Campaniae	441	183	114	738	1	7	— 2	6
	Franciae	440	148	146	734	—	13	— 4	9
	Lugdunensis	398	133	157	688	4	—13	— 6	—15
	Tolosana	418	147	124	689	— 2	9	— 4	3
	Socii Assist. Galliae	**1697**	**611**	**541**	**2849**	**3**	**16**	**—16**	**3**
Hispaniae	Aragoniae	387	255	331	973	13	— 9	— 1	3
	Argentino-Chilensis	170	100	134	404	—	1	4	5
	Castellana	406	275	368	1049	16	— 6	13	23
	Legionensis	238	167	169	574	12	1	—	13
	Lusitana	168	80	113	361	2	— 2	3	3
	Mexicana	176	80	80	336	11	— 3	—	8
	Toletana	286	209	223	718	10	8	6	24
	Socii Assist. Hispaniae	**1831**	**1166**	**1418**	**4415**	**64**	**—10**	**25**	**79**
Angliae	Angliae	454	196	124	774	9	— 4	1	6
	Canadensis	172	235	125	532	12	3	1	16
	Hiberniae	224	133	65	422	— 1	4	1	4
	Socii Assist. Angliae	**850**	**564**	**314**	**1728**	**20**	**3**	**3**	**26**
Americae	Californiae	215	190	102	507	5	—	— 3	2
	Maryland.-Neo Ebor.	471	585	130	1186	11	39	5	55
	Missouriana	499	427	163	1089	11	16	— 5	22
	Neo Aurelianensis	169	94	41	304	4	1	— 1	4
	Socii Assist. Americae	**1354**	**1296**	**436**	**3086**	**31**	**56**	**— 4**	**83**
	Universi ineunte anno 1923	**8926**	**5218**	**4160**	**18304**	**156**	**132**	**50**	**338**
	» » » *1922*	8870	5086	4110	17966				
	Augmentum	**156**	**132**	**50**	**338**				

1 Socii 4 (3 PP. et 1 Fr. Coad.) ex Prov. Poloniae transierunt in Prov. Germaniae Inferioris (cf. *Acta Rom.* III (1922) 473 sq.).

PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU
INEUNTE ANNO MCMXXIII

MISSIONES	PROVINCIAE	Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
IN EUROPA					
Albania [1]	Veneta	**16**	**3**	**15**	**34**
IN ASIA					
Armenia	Lugdunensis	10	—	4	14
Ceylon *Gallensis*	Belgica	22	6	4	32
» *Trincomaliensis*	Campaniae	16	2	3	21
India *Bengalensis*	Belgica	177	50	28	255
» *Bombayensis*	Aragoniae	41	3	15	59
» *Goana*	Lusitana	19	1	5	25
» *Madurensis*	Tolosana	153	66	40	259
» *Mangalorensis*	Veneta	44	3	14	61
» *Patnensis*	Missouriana	8	—	—	8
» *Poonensis*	Aragoniae	14	—	2	16
Iaponia *Univ. Tokyo, Hiroshima*	Germ. Inf.	14	—	—	14
Malesia *Iava*	Neerlandica	65	15	10	90
Philippinae *Mindanao*	Aragoniae	38	—	28	66
Sinae *Cantonensis*	Lusitana	7	1	2	10
» *Hwaisensis*	Taurinensis	15	—	4	19
» *Nankinensis*	Franciae	119	13	35	167
» *Ngankingensis*	Legionensis	15	—	3	18
» *Wu-hu*	Castellana	26	1	2	29
» *Tchely Merid. Or.*	Campaniae	59	2	18	79
Syria	Lugdunensis	80	15	43	138
IN AFRICA	*Universi*	**942**	**178**	**260**	**1380**
Aegyptus	Lugdunensis.	34	1	15	50
Africa Merid. *Zambesiana:*					
» *Coloniae Capitis*	Angliae	14	—	8	22
» *Rhodesiae Meridionalis*	Angliae	46	—	20	66
» » *Septemtrionalis*	Poloniae	8	—	8	16
Congo *Kwangensis*	Belgica	35	11	16	62
Madagascar *Tananarivensis*	Tolosana	50	2	9	61
» *Maurice*	Tolosana	6	—	3	9
» *Réunion*	Tolosana	3	—	1	4
» *Betsileensis*	Campaniae	39	2	11	52
IN AMERICA	*Universi*	**235**	**16**	**91**	**342**
Inter aborigenes *Alaskana*	Californiae	19	—	10	29
» *Canadensis*	Canadensis	17	2	16	35
» *Dakotae Meridionalis*	Missouriana	10	3	21	34
» *Guianensis*	Angliae	19	—	—	19
» *Montium Saxosorum*	Californiae	19	1	12	32
» *Tarahumarensis*	Mexicana	10	—	13	23
Iamaica	Maryl.-Neo E.	19	2	2	23
IN OCEANIA	*Universi*	**113**	**8**	**74**	**195**
Carolinae et Marianae	Hispanicae	**14**	—	**14**	**28**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1923		**1320**	**205**	**454**	**1979**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1922		1269	190	426	1885
Augmentum [1]		**51**	**15**	**28**	**94**

(1) Numerantur nunc omnes Nostri in Albania laborantes, cum antea Socii " Missionis Excurrentis „ tantum exhiberentur.

NUMERUS NOVITIORUM SOCIETATIS INEUNTE ANNO 1923.

	PP.	Schol.	Coad.	Univ.
Prov. Romana (Miss. Bras. Cent. 1 P., 12 S., 1 C.)	1	22	7	30
» Neapolitana	—	23	7	30
» Sicula	—	11	6	17
» Taurinensis	1	14	10	25
» Veneta (Miss. Mang. 1 P., 3 S., 1 C.)	8	22	18	48
Ass. Italiae	**10**	**92**	**48**	**150**
Prov. Austriae	2	22	16	40
» Belgica (Miss. Beng. 6 S.)	2	78	12	92
V. Pr. Cechoslovaca	1	17	8	26
Prov. Germaniae Inf. (Miss. Iap. 1 S.)	4	65	11	80
» Germaniae Sup. (Miss. Bras. Mer. 10 S., 5 C.)	3	64	20	87
» Hungariae	2	20	14	36
V. Pr. Ingoslaviae	4	10	12	26
Prov. Neerlandica (Miss. Iav. 7 S.)	—	21	10	31
» Poloniae	1	56	33	90
Ass. Germaniae	**19**	**353**	**136**	**508**
Prov. Campaniae (Miss. Tchely: 4 C. Miss. Trinc.: 1 S., 2 C.)	—	52	13	65
» Franciae (Miss. Nankinensis 2 S., 3 C.)	3	36	7	46
» Lugdunensis	2	41	16	59
» Tolosana (Miss. Madur. 14 S., 6 C.)	—	36	11	47
Ass. Galliae	**5**	**165**	**47**	**217**
Prov. Aragoniae (Miss. Bomb. 2 S., 1 C.). (Miss. Phil. 2 S., 2 C.)	3	48	24	75
» Argentino-Chil. (Chile: 5 S., 2 C.)	1	17	8	26
» Castellana (Miss. Colomb. 1 P., 14 S., 14 C.)	5	53	40	98
» Legionensis	5	38	15	58
» Lusitana (Miss. Goan. 1 P., 1 C.)	3	20	11	34
» Mexicana	—	19	9	28
» Toletana (Miss. Aequat. 4 S., 3 C.)	2	44	19	65
Ass. Hispaniae	**19**	**239**	**126**	**384**
Prov. Angliae	1	49	17	67
» Canadensis	1	49	12	62
» Hiberniae (Miss. Austral. 3 S., 1 C.)	—	30	7	37
Ass. Angliae	**2**	**128**	**36**	**166**
Prov. Californiae	—	27	7	34
» Marylandiae-Neo Ebor.	2	117	14	133
» Missouriana	—	80	6	86
» Neo Aurelianensis	1	20	—	21
Ass. Americae	**3**	**244**	**27**	**274**

NUMERUS NOVITIORUM SOCIETATIS INEUNTE ANNO 1923

	PP.	Scholastici	Coadiutores	Universi
Ass. Italiae	10	92	48	150
» Germaniae	19	353	136	508
» Galliae	5	165	47	217
» Hispaniae	19	239	126	384
» Angliae	2	128	36	166
» Americae	3	244	27	274
Universi ineunte anno 1923 . . .	58	1221	420	1699
Universi ineunte anno 1922 . . .	51	1183	395	1629
Differentia . . .	7	38	25	70

DINUMERATIO CONGREGATIONUM B. MARIAE V.

PRIMAE PRIMARIAE AGGREGATARUM A DIE 1 IANUARII AD 31 DECEMBRIS 1922

	Sacerdotes et Clerici	Viri	Iuvenes	Studiosi	Pueri	Summa Congr. virorum	Mulieres	Mulieres et Virgines	Virgines et Puellae	Summa Congr. Feminarum	Utriusque sexus	Summae
EUROPA												
Anglia	—	1	—	—	—	1	14	—	6	20	8	29
Austria	2	1	10	1	5	19	4	—	42	46	1	66
Belgium	—	1	4	3	—	8	—	1	12	13	1	22
Cechoslovachia	1	2	2	4	1	10	2	11	22	35	1	46
Gallia	—	1	3	—	—	4	1	1	41	43	1	48
Germania	2	10	45	6	3	66	6	—	199	205	—	271
Helvetia	—	1	4	4	1	10	—	—	11	11	1	22
Hibernia	—	1	—	—	—	1	2	4	3	9	1	11
Hispania	2	21	20	3	1	47	11	1	22	34	1	82
Hungaria	—	4	4	4	1	13	8	—	13	21	—	34
Italia	3	1	11	6	1	22	6	3	12	21	1	44
Iugoslavia	1	2	6	—	—	9	10	—	7	17	—	26
Lusitania	—	2	2	—	—	4	10	—	3	13	1	18
Neerlandia	—	3	7	—	3	13	—	2	10	12	1	26
Polonia	1	2	1	10	—	14	9	1	21	31	—	45
Varia loca	—	1	1	—	—	2	—	—	5	5	1	8
ASIA												
India	—	6	6	1	2	15	3	1	9	13	5	33
Philippinae	—	1	—	—	—	1	1	—	—	1	1	3
AFRICA												
Varia loca	—	1	—	2	1	4	11	—	6	17	—	21
AMERICA												
Argentina	—	—	—	—	—	—	—	—	3	3	—	3
Brasilia	—	—	2	4	—	6	1	—	3	4	—	10
Canada	—	2	3	—	—	5	1	1	27	29	—	34
Chilum	—	7	—	—	—	7	—	—	1	1	1	9
Mexicum	1	—	3	—	1	5	—	—	3	3	2	10
Status Foederati	—	5	6	1	5	17	14	7	69	90	15	122
Varia loca	1	2	6	—	—	9	5	—	4	9	1	19
AUSTRALIA												
Varia loca	—	—	—	—	2	2	1	—	55	56	—	58
Summa	14	78	146	49	27	314	120	33	609	762	44	1120

COMMISSIONES AD RECOGNOSCENDUM
PRIMUM SCHEMA EPITOMES IURIS NOSTRI CONSTITUTAE
(EP. A. R. P. WLODIMIRI LEDÓCHOWSKI D. 22 IAN. 1922: *Act. Rom.* III., 1922, 437)

Assistentia Italiae		
PROV. ROMANA:		
*P. Franciscus Calcagno (Prov. Taur.).	Rect. Univ. Greg.	Praep. Prov. Taur. 1910–1916; interfuit C. G. XXVI.
*P. Benedictus Ojetti	Lect. iur. can. in U. G.	Cons. Comm. pro interpret. Cod. I. C.
P. Augustus Spinetti	Praef. spir.	Praep. Prov. 1909-1912.
P. Ambrosius Mathis	Soc. Praep. Prov.	
P. Generosus Graziosi	Repet. theol. mor.	Cons. S. C. de Relig.
P. Carolus Miccinelli [1]	Rect. Univ. Greg.	Praep. Prov. 1919-1922; Visit. Prov. Neap.
PROV. NEAPOLITANA:		
P. Raphael Tramontano	Rect. Coll. Max. Neap.	
*P. Raphael Tummolo	Lect. theol. mor.	
P. Arthurus Donnarumma	Lect. theol. past.	
P. Aloisius Mondelli	Lect. iur. can.	
PROV. SICULA:		
*P. Carmelus Previtera	Rect. Dom. Prob. Bachar.	
P. Iosephus Minacapelli	Sup. Res. Panorm.	
P. Felix Lo Re	Praef. spir.	
P. Franciscus Ferrara	Oper.	
PROV. TAURINENSIS:		
P. Fortunatus Giudice	Lect. S. Script.	
P. Angelus Taverna	Lect. theol. mor.	
P. Bartholomaeus Piombo	Doc. phil. in Coll.	
P. Alphonsus Martin	Rect. Coll. Max. Cher.	
PROV. VENETA:		
P. Antonius Gianini	Oper.	
P. Iosephus Marini	Sup. Res. Mut.	Praep. Prov. 1917-1920.
P. Iosephus Mauri	Praef. spir.	
*P. Guido Mattiussi	Script.	Interfuit C. G. XXV.
P. Iosephus Persico	Doc. math. in Coll.	
MISS. MANGALORENSIS:		
P. Eduardus Lazzarini	Praef. spir. alumn.	
P. Eugenius Be leri	Lect. phil. in Sem. Mang.	
P. Aristides Macry	Lect. theol. mor. et iur. can. in Sem. Mang.	

NOTA: Patres asterisco signati ad Congregationem Generalem XXVII electi sunt.
[1] Suffectus est P. F. Calcagno, cum hic, Instructor tertiae Probationis nominatus, Roma abiit Florentiam.

COMMISSIONES AD RECOGNOSCENDUM
PRIMUM SCHEMA EPITOMES IURIS NOSTRI CONSTITUTAE

MISS. BRASILIAE CENTRALIS:		
P Ioannes B. du Dréneuf	Rect. Coll. Paulop.	
P. Iosephus Danti	Mag. Nov.	
P. Iosephus de Madureira	Lect. phil.	
P. Iosephus M. Natuzzi	Praef. spir.	
Assistentia Germaniae		
PROV. AUSTRIAE:		
*P. Ioannes B. Wimmer [1]	Rect. Dom. tertiae Prob. Lainc.	Praep. Prov. 1909-1915; interfuit C. G. XXVI.
P. Franciscus X. Schwärzler	Instr. tertiae Prob.	Praep. Prov. 1888-1891, 1906-1909; interfuit C. G. XXIV, XXV, XXVI.
*P. Iosephus Biederlack	Lect. theol. mor. in Univ. Oenip.	Interfuit C. G. XXVI.
PROV. BELGICA:		
P. Augustus Petit	Instr. tertiae Prob.	Praep. Prov. 1898-1904; interfuit C. G. XXV.
P. Iosephus Creusen	Lect. theol. mor. et iur. can.	
P. Paulus Dutry	Mag. Nov.	
P. Iosephus Pauwels	Lect. cosmol. et liturg.	
VICEPROV. CECHOSLOVACA:		
P. Aloisius Niederegger	Praef. spir.	
P. Methodius Rihák	Doc. in Coll.	
P. Vendelinus Javorka	Rect. Dom. Prob. Tyrn.	
PROV. GERMANIAE INF.:		
*P. Iosephus Laurentius	Script.	
P. Franciscus Hürth	Lect. theol. mor.	
P. Gualterus Sierp	Instr. tertiae Prob.	
P. Conradus Kirch	Lect. hist. eccl.	
PROV. GERMANIAE SUP.		
P. Otto Danneffel	Mag. Nov.	
P. Iosephus Knünz	Doc. in Coll.	
*P. Robertus de Nostitz-Rienek	Script.	
P. Ioannes B. Umberg	Lect. theol. sacram.	
PROV. HUNGARIAE:		
P. Ludovicus Tomcsányi	Praef. spir.	
P. Gabriel Jablonkay	Lect. phil.	Interfuit C. G. XXVI.
P. Sigismundus Bernhard	Soc. Praep. Prov.	

[1] Debuit adire C. G. XXVII tamquam primus Substitutus, sed excusatus est.

COMMISSIONES AD RECOGNOSCENDUM
PRIMUM SCHEMA EPITOMES IURIS NOSTRI CONSTITUTAE

VICEPROV. IUGOSLAVIAE:		
P. Franciscus Beller	Mag. Nov.	
P. Ludovicus Dostal	Script.	Sup. Miss. Croatiae 1912-1916.
P. Bruno Foretić	Soc. Praep. Viceprov.	
PROV. NEERLANDICA:		
P. Ludovicus Clobus	Lect. theol. fund.	
P. Petrus Albers	Script.	
P. Hubertus Beijersbergen	Lect. iur. can.	
*P. Petrus Hoenen	Rect. Coll. Vet.-Busc.	
PROV. POLONIAE:		
P. Augustinus Arndt	Lect. theol. mor. in Sem Widn.	
P. Michael Barglewski	Sup. Dom Exerc. Leop.	
P. Ludovicus Cichon	Praef. spir.	
P. Ioannes Roth	Lect. iur. can.	
*P. Antonius Stopa	Oper.	Interfuit C. G. XXVI.
MISS. BENGALAE OCCID.:		
P. Leopoldus Bernard	Instr. tertiae Prob.	
P. Iosephus Génicot	Lect. theol. mor. et iur. can.	
P. Leo Philippart	Oper.	
MISS. BRASILIAE MERID.:		
P. Alphonsus M. Behr	Instr. tertiae Prob.	
P. Franciscus Xavier	Lect. iur. can. in Sem. S. Leop.	
P. Antonius Queri	Oper.	
Assistentia Galliae		
PROV. CAMPANIAE:		
*P. Aloisius Bonduelle	Sup. Dom. Insul.	Praep. Prov. 1914-1921; interfuit C. G. XXVI.
*P. Ludovicus Poullier	Instr. tertiae Prob.	Praep. Prov. 1908-1914; interfuit C. G. XXVI.
P. Aemilius Bouvy	Praef. spir.	
P. Iosephus Griesbach	Oper.	
P. Edmundus Vergne	Praef. spir.	
PROV. FRANCIAE:		
P. Vincentius Bainvel	Lect. theol. dogm. in Inst. cath. Paris.	
P. Yvo de la Brière	Lect. iur. nat. in Inst. cath. Paris.	
P. Petrus Bouvier	Oper.	
*P. Felix Mollat	Rect. Coll. Paris. S. Aloisii.	
P. Albertus Cisterne	Mag. Nov.	

COMMISSIONES AD RECOGNOSCENDUM
PRIMUM SCHEMA EPITOMES IURIS NOSTRI CONSTITUTAE

P. Renatus Compaing	Sup. Coll. disp. Turon.	
P. Caietanus de Raucourt	Sup. Coll. Ebroic.	
P. Paulus Troussard	Sup. Res. disp. Andegav.	
PROV. LUGDUNENSIS:		
*P. Antonius Foujols	Instr. tert. Prob.	Interfuit C. G. XXV.
P. Albertus Valensin	Lect. theol. dogm. in Fac. cath. Lugd.	
P. Isidorus Vulliez-Sermet	Sup. Coll. et Res. Lugd.	
*P. Augustus Bulot	Rect. Dom. Prob. Lugd.	Inspect. Stud. Sup.; interfuit C. G. XXVI.
P. Natalis Mouterde	Mag. Nov.	
PROV. TOLOSANA:		
*P. Ioannes M. Fournier	Lect. iur. can. in Inst. cath. Tolos.	
P. Petrus Castillon	Lect. theol. mor.	
P. Eugenius Bajou	Oper.	
P. Vedastus Guizard	Sup. Res. Monspel.	
P. Robertus de Sinéty	Rect. Coll. Vals.	
MISS. NANKINENSIS:		
P. Georgius Payen	Lect. theol. dogm., moral., iur. can. in Sem. Zi-ka-wei	
P. Fernandus Scellier	Rect. Univ. "Aurore„	
P. Stanislaus Chevalier	Dir. spec. astron.	
MISS. SYRIAE:		
P. Paulus Mattern	Sup. Res. Damasc.	Sup. Miss. 1910-1918.
P. Carolus Abéla	Sup. Res. Zahlé	
Assistentia Hispaniae		
PROV. ARAGONIAE:		
P. Raimundus Crexans	Rect. Coll. Max. Sarr.	Sup. Miss. Arg.-Chil. 1909-1916.
P. Franciscus Tena	Instr. tertiae Prob.	Sup. Miss. Philipp. 1913-1921.
P. Aloisius Puiggrós	Praef. spir.	
P. Iesus Ios. Iglesias	Rect. Dom. Prob. Gand.	
P. Ferdinandus Fuster	Lect. iur. can.	
PROV. ARGENTINO-CHILENSIS:		
P. Matthias Codina	Rect. Pont. Sem. Bonaer.	
P. Antonius Viladevall	Lect. theol. mor. et iur. can. in Sem. Bonaer.	
P. Iosephus Ferragud	Praef. Stud. in Sem. Bonaer.	

COMMISSIONES AD RECOGNOSCENDUM PRIMUM SCHEMA EPITOMES IURIS NOSTRI CONSTITUTAE

P. Iosephus Reinal	Praef. spir.	
P. Vincentius Sauras	Lect. S. Script. in Sem. Bonaer.	
PROV. CASTELLANA:		
P. Martinus Garmendia	Mag. Nov.	
